Bilfinger, Georg Bernhard

DE

HARMONIA

ANIMI ET CORPORIS HUMANI,

MAXIME

PRÆSTABILITA,

EX MENTE

ILLUSTRIS LEIBNITII,

COMMENTATIO HYPOTHETICA.

Accedunt Solutiones Difficultatum, ab Eruditissimis Viris, DNN. FOUCHERIO, BAYLIO, LAMIO, TOURNEMINIO, NEWTONO, CLARKIO, atque STAHLIO motarum.

OPERA

GEORGII BERNHARDI BÜLFFINGERI,
Philos. Magistri & Professoris Extra-Ordinarii
Tubingensis.

Francofurti & Lipsiæ:
Apud THEODORUM MEZLERUM,
Tubingensem Bibliopolam.
CIↃ IↃ CC XXIII.

LEIBNITIUS in Epiſtola ad REMONDUM.
Tom. II. du Recueil du Diverſes Pieces ſur la Philoſophie, la Religion Naturelle &c. Par Mrs. *Leibniz*, *Clarke*, *Newton*, p. 209.

De Lectione Librorum:

J'y cherche, non pas ce que j'y pourrois reprendre, mais ce qui y mérite d'être approuvé, & dont je pourrois profiter. Cette méthode n'eſt point la plus *à la mode*, mais elle eſt la plus *équitable*, & la plus *utile*.

LECTORI SALUTEM
ET
OFFICIA.

COmmentationem accipis, *Æquanime Lector*, qualem mense *Julio* 1721. conscripsi, & *Septembri* proximo publice promisi. *Paucissima* sunt, quæ ex illo tempore *immutavi*, & in notis maxime, atque allegationibus recens additis consistunt. *Parum* id TUA interest, opinor: Ideoque non indicabo loca. Interest *mea nonnihil*: Sufficit eo tamen monuisse generaliter.

Consilium scriptionis erat, ut argumentum dissertationi præberet Inaugurali: Et præbuit quoque, quia *summam* Scripti, in compendio expositam, publico disputationis examine dignati sunt *Viri Eruditissimi*, & publica grati animi testificatione dignissimi.

Editionis hanc *caussam* habe: Intellexi non semel, esse inter Eruditos, qui mallent, *vulgariter* & *prolixe* dici hanc caussam; quam exponi strictim, aut intertexi integro Systemati.

Inventorem Systematis, Illustrem G. G. *Leibnitium*, novimus *sparsim* sua tradidisse, & non raro *ænigmata* locutum & *apophthegmata*; *aurea* quasi *carmina* fundentem, non sine *Systemate*, aut *traditione* & *Jamblichis* intelligibilia.

Acutissimum vero *Christianum Wolfium* vidimus, ubi in condendo Systemate Metaphysico elaboraverat, *easdem* quoque sententias, quasi sponte sibi obviam factas, suæ doctrinarum *catenæ innexuisse*, explicitas amplius, & suffultas certius.

Sed vero *non* id *omnium* opus est, *colligere* dissita, & e diversis excerpta commentariis dicta *colligare*; Namque, ut *ingenium* non desit, deest aliquando *patientia*, aliquando *copia* libellorum.

Neque illam Rei Litterariæ *felicem* hodie vivimus *ætatem*, qua sive *ad unum omnes*, sive *plerique* omnes, tantum in omni disciplina studii collocare vel *possunt*, vel *volunt*, ut *integra* examinare, vel & combinare Systemata, *vulgatum* sit.

Persuasit ea consideratio mihi, *gratiam* iniri *apud illos* posse, qui, sive *gravioribus* occupati, sive innutriti *levioribus*, saltim *aliis* distracti rebus, sententiarum tamen inter Eruditos celebrium *momenta quædam* intelligere gestiunt; *Collecta* enim hoc libello, & *popularius*, nisi fallor, exposita deprehendent, quæ *sparsim* alibi disjecta, aut *philosophico* magis habitu induta conspiciuntur.

Cave autem, ea re existimes promitti *facilia adeo* omnia, ut vel obiter lecta sese approbent, aut hæreant. Est aliquando *difficilius negotium*, quam ut expediri breviter & facillime possit: Aliquando mea quoque *scriptoris culpa* esse potest, quam non sane lubens contraxi; confitebor autem, &, si possim, emendabo lubentissime.

Illud jure flagito, nolis, *ubicunque* quæstioni *obviæ difficilis* responsio succurrat: Eam *semper* Auctoris culpam interpretari. Quo sunt obvia magis in disciplinis *physicis* atque *metaphysicis* phænomena: Eo plerumque difficiliores eorundem explicationes Philosophi experiuntur.

Non abnuo rationem Cl. *Astrucio* allegatam, qua conjecit, minui admirationem frequentia, & negligentiorem adeo in exquirendis caussis animum infeliciorem esse in iisdem eruendis: *Propius* tamen *aliquando* caussam contigeris, si vulgata & obvia dixeris utplurimum esse *magis composita* abstrusis, & arte demum, aut speculatione abstracta natis Eruditorum quæstionibus.

Possem *exemplis* fidem dicto facere, si excurrere in illud institutum liceret: Nunc *monitis* pergo, quæ commentationi quidem præsenti necessaria existimo.

Ordinem Scripti *Conspectus* exhibet, *eo* quidem fine & *modo* scriptus, ut essentialia in compendio connexa sistat. De nonnullis caussam accipe.

 Ex-

Exposito *Sectione prima* quæstionis sensu, *secunda* disserui de numero explicationum. Visum est, fortasse non omnes id *supplere*, quod *Leibnitius*, subintellectum sine dubio, explicite non expressit. Arguit Vir Philosophus ab exclusione *duorum* ad existentiam *tertii* Systematis: Recte id quidem, *si constet*, simplicia plura excogitari non posse, & composita premi difficultatibus iisdem, quibus ille simplicia extruserit. *Opportunum* itaque judicavimus, eam ab initio partem enarrare *distinctius*.

De Numero tractationem excipit altera specialior, quæ singulare uniuscujusque sententiæ examen pandit. Diximus *tertia Sectione* de Vulgato, *quarta* de Cartesiano Systemate, quæ visa sunt; *salvis* defensorum *honoribus*, quos nihil læsos volumus. Licet *dissentire* in Rep. Litteraria: *Convitiari* non licet; si *jura* quidem a *consuetudine* secernas.

Ubi *Leibnitianum* ex instituto *Systema* persecutus sum, *Sectione quinta*, de *Anima* & *Corpore* egi sigillatim, exemplo Cel. *Wolfii*, qui primus diserte & applicate ostendit, vere *Leibnitium* & ex solido dixisse: *Harmoniam* suam esse *Confluentem*, in quo amice coëat, quicquid boni sive dixerint sive supposuerint *Idealistæ* hinc, & illinc *Materialistæ*. Concordiam ipsam ut illustriorem Lectores conspicerent, etiam difficiles: *Specialius* pauca de Legibus utriusque substantiæ conspirantibus an-

annexui; iisdem omnino principiis deducta.

Hypotheticam hanc tractationem dixi, *ut integrum* esset, etiam illa mutuo accipere, quæ fortassis Systemati necessaria esse possunt, & in illa tamen Sectionis brevitate neglecta sunt. Tum vero, *ut scopum* scriptionis obtinere certius possim: Ut enim doctrinæ veritatem Tibi non persuadeam, facilius approbabo studium explicandi sententiam VIRI, undique Maximi. Nolui etiam, *asseverata* dictione dissentientes *offendere*. Expositis enim, quæ succurrebant animo, rerum momentis, *liberum* & *Tibi* & *Mihi* volo illud *Plautinum*: "Optio hæc Tua est, utram „ harum vis conditionem, accipe „.

Objectionum solutiones, *sexta* dissertationis parte factas, commoditati Lectorum indulsi, non vanitati meæ. Pleræque enim a *Leibnitio* datæ sunt; aliquæ & a *Chr. Wolfio* adjunctæ; paucæ *meæ* sunt, nec præcipuæ. Neque delector ego Refutationibus: Demonstrationes deperire animum, non diffiteor; easdemque non multas magis, quam bonas. Dixi caussam sententiæ, ubi solutiones obsignavi, paragrapho Scripti 252.

Si quas passim *occupari* objectiones videris, cave, *verborum potestatem* premas, ubi *de alieno* loquor: Dixi non pauca, qualia primo videri ad-

 spe-

ſpectu poſſent, & quæ a noſtris arceri præſepibus conſultum judicavi. Ita nolim exiſtimes, mea ſententia *petitionem principii* fore, ſi quis in formanda quæſtione negligenter aut doloſe verſetur: Non enim illa *mea* eſt appellatio, quam §. ſtatim primo, *nota prima* complectitur. Idem, ſi placet, judicium eſto de ſimilibus.

Sunt *plures* ex eo, quo noſtra hæc conſcripſimus, tempore *difficultates* motæ ab Eruditis: Earum *unicam* illis addidi, quas, hinc inde auditas, antea collegeram, & ſupplementi loco adoptaveram. Plures *alias* diſerte nunc adjungere, inſtitutum non admittit: *Antiquius* enim hoc Scriptum eſt, quam, quæ illas generaverat, diſſertatio mea Inauguralis, d. 13. Sept. 1721. Reſp. *Jo. Davide Eſſichio*, *Tubingenſi*, defenſa.

Monebo tamen ignaros rerum, ut attendant *Annotationibus* Excell. inter nos Philoſophi atque Medici, *Eliæ Camerarii*, in diſſertatione extemporali, ſed erudita, qua *Unionis Animæ cum Corpore Syſtemata Tria*, Harmoniæ Præſtabilitæ, Influxus, & Aſſiſtentiæ *in unum* fudit, d. 27. Sept. 1721. *Reſp.* Jo. Frid. *Braunio* defenſa. Sed vero & illis animum advertant, quæ Excell. Phyſicæ & Mathematum Profeſſor, *Jo. Cunr. Creilingius* ſuis in Leibnitiana Philoſophiæ Placita commentationibus, de noſtro hoc negotio interſeruit, diſputatione *altera* in *Principia Philoſophiæ Autore* G. G. *Leibnitio*, reſpondente *eodem Dn. Eſſichio*, Magiſte-

ſterii Philoſophici eo tempore Candidato, ventilata d. 17. Aug. A. 1722.

Vidimus non ita pridem quoque, quas pag. 32. not. y. ex Amici litteris obiter allegavimus, Cel. Lipſienſium Philoſophi *Godofr. Polycarpi Mülleri* Meditationes in *Theoriam ſenſuum Generalem*, a *Nic. Hartſœckero* traditam, 18. Apr. 1722. Reſp. Car. Gotth. *Sachſio* diſputatas, quarum §§. 24. - 31. examinandis de Harmonia Præſtabilita Inſtitutionibus Wolfianis impendit.

Vidimus Eloquentiſſimi *Croſæ* animadverſionem, in tranſitu factam, & expoſitam in *Logico* Syſtemate P. I. S. II. c. V. Tom. II. p. 673.

Vidimus *Leibnitianam* ſententiam, *Carteſii more* inflexam a M. *Chriſtiano Georg. Schüſslero* in Diſſ. de Commercio inter Animam & Corpus d. 5. Aug. 1720. Halæ habita, qua, ſi mentem aſſequor, ex præſtituto *vim* motuum, *directionem* ex imperio animæ deduxit.

Vidimus *elegantem*, ſed *ſuccinctiſſimam*, ſententiæ Leibnitianæ *expoſitionem*, quam Cel. Theologus, *Mich. Gottl. Hanſchius*, S. Cæſ. & Cath. Majeſtatis Conſiliarius, edidit, adjunctam Ideæ Boni diſputatoris, ... 722. cuſam.

Et *quis omnia* enumeret, quæ *diverſiſſimis* imbuti *principiis* Eruditi de negotio quidem

 præ-

præsenti, argumento maxime composito, edixerunt?

Unum pro *innocentia doctrinæ* illustranda fortassis non inepte addidero. Leibnitii Testimonio didici, *complures Occasionalistarum* testatos esse, se non aliter assistentiam suam interpretari, quam Leibnitius Harmoniam. R.R. P.P. *Jesuitas Trivultinos* egregie de Harmonia Præstituta pronunciare, testimonio simul atque calculo *Interpretis* Theodicææ, *Coloniensis* ex eadem societate P. R. constat. Lipsiensem Theologum, *M. G. Hanschium* modo appellavimus: Cui comitem e Reformatis Cel. *Jaquelotium* addimus, quando ideis spirituum atque corporum congruere, neque humanæ libertati adversam esse sententiam existimat. Illustrissimum Dn. *Abbatem Contium* Systemati faventem ex Leibnitiana ad illum epistola suo loco exhibuimus. *Lubentes* quoque vidimus, Cl. *Jo. Melch. Verdriesium*, Giessensem Philosophum, atque Medicum cum de Unione loquitur, id arbitratui Lectorum permisisse, *occasionem* asserere, aut *Præstabilitam* olim *Harmoniam* velint? Nimirum veneramur VIRI virtutem, & judicium.

Eidem etiam *scopo* dedimus *Sectionem* libelli *ultimam*, qua utiles hujus doctrinæ fructus, etsi breviter, indicavimus; eoque facto veritatem Leibnianæ gloriationis asseruimus. Ut enim *fulcien*-

dis-

dis illis veritatibus *necessarium* non sit Systema expositum: Est *accommodum* tamen; & *exaltandis utile*.

Longam vero exili Libello *præfationem*! Legisse tamen, opinor, non pœnitebit; Facilior enim, hac cognita, progressus erit, & judicium tutius.

Commoditati Tuæ etiam illud indulgeo, ut *præmoneam*, Sectione sexta *objectiones* distingui *notulis* („) initio paragraphorum & fini additis; in *Baylianis numeros* quoque barbaros objectionibus atque responsionibus intermistos, mutuo contendendos esse; & addendas §. 170, & 172. notulas modo memoratas.

Errores operarum *leviores* annotare nihil attinet: Sufficiat, æquitatem advocasse Tuam, & *graviores* expunxisse. *Satis*, opinor, *bene* se cetera habent; *absente* præsertim *Auctore* per *Amicum*, aliis obrutum occupationibus, curata: Quæ existimavi, moram Lectoribus injicere aliquam posse, inter *Emendanda* collocavi. Facient rem mihi gratam, & utilem sibi, quibus molestum non erit, añotata *corrigere*, aut si quando inter Lectionem hæreant, indicem illum *consulere*. Ita dubium non est, permutatam pag. 84. lin. 5. vocem, impedire sensum: Leges igitur *naturales* converte in *generales* ex indice nostro; & plana facile omnia erunt. Idem in ceteris tene, etsi multo facilioribus.

Dis-

Dissertationem, paragrapho hujus libelli *centesimo* allegatam, animus erat adjungere præsenti. Quoniam id fieri hac vice non potuit: *Proximis* illam nundinis excudi curabo, nisi aut negotia institutum alia interverterint, aut ingratos publico labores meos intellexerim; *thetice* tamen illam rem persequar, etsi prolixius, &, quoad possum, planius edisserendam.

Ita vero *vale*, Lector Benevole, & utere *jure Tuo*, examinandi omnia, tenendi bona! Dabam Tubingæ. III. Id. Mart. CIƆ IƆ CC XXIII.

CON-

CONSPECTUS
UNIVERSÆ TRACTATIONIS.

Sectio *Prima* exhibet Statum Quæstionis propositæ.

D*Icimus* Harmoniam Animi & Corporis §. 1. *sive cogitationum & motuum* §. 2. *non unionem* §. 3. *nisi termino prius explicato* §. 4. *Animæ igitur & Corporis existentiam præsupponimus* §. 5. Præstabilitam *vocamus cum Leibnitio* §. 6. *seclusis tamen ceteris Harmoniæ Præstabilitæ speciebus* §. 7. *quas inter substantias generatim omnes* §. 8. *speciatim inter corpora corporibus, spiritusque spiritibus* §. 9. *itemque corpora spiritibus collata* §. 10. *variis elocutionum formulis asseruit* §. 11. *generalitate a nostro instituto aliena* §. 12.

Sectio *Secunda* inquirit in Numerum Systematum.

Ut intelligas, quot simplicia *esse possint* §. 13. *attende, quomodo consentire possint res duæ necessariæ* §. 14. *duæ contingentes* §. 15. *una necessaria & altera contingens* §. 16. In duabus contingentibus, *qui noster casus est, non esse nisi tria possibilia, ostenditur argumento* §. 17. *& exemplo per Leibnitium allegato* §. 18. 19. *atque ad rem præsentem applicato* §. 20. Composita *possunt plurima fieri, sed exiguo fructu* §. 21. *Possunt aliqua & in* Ramos *divelli, exemplo R. P. Tourneminii* §. 22. *addita examinis cautela & adminiculo* §. 23.

Sectio

Sectio *Tertia* examinat Syſtema Influxus Phyſici.

Quid ſit influxus *Phyſicus explicatur* §. 24. *ſed generice ſolum* §. 25. *creditur niti* experientia §. 26. *quæ, cautius perſpecta* §. 27. *deprehenditur hoc loco* inſufficiens §. 28. *Neque ideo ſtatim falſa eſt ſententia* §. 29. *eſt fictitia tamen* §. 30. *rejicienda tum demum, ſi repugnet alicui veritati cognitæ* §. 31. *qualem Carteſius ſuam de identitate quantitatis motus regulam arbitratus eſt* §. 32. *refutatus primum a Leibnitio* §. 33. *qui alium priori canonem ſubſtituit de identitate virium motricium* §. 34. *Non utimur illo tamen hac vice* §. 35. *etſi naturæ rerum, noſtra quidem ſententia, conveniat* §. 36.

Effectus integer eſt æquipollens (*non major*) *viribus cauſſæ ad effectum applicatis* §. 37. *Et corporeæ in organa mea impreſſioni reſpondet effectus in corpore æquipollens, ſive plena omnia & materiam motui indifferentem*, §. 38. *vel reſiſtentem* §. 39. *ſive vacuum ſupponas* §. 40. 41. *Igitur* ex corpore *nihil tranſit* in animam §. 42. *Sed neque* ex anima in corpus, *ut R.P.* Tourneminio *viſum* §. 43. *cujus modeſte expenditur inſtitutum generale* §. 44. *& poſtulatum unionis poſſeſſivæ* §. 45. *& ſuppoſitiones* §. 46. 47. *& ſolutiones difficultatis* §. 48-52. *quæ ſtrictius proponitur hoc modo: Animæ actio eſt determinata* §. 53. Ratio determinationis *non poteſt eſſe in rebus extra animam corporeis* §. 54. *Neque eſt interna pendens ab arbitrio animæ* §. 55. *Erit igitur interna pendens a ſtatu animæ præcedaneo, conformis harmoniæ, ſed non ſufficiens influxui* §. 56. *Recte igitur Ill.* Leibnitius *ad Cel.* Stahlium: *Si animæ vi ſaltamus, nulla eſt ratio, quare non ſaltemus ad altitudinem quamcunque?* §. 57. *nihil obſtantibus finitudine mentis, & corporum ambientium reſiſtentia* §. 58. *& generali proportionis allegatione ex fine ſumta, & ſocietate animæ cum corpore* §. 59. *& transformatione ratiocinationis in motum, atque motus in rem incorpoream* §. 60. *& inſtantia quoque Stahliana* §. 61. *Remota vero actione*

corporis in animam, & animæ in corpus ſuum, excuſatur facti audacia §. 62, & *per Carteſium tranſitur ad Carteſianos* §. 63.

Sectio *Quarta* diſcutit Syſtema Aſſiſtentiæ.

Carteſius, *negata animæ movendi facultate. directionis poteſtatem conceſſit* §. 64. *aque inexplicabilem* §. 65. & *Legibus Naturæ adverſam* §. 66. & *difficultatibus obnoxiam prioribus* §. 67. *præcipue inimicam Canoni de identitate directionis totalis ante & poſt ictum in corporibus* §. 68. *quam, ſi Carteſius Legem cognoviſſet, facile ad Harmoniam Leibnitii* Præſtabilitam *deveniſſet* §. 69. *etſi Sectatores aliam deinde viam ingreſſi ſint* §. 70.

Carteſianorum *enim ſententia Deus occaſione corporis in mentem agit, & vice verſa* §. 71. *Unde eſt* Syſtema Occaſionale, *multis approbatum* §. 72. & *diverſis impugnatum ſtudiis* §. 73. *a Leibnitio tribus præcipue argumentis* §. 74. *a Legum Naturalium turba* §. 75. *earundemque arbitrarie latarum indifferentia, philoſophiæ minus congrua* §. 76, & miraculis §. 77. *in eo Syſtemate* perpetuis §. 78. *Ut enim generalibus omnia Legibus fiant* §. 79. *cauſſas tamen naturales non habent* §. 80. *ſed repetitas Dei operationes poſtulant* §. 81. *nullo decreti originarii poſitivo in creaturis effectu perſiſtente* §. 82. *Sunt nimii tamen, qui phyſicam ea ſententia diſciplinam aboleri arbitrantur* §. 83. *aut loquendi formulas urgent* §. 84. *aut conſequentias odioſe extendunt* §. 85.

Sectio *Quinta* exponit Syſtema Harmoniæ Præſtabilitæ.

Generaliter, *remotis duobus, manet tertium* §. 86, *in noſtra quidem complicatione* §. 87. *neque huic fini neceſſarium eſt, explicare poſſibilitatem Syſtematis* §. 88, *Leibnitiano more concludentibus* §. 89.

Specia-

Specialius pro Anima *notes*: *Subſtantiarum ſimplicium omnium, monadum æque ac animarum, & ſpirituum, naturam conſiſtere in repræſentatione Univerſi* §. 90. *mutarique illas naturaliter a principio tantum interno* §. 91. *ſecundum ordinem naturæ ſuæ convenientem* §. 92. *ita ut ſint quaſi ſpecula Univerſi quoad ſtatum ejus præteritum, præſentem & futurum* §. 93. *repræſentationibus quidem diſtinctis, vel confuſis, claris vel obſcuris* §. 94. *ſucceſſive ex animæ fundo evolvendis* §. 95. *adeo, ut mutationes in anima omnes ſui principium habeant in anima, ſive, ut præſens ſit gravidum futuro*. §. 96. Pro corpore *attendas*: *Eſſe aggregatum, vi motrice præditum* §. 97. *a Deo materiæ ſuperaddita* §. 98. *& certis ſubjecta Legibus* §. 99. *quarum ope corpus ſit machina* §. 100. *cujus antecedanei ſtatus determinant ſequentes* §. 101. *uti de animatis quidem & humanis corporibus ſtructura* §. 102. *& exempla docent* §. 103. *ſic, ut etiam hoc loco præſens ſit gravidum futuro*. §. 104. Pro Harmonia ipſa: *Poſſibilitatem ejus* §. 105. *ex divina præſcientia & præordinatione ſumi videas* §. 106. *& ſucceſſione mutationum in utraque ſubſtantia ſecundum Leges facta* §. 107. *& perfecta primi ſtatus in utraque ſubſtantia ſimilitudine* §. 108. *ſic, ut etiam hoc ſenſu, præſens harmonia ſit gravida futuræ* §. 109. Neceſſe eſt *tamen huic argumento, ut, ſimiles illas Leges eſſe* §. 110. *Coſmologia demonſtret* §. 111. *Sunt autem earundem Legum metaphyſicarum generalium determinationes tantum ſpecialius applicatæ* §. 112. *eoque conſentientes*, §. 113.

Collectis illis omnibus *Harmonia Leibnitii Præſtabilita eſt non modo* poſſibilis, *ſed &* actualis §. 114. *Liberum tamen eſto, an aliter paulo rem inflectere malis* §. 115. *exemplo famuli apud Jaquelotium* §. 116. *qui humano reſpondet corpori* §. 117? *an Syſtema tenere univerſum?* §. 118. *vindicandum adhuc ab objectionibus* §. 119. *Virorum quorundam Eruditiſſimorum* §. 120. *propriis eorundem verbis, cum fieri poteſt, exhibendis* §. 121.

Sectio

Sectio *Sexta* reſpondet Objectionibus Virorum Doctiſſimorum.

Dn. Foucherius, *Divionenſis Canonicus, cui primum Leibnitius Syſtema ſuum inſcripſerat* §. *122. concedit poſſibilitatem artificii utriusque in anima & corpore* §. *123. 124. ſed cauſſatur inutilitatem, ſive dogmatis* §. *125. 126. ſive ipſius rei* §. *127. 128. & Syſtema ſalvandis tantum hypotheſibus accommodatum arguit* §. *129. 130. Aliam pro explicando phenomeno viam ſuadet Leibnitio* §. *131 132. quæſtionem vero ipſam præſenti philoſophiæ ſtatu nondum exiſtimat ſolubilem, eoque nec movendam eſſe, ex doctrina Academicorum.* §. *133. 134.*

P. Bælius *bis mentem de Harmonia ſuam explicuit* §. *135. In* Objectionibus Primis *Syſtema hoc interpretatur novam philoſophiæ acceſſionem* §. *136. 137. & breviter indicatis difficultatibus, quas cum Ariſtotelicis de virtute activa creaturis communicata* §. *138. 139, & cum Carteſianis de mechaniſmo libertati inimico communes habeat.* §. *140. 141. tranſit ad eas, quas Leibnitio* proprias *exiſtimat.* Generaliter *artificium majus putat, quam ut illi divina ſufficiat infinitas, exemplo navigii, ſine motore rerum conſcio, ſua potentia inſita, appoſite ſemper & externis rebus conformiter lato* §. *142. 143. Speciatim* in corpore *urget, nullam cæcam potentiam, vi impreſſionis ante multos annos factæ, annihilata etiam inhabitante anima, convenientes ſemper motus præſtare poſſe* §. *144. 145. conſideratis præcipue organorum multitudine & varietate corporum ambientium, confuſionis fontibus certiſſimis* §. *146. 147. Unde nec Carteſiani mechaniſmum extenderint ad corpus humanum, neque divinæ omnipotentiæ allegatio rei in ſe impoſſibili ſufficiat* §. *148. 149.* In anima *accedere ſimplicitatem ſubſtantiæ, organorum multitudini oppoſitam* §. *150. 151 igitur, ad modum Epicureæ in vacuo atomi, ſine ulla diverſitate uniformem illam perſiſtere* §. *152. 153. neque adeo perdurante potentia animæ eadem, ideas v. gr. voluptatis, primas deflectere poſſe in alias.* §. *154. 155. Sin omnino va-*

 riationem

riationem poſtules, affinitatem in illa obſervandam eſſe, ſaltus ex albo in nigrum, & e Cœlo in Terram §. 156. *quibus præſtandis non ſufficiat anima ſpiritus, ſed Legio ſpiritum, alternative agentium* §. 158. 159. *In* Objectioni[illegible] ſecundis, *ad reſponſionem Leibnitii de multitudine repræſentationum & Lege ſucceſſionis earundem in anima* §. 160. *exiſtimat deeſſe media ſpiritui, quibus illam Legem exequatur* 161. 162. *idque exemplo animalis muſici eleganter illuſt*[illegible] §. 163. 164. *negat etiam, vocari in ſubſidium poſſe veſtigia præteritorum immaterialia, ſimplicitati adverſa* §. 165. 16[illegible] *vindicata tamen a Leibnitio* §. 167. *& nobis quoque* §. 168. 16[illegible] *quoniam in eo videtur acquieſcere velle* §. 170. *& acquievi*[illegible] *Bælius* §. 171. *Apologeta quoque Leibnitii* §. 172. *præter n*[illegible] *ceſſitatem tamen* §. 173.

Fr. Lamii *verba cum exhibere non poſſim, in reſponſionib*[illegible] *ero prolixior* §. 174. *Urget autem* Primo, *non differre Syſtem noſtrum ab altero cauſſarum occaſionalium* §. 175. *etſi haud parum differant fundamento* §. 176. *executione* §. 177. 178. *& conſtantia Legum naturalium* §. 179. *in aliis non paucis congruentia* §. 180. Secundo *animam non eſſe liberam in ſenſationibus ſuis* §. 181. *ob conſecutiones ſtatuum naturales* §. 182. *& Legem ordinis in ſucceſſione obviam* §. 183. *indignante Leibnitio* §. 184. *è cujus Syſtemate explicantur requiſita* libertatis §. 185. *& natura motivorum* §. 186. *& indifferentia voluntatis* §. 187. *propoſitisque diverſis illud dogma examinandi viis* §. 188. *ad objectiones* §. 189. *propoſitas, oſtenditur, neque hypotheticam actionum neceſſitatem hac ſententia inferri* §. 190. *neque mechaniſmum animæ fatalem obtrudi* §. 191. *calculo Trivultinorum quoque Criticorum* §. 192. Tertio *indignum Deo & parum ſapiens Syſtema queritur* §. 193. *quoniam extravagationibus ſuis divinas anima Leges ſequeretur* §. 194. *ridiculas illas quidem, ſi faciant, ut bonam anima cogitationem deſerat, dum acu pungitur* §. 195. Quarto *impoſſibile automatum putat, quod a ſe ipſo illa faciat, quæ cum ratione homines* §. 196. *quod propoſitiones generales enunciet, & Syllogiſmos condat* §. 197. *cui quidem rei explicandæ geneſis*

genesis idearum generalium §. 198. & origo vocum §. 199. earumque generalia significantium §. 200. expenditur, & experientia fulcitur §. 201. Syllogismorumque ex illis nativitas §. 202. & elocutio derivatur. §. 203. Quinto activam creaturis vim omnem negat Cartesiano more §. 204.

R. P. Tourneminius urget experientiæ testimonium pro influxu physico §. 205. & necessitatem ejus pro obtinenda unione physica §. 206. dissentiente, quoad metaphysicam, Leibnitio §. 207. cum digressiuncula: An in Leibnitiana quoque sententia corpus possit esse Parisiis, & anima Constantinopoli? not. d.) Parentiis & Dn. de Maiseaux mentio facta §. 208.

Iſ. Newtono miraculum audit Harmonia Præstabilita, & experientiæ contraria creditur §. 209. etsi, nostra sententia, sit miraculi tantum consequens, sed naturale §. 210. manentibus etiam, quæ pro experientia postulavit VIR incomparabilis. §. 211.

Sam. Clarkius, Newtoni defensor Celeb. repetit accusationem miraculi in hoc Systemate perpetui §. 212. Terminum Harm. Præst. sensu vacuum arguit §. 213. & induci necessitatem arbitratur §. 214. negat animæ & corpori magis inter se convenire, quam duobus horologiis longissime dissitis §. 215. negat fieri machinam posse, corporis nostri æmulam §. 216. quæ & illa destinato tempore exequatur, quæ decernimus in futurum §. 217 Inutiles reddi ratiocinationes ab experientia deductas metuit §. 218. cum non amplius homo videat in hoc Systemate §. 219. metuit extensionem mechanismi corporei ad excludendam animæ spiritualitatem §. 220. Existimat, nullam hac sententia difficultatem evitari §. 221. cum non difficilius substantia immaterialis in materialem, quam materia in materiam, agere concipiatur §. 222. deficientibus etiam hoc loco explicationibus mechanicis §. 223. 224. Quibus consulto omnibus specifice responsum est §. 225.

G. E. Stahlius, in Principiis ipsis diffidens a Leibnitio §. 226. allegationem Harmoniæ Præstabilitæ Leibnitianam §. 227. ita intelligit, ac si Legem Naturæ eo nomine appellaret, a posteriori cognitam §. 228. contra mentem, ut videtur.

tur, Illuſtris Viri §. 229. *expoſitam* §. 230, 231. *I urget, conatibus animæ non ſemper effectum reſpondere* § *quod Syſtemati, pro Ipſius ſententia intellecto, adverſ* §. 233. *non item in noſtra* §. 234. *veluti ad ſpeciales I Viri quæſtiones* §. 235. *ſpecialibus quoque reſponſionibus ditur* §. 236. *Arguit porro, excludi ortum omnium re cauſſa prima* §. 237. *ſed conciliatum cum Syſtemate pr* §. 238. 239. 240. *& providentiam atque directionem di* §. 241. *ſed vindicatam nobis* §. 242. *utrumque expreſſius brevitatem Leibnitii* §. 243. 244.

Circa Difficultates adoptivas §. 245. *exponitur: Cur non pergant corpore aliter affecto?* §. 246. *Cur in turi acti neſciant, quid agant?* §. 247. *Cur cerebrum ſequ anima perceptiones?* 248. *Cui bono inſtitutiones & L* §. 249. *Unde mutationes ſubitaneæ, & morum epochæ?* § *Denique an Harmoniæ quoque neceſſaria ſit proportio inte tum atque perceptionem?* §. 251. *Quibus enarratis, de* tuto ſolutionum *differitur* §. 252.

Sectio *Septima* indicat Utilitates quasda Syſtematis Præſtabiliti.

Commoda & Incommoda Unionis non allego §. 253. *ſe tentia hic expoſita* uſus §. 254. *De* DEO *primum.* P *Harmonia cauſſam* §. 255, *non eſt illa in ipſis rebus, anim corpore, conſentientibus* §. 256. *neque in natura aut mundo Eſt autem in exiſtendo neceſſaria, & in agendo libera* §. 2 *telligens, providens, potens &c.* §. 259. *ergo DEus* §. 260. *perfectiones ita extollit id Syſtema* §. 261. *ut vel hoc argum illi probando ſufficere Leibnitius arbitretur* §. 262. *De* A humanæ *independentia à creatis omnibus, ſpontaneitate cta, &* immortalitate *verba Viri Magni* §. 263. *una cum cta immortalitatis notione evolvuntur* §. 264. *Cetera obi dicata* §. 265. *obſignantur confeſſione Lamiana, in* ceteris *matis,* corpus plus agere *in animam, quam anima corpus, cum in noſtro perfectus utrobique conſenſus obtineat* §. 266.

Emendanda.

Pag.		lin.	
8		3	pro *eidem* lege *ipsi sibi*
21	n. e.	6	dele : *bis.*
26		16	distingue: figmenti rationem,
55		8,17	*Atqui.*
62		11	lege : *Discursus Tui*,
63	n. g.	7	*intuitu*
76		8	distingue : vice versa:
79		11	*tantundem*
80	§. 75.	ult.	*patiantur incommoda.*
82	§. 77.	10	*quærendam.*
83	not. i	6	distingue : *aqua solidum,*
84	§. 79.	5	pro *naturales* lege *generales*
87	n. q		pertinet ad pag. seq. 88. lin. 1. voce *actionibus*
92	n. y.	4	*Vous vous*
93	n. b	8	*que la puissance d'agir.*
95	n. d.	1	pro *etiam* lege *aliam*
101	n. p.	2	accidentia,
123	§. 121.	4	malo : *consueverint*
124	§. 122.	5	*Divionensis*
147		18	faciendas
148		10	interruptum.
156		3	pro *eandemque* lege *sed*
161		5	à fine lege *ornatam*
175		9	*perceptionum*
177			Ad §. 170. & 172. adde signa „
177		21	*eaque*
188	n. y.	1	*plerasque*
192		1	pro *aliam* lege *etiam*
204		ult.	*istum*
209	not.	16	*coexistendi,*
-	-	4	*à fine, lege :* à sensatione
215	n. n	7	*quodam*
218	not.	pen.	*& a*
230		8	à fine, *respondere*
251		11	pro *&* lege *est*
252		5	à fine, pro *id* lege *il*
253		9	*recta*

SE-

SECTIO PRIMA,

complectens

Statum Quæstionis propositæ.

§. 1.

INſcribitur hæc Tractatio: *De HARMONIA Animi & Corporis Humani, maxime PRÆSTABILITA, ex mente LEIBNITII. Harmoniam* (a) dico, cum *phænomenon*, cum experientiam volo ediſſerere. Illud enim, ſi ſollicite attendamus, *facti* eſſe deprehendimus, quod animæ cogitationes, id eſt, rerum in univerſo repræſentationes, quarum nobis conſcii ſumus, conſentiant amicè & conſpirent illis mutationibus, quæ ad variorum extra nos corporum præſentiam fiunt in ſenſoriis humani

a) Nolim hic quisquam exiſtimet, me petere id, quod eſt in principio, vel quæſtionem ita inflectere, ut eſt in reſponſione. Quæſtio enim *exprimit harmoniam, quatenus* eam in facto deprehendit, neque influxum ponit, neque excludit: Secus atque id in reſponſione obſervabitur, ubi *Harmoniam tantum* eſſe aſſeritur.

corporis organis: & viciſſim, quod motus corporis, quos voluntarios vocamus, reſpondeant cogitationibus, earundemque in anima ſucceſſionibus & mutationibus.

§. 2. Quando autem *Cogitationes* (b) tantum, & motus voluntarios hic nomino, nequaquam ea re excludo ideas ſive perceptiones obſcuras (c), quarum ſibi mens noſtra conſcia non eſt, vel motus in corpore reliquos; Namque & horum eſſe mutuum inter ſe parallelismum atque harmoniam, inferius monebimus: Verum id non *ex facto* intelligimus, *obſervando* ſaltim, ſed *inferimus ratiocinando*.

§. 3. *Unionem* non dixi Animæ & Corporis, quoniam ea vox, nimium dives ſenſuum, diſcurſui noſtro aliquam ſubinde ambiguitatem poſſet invehere. Si ſcrupuloſius id factum exiſtimes, lege *Tourneminiana* (d) in Commentariis Trivultinis, & deprehende, magnam ſyſtematis & objectionum ejus partem mage vocis illius poteſtate, quam rei & experientiæ teſtimonio fulciri; mirare etiam, Viros doctiſſimos (e) de vocabulo iſto ſollicitos disquirere.

§. 4.

b) Sequor hic definitionem *Wolfii* Metaph. §. 194. Wir nennen Gedancken die Veränderungen der Seele/ deren sie sich bewußt ist.

c) Vid. *Wolfii* Metaph. §. 731.

d) Memoires de Trevoux. 1703. May, Art. XCI. p. 869. 870. edit. Trivult.

e) Ip[illegible] Languetum Mon-
ti[illegible] narium Sereniſſimæ

§. 4. Non repugnabo tamen morosius, si istam vocem postules: Admiseris tantum, hoc *Unionem* dici, cum res duæ vel plures, quantumvis cetera diversæ, ita in suis sibi respondeant modificationibus, ut simul sumtæ possint haberi pro una re composita; vel, si vocem unitatis nauseas, pro toto aliquo composito. Hanc animæ corporisque unionem experimur certissime: Num possessiva illa sit? (vox est Tourneminiana) num relativa saltim? id deinceps docebitur.

§. 5. Harmoniam porro dixi *Animi atque Corporis Humani*; ista enim duo hic supponimus. Absit, ut hic velim disputare vel contra *Idealistas* (f) de corporum extra animas, vel adversus *Materialistas* (g) (veniam vocibus consuetis) de Animæ spiritualis in corpore existentia. Quæstio enim, quam enodandam suscepimus, *Dualismum* (h) jam supponit: Et qui Harmo-

 niæ

Ducis Burgundiæ, in Mem. de Trevoux 1703. p. 1849. & 1863.

f) Est Philosophorum aliquod genus, quod nonnullis de corpore difficultatibus permotum, corporum extra mentes existentiam negat, & quæ de illa nobis experiri videmur, pro phænomenis tantum habet: cetera neque aliorum extra suam mentem spirituum, neque infiniti Entis existentiam vellicant.

g) Ita illos appellamus, qui & corporibus cogitationes & cognitionem & conscientiam, & quicquid est spiritualium ceteroquin operationum, transscribunt; spirituum adeo in corporibus existentiam vel negligunt, vel negant.

h) *Dualistas* Philosophi eos vocant, qui & spirituum à cor-

niæ modum indagat, non Harmoniam es[...] probat, ſed ſumit; reſpondet enim quæſtion[...] quî fiat, ut hæc duo ſibi reſpondeant? Itaqu[...] is, quicum diſputat, ipſa quæſtione Duali[...] ſmum profitetur. Si alterutrum neges, ceſſa[...] Harmonia, ceſſat quæſtio, ceſſat & reſponſio[...]

§. 6. Quando Harmoniam *maxime præſtabilitam ex mente Leibnitii* appellavi, illud ideo factum intelligas, ut ex inſcriptione poſſis conjicere, quid maxime ſyſtematis noſtræ paginæ ferant, cui præcipue fini deſtinentur? Adducam & reliquas explicandi rationes, & ventilabo etiam, quatenus ea res commentationem noſtram pleniorem, atq; ad memoratam hypotheſin explicandum viam facit planiorem. Neque enim id mihi onus impoſui, ut quicquid de illis vel edictum eſt, vel in eas dici poteſt, operoſus colligam. Sed præmittam iſtas, ut quibus viis ad Harmoniam Præſtabilitam devenerit *Leibnitius* (i), pervideas, & ſimul ipſe manum quaſi ducentem ſecutus, in eandem ſic incidas. Quare *Præſtabilitam* dicamus, rectius dicetur, quando ipſum Syſtema explanabitur.

§. 7. Illud ſaltim hic monendus es, *me non de*

poribus diſtinctorum, & corporum quoque in univerſo exiſtentiam, & in hominibus Unionem ſive harmoniam concedunt: Quæ ſolennis eſt hodieque philoſophandi ratio.

i) v. Esſais de Theodicée ſur la bonté de Dieu, la Liberté *de l' homme* & l' origine du mal. §. 59. - -

de omni (k) *Harmonia Præstabilita*, qualem *Leibnitius* asseruit, in hisce paginis *acturum esse*: Sed de Harmonia solum Animi atque Corporis præstabilita. Scilicet ille universalem rerum creatarum omnium (l) inter se harmoniam, corporum inter se omnium, spirituum inter se omnium, corporum atque spirituum sibi mutuô respondentium inter se, Naturæ adeo universæ, imo & Naturæ atque Gratiæ (m) divinæ conspirationem ex principiis suis adstruxerat.

§. 8. Quod, ut facilius intelligas, sciendum est: Ex Leibnitii placitis *unicuique substantiæ*

 n)

k) Obiter moneo, nisi sententiarum Leibnitianarum curiosus fueris, posse Te transilire §. 7. - 11, incl. Historica est tantum enarratio: Et fortasse difficilior, quia brevitatem hic imperat rei, tantum incidentis, natura.

l) vid. Essais de Theodicée, §. 62. ubi: „ Ainsi étant d'ailleurs persuadé du Principe de l'Harmonie en general, & par consequent de la préformation, & de l'Harmonie preétablie de toutes choses entre elles, entre la Nature & la Grace, entre les Decrets de Dieu & nos actions prevües, entre toutes les parties de la Matiere, & même entre l'avenir & le passé: Le tout conformement à la souveraine sagesse de Dieu, dont les ouvrages sont les plus harmoniques, qu' il soit possible de concevoir. „

m) Cum Naturam & Gratiam appellamus, cave, illam interpreteris conditionem humanam, qualem à Nativitate experimur, quam divinæ gratiæ & voluntati in singulis hominibus adversam hodie fatemur. Sensum istius parallelismi Leibnitianum vide mox §. 10. not. q.

(n) creatæ vim quandam, sive principium acti-
vum à DEO, Universi Auctore, inditum esse
ex quo sine mutua (o) substantiarum in se in-
vicem actione reali & transitiva, mutationes
uniuscujusque tanquam ex domestico fonte ...
invicem consequantur: Ita quidem, ut muta-
tiones hujus substantiæ caussaliter dependeant
ab ejusdem hujus substantiæ vi interna atque
statu antecedente interno, consentiant (p) ta-
men mutationibus substantiarum reliquarum,
quæ & ipsæ pendent à statu earundem antece-
daneo. Quoniam vero consecutiones istæ non
casu contingant aut fortuito eveniant, sed Le-
ges observent atque ordinem: inde fieri, ut
substantiis semel à DEO harmonicè constitutis,
constanter in posterum conspirent; siquidem
ubi antecedentia sunt harmonica, etiam con-
sequentia consentire oporteat, & consentienti-
bus caussis (statu scil. antecedaneo respectu sui
consequentis) etiam effectus sibi respondeant.
Eum vero parallelismum earundem perpetuum
vides esse Harmoniam, & præstabilitam qui-
dem, quatenus à primo statu harmonico pen-
dulam.

§. 9. Ista de substantiis generatim: *In corpori-*
bus

n) vid. Acta Eruditorum, A. 1694. p. 111. - & A. 1695.
p. 145. - -

o) vid. Suppl. Act. Erud. T. VII. Sect. XI. p. 500. n. 7. &
Monadologia, n. 7. p. 3. 4.

p) vid. Suppl. Act. Erud. l. c. p. 507. n. 53. & Monad. n.
53. p. 26.

bus speciatim id principium activum esse vim motricem, cujus perennis ad motum producendum nisus, pro reliquorum corporum ambientium statu atque ad hoc corpus habitu sive relatione, limitatus, secundum leges motuum à DEO sapientissime selectas, consequentes motus producat; ita quidem, ut, quoniam illa limitatio vis primitivæ vel originarii nisus in omnibus corporibus sit harmonica, iisdemque agatur Legibus, non possit non, introducta semel, à principio altiori, corporum harmonia perennare, dum idem illud agens sublimius parallelismum, à se constitutum, interturbet. *Spiritibus* verò, vel in Universum Monadibus, simplicibus substantiis, principium activum esse vim mundi perceptivam sive repræsentativam, cujus perennis ad novas in se perceptiones producendas appetitus, pro creatorum ceterorum statu limitatus, secundum Leges appetituum à Deo sapientissimè delectas, consequentes perceptiones evolvat; ita quidem, ut, quoniam illa vis primitivæ, vel appetitus originarii & universalis limitatio in omnibus Monadibus sit harmonica, iisdemque fluat Legibus, non possit non introducta semel à principio altiori Monadum inter se harmonia perennare, donec Deus illam interturbare velit, vel sufflaminare.

§. 10. Neque id solum, sed & *Monadum perceptiones atque corporum motus inter se præstitutos esse harmonice*: Siquidem prima perceptionis

atque appetitus Limitatio non minus pro co
porum in universitate statu, quam pro ceterarı
Monadum perceptionibus determinata fuer
Unde nova in Naturam rerum Harmonia in
troducitur, quam caussarum efficientium & fi
nalium dixit Leibnitius. *Corpora* enim *mo*
physico feruntur à caussis efficientibus, impetum co
pori imprimentibus: Sed *Monades appetitu se*
motu metaphysico & morali reguntur à caussis fina
libus, inclinationem illis largientibus. Ita con
sentit *regnum caussarum finalium atque efficientium*
Et *Mundus Moralis* conspirat *Naturali*: *Et Deu*
machinæ Architectus eidem ut *Monarchæ Civita*
tis Divinæ spirituum. Quamvis hæc ultima sen
sum adhuc (q) ampliorem admittant, à quo i
philosophica hac exercitatione abstinemus.

§. 1

q) Istis quippe vocibus aliquando & Harmoniam Grati
atque Naturæ exprimit, quando in Princip. Philos. se
Monadologia n. 90. - 92. ita loquitur: „Hic nobis al
Harmonia memoranda venit, quæ inter Regnum Ph
sicum Naturæ & Regnum Morale Gratiæ intercedit, ho
est, inter Deum, quatenus consideratur ut Architect
Machinæ, & inter Deum eundem, quatenus
Monarcha Civitatis Divinæ spirituum spectatu
Ab hac Harmonia pendet, quod res deducar
ad gratiam per ipsas vias naturæ, & quod hic gl
bus, ex. gr. destrui & reparari debeat per media natı
ralia iis momentis, quando regimen spirituum id p
stulat, ad aliquos puniendos, ceteros remunerando
Asseverare etiam licet, Deum tanquam Architectu
satisfacere Deo tanquam Legislatori ex asse, atque f
peccata consequi debere pœnas per ordinem Natur
& structuræ rerum Mechanicæ; bonas etiam action

§. 11. *Vis Leibnitium ipsum audire*? Faciam ergo eum loquentem: Sic ille (r): „ Ex his (præmissis Philosophiæ principiis) duplicem, eumque perfectissimum parallelismum constituo. Unum inter principium Materiale & Formale, seu inter corpus & animam: Alterum inter Regnum caussarum efficientium & regnum caussarum finalium. *Et post nonnulla alia*: Hoc modo fit, ut omnium naturalis ratio reddi possit in Anima corporeq; dum status præsens corporis ex statu præcedente nascitur per leges caussarum efficientium, & status præsens animæ ex statu præcedente nascitur per leges caussarum finalium. Illic series motuum: Hic series appetituum. Illic transitur à caussa ad effectum: Hic à fine ad medium. Et revera dici potest, repræsentationem finis in anima caussam efficientem esse repræsentationis mediorum in eadem: Atq; ita à parallelismo inter caussam materialem & formalem in viventibus, seu in Naturæ Machinis, deducti sumus ad parallelismum inter Efficientes & Fines. &c. „

§. 12. *Sed quorsum ista omnia*? Scilicet, ut intelligatur, nos omnem Harmoniam præsta-

 bili-

secum trahere remunerationes per media machinalia respectu corporum, quamvis idem nec possit, nec debeat constanter extemplo accidere „. vid. Suppl. Act Erud. l. c. p. 513. Quæ quidem omnia hic nostra non facimus.

r) In animadversionibus circa assertiones aliquas Theoriæ Medicæ veræ p. 4. & 5.

bilitam persequi non velle, pro universa, in quam Vir illustris eam diduxit, amplitudine. Verum id agere nos, ut aliquam ejus partem, nobis proximam & domesticam, expendamus fusius, cæteras ex occasione tantum perstringamus. Ita vero jam, remotis, quæ præscindi debebant, ad Harmoniam Corporis atque Animæ explicandam propius accedimus, istum maxime ordinem secuturi, quem rebus dijudicandis facillimum arbitramur. Dicamus, quot phænomeno huic exponendo systemata excogitari possint? Et qualia sint singula ista, pensitemus.

SECTIO SECUNDA

De

Numero Systematum sive Hypothesium.

§. 13.

TRia *esse* cognita hactenus *Systemata*, quibus Eruditi Harmoniam Animi & Corporis Humani explicare connisi sunt, id existimo, vix cuiquam ignotum esse eorum, qui rei Litterariæ curiosi sunt. Sed fortasse pauciores in id inquisiverunt, annon excogitari plura possint? Ego sic rationes subduco meas, ut, *simplicia plura* inveniri posse, *negem*: Varie modificata & inter se composita dari plurima, non

in-

inficior. Sed, quid ea compoſitione liceat proficere, deinceps conſtabit luculentius.

§. 14. Scilicet, ſi quæ res mutuo conſpirare debent, vel abſolutè ſunt neceſſariæ, vel contingentes, utraque aut alterutra. *Si utræque* ſunt *neceſſariæ*, conſpirationis mutuæ non alia quæri cauſſa vel poteſt, vel debet, quam ipſa cujusque natura, quæ rem cogit ita determinatam eſſe, adeoque, ſi cum altera contendatur, ſimilem facit & harmonicam. Atqui illa, de quibus in præſentia nobis ſermo eſt, non ſunt neceſſaria; alterum enim contingens (s), alterum præterea & liberum eſſe novimus. Igitur illa ne quidem in mentem hic venire ſolent, quaſi Harmonia utriusque niteretur neceſſitate ſingulorum.

§. 15. *Si utræque res ſint contingentes* in mutationibus ſuis, altera alteri reſpondebit, ſi vel à ſe dependeant mutuo per influxum alterius in alteram, eundemque realem: Vel ſi non dependeant à ſe mutuò, pendeant vero à communi cauſſa dirigente (t). Si à communi cauſſa diri-

s) Non moramur hic Neceſſitatem Hobbii, vel Spinozæ, quam nemo felicius profligavit, ac Leibnitius, iis obſervationibus, quas Theodicæa continet §. 345.-349. Journ. des Sçav. 1691. 18. Juin. p. 390. 391. Recueil Tom. II. p. 133. 134. 135.

t) Cave, hic tertium interferas: Si dependeant à diverſis quidem cauſſis dirigentibus, ſed harmonicis. De illis enim eædem recurrunt quæſtiones: Quid eſt, quod illas faciat harmonicas, an mutuus influxus? An tertia cauſſa conſtanter dirigens, repetitis actibus? vel

dirigente, illa vel constanter alteram ex altera determinat, vel semel atque simul harmonice constitutas, unamquamque suis permittit legibus, quarum ope mutationes certo se ordine modoque insequantur in utraque, adeoque maneant harmonicæ.

§. 16. *Si alteram velis necessariam esse, contingentem alteram*, præterquam quod id nostro casui applicare non liceat, eædem, quæ modo, caussæ determinationis esse debent, non utrinque sane, sed ex parte contingentis, quæ non potest conspirare cum re necessaria, nisi vel ab ea pendeat per influxum ejus, atque actionem in ipsum contingens, vel per externæ caussæ directionem, eandemque aut perpetuo iterandam, aut semel faciendam atque legibus alligandam generalibus.

§. 17. *Non dari alium Harmoniæ in contingentibus fontem* (v), facile intelligitur. Contingentia enim, cum aliter esse possint, determinationis suæ rationem habere debent: Illam autem nisi in determinante caussa frustra quæsiveris. Ita-

ordine & legibus semel constitutis? Aut fortasse hoc suffugium fore putas, si utramque caussam dirigentem facias intelligentem, ita enim se altera alteri accommodare potest? Verum, si corpus ab intelligente caussa dirigitur, cur non ab ipsa anima? Difficultates enim eædem & ibi persistunt, novis auctæ, & ambages hic evitari possent. Puto intelligi, quid velim?

v) Redeo hic ad hypothesin §. 15. illa enim pertinet ad institutum nostrum: Possis tamen idem facillime & ad casum §. 16. accommodare, si opus foret.

Itaque vel alterum alteri x) est caussa determinans (vides *influxum*) vel ab eadem caussa determinatur utrumque, & id vel repetita & immediata semper actione (vides *Malebranchianismum*) vel mediante aliquo ordine primitus constituto (vides *Harmoniam Præstabilitam*). Si casu id fieri velis, scito, me nulli positivo caussam negativam, nulli determinato rationem indeterminatam affingere: Vel, ut planius dicam, mihi certum esse, quod nulla existente caussa nullus sequatur effectus. Casum autem non esse caussam, sed ejus potius exclusionem, quis non videt? y)

§. 18. Equidem non dubito, quin ista satis clare dicta sint attendentibus: Faxo tamen, ut *exemplo* res fiat quam clarissima. Fac, duo esse horologia z), quæ consonare debeant: Obtineri id potest triplici methodo. *Una* per influxum, si feceris, ut alterum agat in alterum, id-

x) Loquor hic generalius, *alterum alteri*, ut comprehendatur influxus, sive mutuus utriusque, sive non mutuus, qualem nonnulli sectantur.

y) Quando casum hic excludo, id dupliciter intelligendum est: Nolo casui tribuas harmoniam hoc sensu, quod utrumque casu feratur, & sic consentiat; neque etiam hoc, quod alterum casu mutetur, alterum verò Legibus suis convenienter priori accommodatum sit. Ubicunque enim casus est, ibi effectus nulla caussa datur, sive de harmonia ipsa loquaris, sive de consecutione mutationum in utroque, sive in alterutro.

z) Comparatio est Leibnitii, Journ. des Sçavans 19. Nov. 1696. edit. Batav. p. 708. 709.

idque vel mutuo, vel ex alterutro tantum latere: Hanc viam influxus vocabimus. *Secunda* est, si opificem operi comitem feceris, qui dissonantia ceteroquin vel cessatura in motu horologia singulis momentis sibi mutuo accommodet, alterum dirigens ex altero: Hanc viam vocabimus assistentiæ. *Tertia* est, si satis accuratas feceris eas machinulas, ut singulæ suas leges exactè sequantur, easdemque ab initio sibi respondere curaveris: Ita enim, cum utraque easdem vel similes exsequatur Leges, semel harmonicæ nunquam dissilient; quam viam Præstabiliti Consensus vel Harmoniæ dicimus.

§. 19. *Primam* viam *experimento* cognovit Illustris *Hugenius* a), ipse rei non expectatæ novitate percussus. Cum enim duo pendula longiora eidem asseri affixisset, continuæ quidem pendulorum oscillationes similes sibi tremores com-

a) Ita Leibnitius rem edisserit in iisdem Ephemer. Gallicis, l. c. „La premiere façon, qui est celle de l'Influence, a été experimentée par feu Mr. Huygens à son grand étonnement. Il avoit deux grandes pendules attachées à une même piece de bois; Les battements continuels de ces pendules avoient communiqué des tremblemens semblables aux particules du bois: Mais ces tremblemens divers ne pouvant pas bien subsister dans leur ordre, & sans s'entr' empecher, à moins que les pendules ne s'accordassent, il arrivoit par une espece de merveille que lorsqu'on avoit même troublé leurs batteme[ns] tout exprés, elles retournoient bientôt à battre ensem[-] ble, à peu pres comme deux cordes, qui sont à l'unison.

communicarunt particulis ligni; Qui cum se mutuo impedirent, nisi pendula inter se oscillationibus suis conspirarent, factum est, ut etiamsi data opera illæ turbarentur, sua tamen quasi sponte, & brevi tempore redirent ad concordiam. *Secundam* diligentia efficiat; quantumvis misere consiant machinæ. *Tertiam* arte obtineas & sapientia, quæ & consequentes prioris machinæ motus prænosse queat, & alteram priori harmonicam, neque minus exactam construere.

§. 20. *Substitue* jam, si placet, horologiis, salvis cetera differentiis, *Animum atque Corpus Tuum*: & collige, quot modis conspirare possint? Habes primo influxum, si mutuo, vel non mutuo in se agant; Habes Systema occasionale, si artifex Deus constanter illam harmoniam efficiat repetitis operationibus: Habes Harmoniam Præstabilitam, si semel concordia fecerit, atque unumquodque convenientibus sibi & alteri legibus regi admiserit. Itaque tria sunt Systemata simplicia, tres potissimum explicandi rationes pro Unione Animæ atque Corporis.

§. 21. Neque tamen negavero; posse *composita plura* hinc enasci systemata, quando volueris vel duo quæcunque, vel & omnia tria sic inter se connectere, ut aliam harmoniæ partem ex illo, aliam ex hoc, ex isto aliam derives: Verum illud consultum esse aut fieri utiliter, id hactenus nego. Non diffiteor, esse hujusmodi nonnulla Philosophiæ capita, ubi diverso-

rum Auctorum Systemata combinando aliquid proficere liceat; qualia sunt illa, ubi constat, quantitatem effectus esse majorem, quam ut ab unius solum allegatæ caussæ viribus proficisci possit. Vel ubi nondum constat, an alterutrius caussæ vires eo sufficiant, ut effectum integrum præstare queant, cujus quidem rei exempla in promtu forent, si nostræ disquisitioni essent necessaria. Atqui in nostro negotio rem secus habere, non, arbitror, negaverint, qui difficultates singulis objectas, atque inferius recensendas pensitaverint. Sunt enim illa argumenta hujusmodi, ut, si bona sint, mixturas quoque Systematum excludant; neque minus Te stringent, ubi aliquam commercii inter Animum & Corpus mutui partem velis ex influxu, aliquam ex assistentia, ex præstabilito consensu aliquam exponere, quam si ex uno fonte omnes scaturire jubeas.

§. 22. Interim neque illud inficior: posse aliqua horum Systematum *in ramos dividi*, & quasi divelli, quod deinceps constabit apertius. Ita scimus, *Tourneminium*, celebrem Jesuitam Gallum, in Commentariis Trivultinis, non concedere velle corpori actionem in animam, concedere autem animæ in corpus: Etsi, quod salvis melioribus hic dictum est, & inferius recurret, mihi videatur, ipsa re admittere, quod verbis impugnavit. Sed utcunque res habeat, Influxus est in Systemate Tourneminiano: Sive mutuus, sive non mutuus; influxus tamen, quem

quem & iisdem argumentis probat, quibus alii suum, & iisdem quoque modis defendit. Itaque habeatur ex illorum numero, eandemque cum illis classem subeat: Salvo tamen discrimine; salvis, quæ ipsi peculiares sunt, & prærogativis & difficultatibus.

§. 23. Velim autem, ut eadem ratione & reliqua examines, si quæ Tibi succurrant Systemata, ut ne nova putes, atque à prioribus longe dissita quæ pressius loquendo sunt priorum species & rami saltim, magis minusve inter se dissidentes. Saltim id suspicari, si me audis, nolito, esse Tibi quartum Systema consonantiæ diversarum cætera & contingentium rerum, donec in §. 15. & 17. nævum detexeris aut fallaciam (b).

b) Ut facilius examen sit, attende: Influxum posse concipi mutuum, corporis in animam & animæ in corpus; vel non mutuum, eumque vel corporis in animam, sine reciproco animæ in corpus, vel vice versa. Assistentiam sive Occasionalismum (venia verbo) posse considerari vel eum, quo dirigitur corpus ad voluntatem animæ, non vicissim ex corpore regendæ; vel eum, quo regatur anima ex occasione corporis, nihil vicissim occasione animæ patientis; vel eum, ubi utrumque pendet à dirigentis voluntate & opera, alterum alteri conformiter agendum; vel eum, ubi alternantibus quasi vicibus, cum anima seipsam determinat, ex ejus occasione corpus à rectore movetur, atque, dum corpus ab ambientibus afficitur, animæ sensus & ideæ ab eodem imprimuntur. Harmoniam denique præstitutam vel ita concipi, ut alterum suis legibus feratur, anima sive corpus, & alterum illi ab extrinseco demum accommodetur; vel ita, ut ex possibilibus infinitis utrinque illa seligantur, at-

Sed age, veniamus ad ſpecificum eorundem Syſtematum Examen, *eo* progreſſuri *ordine*, ut ſenſim ſenſimque explicentur, quæ pro majori in his rebus Phyſico-Metaphyſicis Lumine ſucceſſive exorto, vel falſa eſſe deprehenſa ſunt, vel ſuſpecta evaſerunt. Perveſtigemus initio *Influxum*, quem vocant, Phyſicum.

SECTIO TERTIA

De *Syſtemate Influxus.*

§. 24.

I*Nfluxum Animæ & Corporis communiter mutuum credimus*, eo ſenſu, quod 1. Anima, ſi motum fieri velit in corpore, eundem vi ſua activa producat, & vel immediate, vel mediantibus in corpore fluidis ejusdem organa moveat; quam animæ vim vocamus facultatem loco motivam: Quod 2. ubi à corporibus noſtrum ambientibus impetus fiat in noſtra ſenſuum or-

que in actum deducantur, quorum ipſa in ſe natura atque ordo conſecutionum mutuo conſpirent. Atque iſta de ſimplicibus: Compoſita ex illis non pauca faxis, quæ enumerare omnia non licet. Sed vel omnia tria componis; vel duo ſaltim; & quidem cum primo ſecundum, vel cum primo tertium; vel cum tertio ſecundum; idque vel reſpectu partium ſolum eſſentialium, ut v. gr. in corpus influat anima, ſed animæ corpus ſit occaſionale ſolum, vel reſpectu diverſarum in unaquaque facultatum & actionum, vel reſpectu utriusque generis mutuo commixti, & quæ ſunt ſimilia in infinitum.

organa, id sensum, perceptionem, ideam vel cogitationem in anima caussetur, atque adeo ex corpore transitus in mentem fiat. Priori casu *incipit* in corpore nostro motus, qui causam sui non in præcedaneo corporis motu habet, sed ex animæ appetitu & facultate ejus motiva illam repetit. Posteriori *vel desinit* in corpore motus, postquam animæ ideam impressit & in perceptionem versus est, nullo amplius motu, in Natura rerum corporea, priori respondente aut eum consequente, *vel*, si id fieri malis, novus ex priori motu motus etiam in corporibus *perseverat*.

§. 25. Opinor *hactenus* intelligi, quid sit, quod Systema influxus vulgatum postulat: Sunt enim ista *generica* saltim, quæ uteunque edisseri possunt. Determinatas vero & *specificas* istorum *rationes* intelligibiliter (c) explicatas frustra desideraveris ab iis, qui non difficiles concesserint, eas dari non posse (d). Neque enim hodie

 die

c) Non dico, *imaginabiliter*, quod *Tourneminius* alicubi substituit, atque in suo Systemate superfluum & alienum putat: Etsi fortasse alii in rebus ad corpora relatis, qualia hæc sunt in præsenti negotio, non tam faciles forent in dimittendis explicationibus etiam imaginabilibus, ut loquuntur.

d) Saltim ita communiter censeri notum est. *Si quis* fuerit, qui explicationem dari posse specialem & distinctam contendat, illius dicta pensitabo, ubi rei periculum fecerit. Hactenus certe doctissimi quoque viri in hoc negotio defecerunt. Exemplo inferius erit *Foucherii* discursus in Journ. des Sçav. 1695. p. 644.

die in illo operam Eruditi suam sive ponun sive ludunt, ut transitum ex corpore in animan ex anima reditum in corpus, ut metamorphosi motus in perceptionem, & ideæ transformatio nem in motum exponant, & species nescio qu sensibiles aut intelligibiles, activi passivique in tellectus opera, sine specie, sine sensu & sin intellectu crepent. Neque illud agunt, ut priori sententiam suam adstruant, quorsum ex plicatio ejus distincta pertineret: Sed à poste riori cognitam existimant, experientia proba tam dicunt, & sensu communi firmatam cre dunt. Videamus, id quo jure fiat?

§. 26. Certum est, si quis attenderit actioni bus suis atque passionibus, quas vocamus, illun experientia cogniturum, mutationes aliqua corporis consequi ad appetitus animæ diversos & diversas consequi perceptiones ad diverso corporis & sensoriorum modificationes: Id que constans esse & ordinarium in quibusdan actionum generibus, sic, ut posito animæ appe titu sequatur, sublato tollatur motus corpori & vice versa. Verum quis nescit, id Majori bus nostris non raro accidisse (e), ut *à compræsen ti*

e) Equidem id hodie notissimum est. Allegabo tamen ejus rei exempla, ut in promtu sint. Dic, unde sint tempe statum ex adspectibus Planetarum prognostica? Scio *Kepplerum* hic alias allegare caussas: Sed singularis est Keppleri adversus torrentem nitentis sententia. Unde prædictiones futurorum ex Astris adstruimus? Un de lunarem in plantas actionem & influxum arcessi-

tia duorum Phænomenorum *ad caussalitatem* fuerint argumentati? Et quis adeo miretur, ex constanti & perpetua atque adeo & reciproca ista mutationum compræsentia illos mutuam quoque & caussalem dependentiam intulisse? Præcipue, *si memineris*, *antiquis* temporibus pro caussæ & effectus mutuo respectu atque dependentia explicanda suffecisse hoc, ut qualitatem ab effectu denominatam allegaverint, atque caussæ hic in subsidium advocatæ adscripserint, etsi, quo modo illa ex definitione essentia vel natura ejus caussæ (hic animæ nostræ) atque primo istius (f) conceptu consequatur, ne suspi-

mus? Unde reliquas *artes*, *curiosas* vulgò, rectius inutiles, & superstitiosas plerumque, defendimus? Experientiam quidem appellamus. Non dico *jam*, qua fide? Dicam, quo jure? Accidit, ut ea, quæ sæpius in orbem redeunt, quorum multæ sunt & diversæ variationes, semel, bis, iterumque, tertium, quartum, &c. consentire videas? Ex eo caussalitatem eruis, & alterius ab altero dependentiam. Sit te illius culpæ immunem scias, saltem ita Veteres non paucos, & *vulgus* ratiocinari, vix abnegaveris. Quam id bene fiat, vid. *Wolfii* Gedancken von den Kräfften des Verstandes, c. 5. §. XI. p. 102.

f) Fuisse istum veteris *Philosophiæ defectum* communem, opinor, nemo contradixerit. In eo omnes consentiunt quod, quicquid in unaquaque re proprietatum est & facultatum, ex essentia ejus vel natura consequi debeat, adeoque in illa sui rationem habere, & ex ea explicari. Interim tamen ante *Wolfianas* de Anima Institutiones non memini, à quoquam in eo elaborari, ut animæ varias agendi aut percipiendi rationes ex uno aliquo essen-

cari quidem licuerit : *Nostris* verò temporibu
æque ac prioribus, id judicium à constanti com
præsentia ad caussalem dependentiam se animi
nostris jam ea ætate instillare, quæ rebus soli
citè distinguendis & caute dijudicandis non
dum sufficiat.

§. 27. Vides, quicquid dici pro influxu pos
sit, id omne comprehendi *titulo experientiæ*, &
sensus communis, ita loquimur, *testimonio*. Sub
eant illa examen accuratius, ut neque experi
entiam negare, neque illam sine caussa alle
gare dicamur. Atque hic distinguas velim id
quod *facti* est, & *historicum*, ab eo quod *ratio
cinationis* est & Philosophicum sive *dogmaticum*
Distinguas *experientiam*, atque de experienti
judicium Tuum : Distinguas *phænomenon*, &
phænomeni *caussam* : Distinguas id, quod *obser
vare* licet, ab eo, quod *inferri* debet. Certum
est, facta & phænomena observari per experi
entiam posse: Rationes factorum, & phæno
menorum caussas inferri judicio debere & ratio
ci

tiali conceptu distincte derivare possimus. *Ille* prim
atque hactenus unicus ex isto animæ conceptu, quo ex f
ctis experientia cognitis eruit, Animam esse substantia
universi pro situ alicujus corporis organici repræsentat
vam, omnes animæ, quas vocamus, facultates, sensit
vam cum phantasia & memoria, & appetitu & affectib
& intellectu & voluntate legitimo nexu intulit & disti
cte explicuit. Vid. Ejusdem **vernünfftige Gedanck
von GOtt/ der Welt/ und der Seele des Menschen**
c. V. fere integro; maximè §§. 747. 749. 753.--75
807. 831. 876.--878. &c.

cinationis vi. Cum enim obſervatio, adeoque experientia judicio contradiſtincta, abſolvatur ſola ad rem præſentem attentione adhibita, præter hiſtorica nihil continet. Expandi veſicam aliquam flaccidam & ſuperne clauſam ſub campana antliæ pnevmaticæ aptata, ſi extrudatur embolus: hoc phænomenon eſt, hoc experientia docet, hoc obſervatione detegitur. Sed äerem in veſica reſiduum id eſſe, quod eandem expandat, äere ambienti extracto: non obſervationis eſt, ſed judicii & ratiocinationis. Apparere jam ſuper Horizonte ſolem, qui prius eo occultatus erat, obſervationis eſt; An ſolis progreſſione, an terræ vertigine id factum ſit? rationis (g).

§. 28. *Intelligitur ex dictis*, quicquid præter nudam & ſimplicem facti narrationem in quacunque propoſitione contineatur, id non eſſe experientiæ, ſed ex eadem fuiſſe illatum: Ubicunque illatio, ibi examen intercedat neceſſe eſt, annon ex facto intuleris juſto liberalius, quæ non conſequuntur legitime & neceſſario. Jam dicere, quod corpus afficiat animam ſuis impreſſionibus & anima moveat corpus, ſignificat

g) Vix temperare mihi poſſum, quin hic transſcribam aliquos *Wolfianæ* Metaphyſicæ paragraphos. Sed amabo Te, ſi cum cura legas §§. 326. & ſeqq. & conjungas Logicæ C. V. ſupra allegatum, & vid. Experiment. Phyſic. P. II. c. III. §. 37. p. 84. 85. Facient iſta, ut nihil experientiæ tribuas, quod non inde conſequatur; quod ſane majoris operæ eſt, & artis & exercitii, quam prima ſpecie videbitur. Experti loquuntur.

ficat sequentia: 1. Quod ad volitionem animæ consequatur motus (id quod compræsentiam, vel si malis, consequentiam indicat, & facti est, adeoque observationis objectum) atque id quidem 2. ex vi animæ in corpus agentis: Et vice versa. Atque hoc judicium est, hoc dogmaticum est, & ex priori illatum. Quo Syllogismo? Compræsentiam experientia testatur: Habes medium terminum! Sed ex illo cave caussalitatem intuleris: Ex indeterminato effectu determinatam caussam. Quid ita? Constanter compræsentia esse possunt, non illa solum, quæ à se mutuo dependent, ut effectus & caussæ: Verum & illa, quæ communem caussam venerantur; illa enim posita non minus uterque effectus simul ponitur, quam caussa in universum posita ejusdem effectus quoque ponitur. Itaque plus est in conclusione, quàm in præmissis: Plus est in judicio, quam in observatione: plus in dogmate, quam in facto.

§. 29. *Quid inde concludimus? An, quod sententia* de mutuo animæ & corporis per influxum realem inter sese commercio *falsa sit?* Ita videtur consequi. Duæ enim sunt cognoscendi viæ, quibus ad rerum notitiam pervenire datur hominibus: A priori altera; altera à posteriori. Illa ex distinctis rerum ideis (h) caussarum

h) Suppono hic *definitiones* idearum clararum & distinctarum eas, quas primus determinavit Illustris *Leibnitius*

rum vires, & effectuum quantitates eruit, &, si fieri potest, metitur: Haec ex phaenomenorum experientia cognitorum circumstantiis ad eorundem caussas eruendas deducitur. Si primam velis insistere, oportet, ut & caussae & effectus claram, distinctamque plus, minus ideam habeas, atque ex altera possis rationem dare alterius, hoc est, explicare ea, quae in effectu licet distinguere ex illis, quae cognita sunt de caussis. Atqui illam viam calcare non possumus cum de anima quaeritur, & illius in suum corpus organicum actionibus v. §. 25. Neque altera per experientiam methodus rem sufficienter probat, ut modo vidimus §. 27. 28. Quidni igitur *falsam* illam opinionem dicere liceat, & *fictitiam*?

§. 30. *Fictitiam quidem*, non repugnavero: Sed *falsam nondum* dixero. Certum est, ubi nec à priori innotuit, nec à posteriori observatum est, aut legitime illatum, quod asseritur, ibi rationem non esse, quare idem asseverari possit: Itaque, si quid asseritur, id *commentum* est, non semper mali animi, aut indocilis, sed praecipi-

 tati

in schediasmate, (quicquid Lockio videatur & Molineusio in epistolis) longe praestantissimo in Actis Erud. 1684. p. 537. & postea repetiit Chr. *Wolfius* in Comment. de Methodo Mathematica, T. I. Elem. Math. p. 6. easdemque plenius deduxit in Logica c. 1. & usui amplissimo applicuit, tum passim in Logica, tum praecipue in Metaphysica c. 3. & 5. sparsim: Reperias nuper in *Dissertatione nostra* de Triplici rerum cognitione, historica, philosophica & mathematica, §. 19. 36. &c.

tati tamen judicii: culpa est attentionis, non mentis veritati adversantis vitium; gravior sane, quo minor ita judicandi caussa est vel species, sed quo major probabilitas erat, quæ non cautissime circumspicientibus poterat imponere, eo culpa levior est. Quare *nolim*, *id convitii vocabulum* interpreteris, & hoc nomine insultari putes Viris omnino Doctissimis, quibus hoc Systema per experientiam probari videtur, quod eorum vitæ & studiorum ratio tantam in rebus circa experientias physicas diligentiam aut non requisiverit, aut non admiserit, quantam huic rei necessariam esse, modo vidimus: Sed nolim quoque, ut Maximorum Virorum auctoritate & calculis redarguere figmenti, rationem atque eorum testimonio veritatem Systematis superstruere in animum inducas. *Sic veniam petimusque damusque vicissim.*

§. 31. Non deest itaque (sic dicta hactenus evincunt) argumentum nobis, quare admitti & *asseverari non possit* id Systematis, quod influxum animo corporique mutuum adscribit: Quæ enim neutro fonte deducuntur ex cognitis, neque à priori Synthetice, neque à posteriori Analytice, illa ego asseverate nunquam dixero; saltim non jure dixero, si qua eam mihi culpam obrepere passus fuero. Sed videamus quoque, num suppetant, quibus id *falsi convincere* & refellere liceat, rationum pondera? Id ut perfici possit, notum esse Lectoribus suppono, si quid rejici, ut falsum, debeat, ostendi

opor-

oportere, quod id vel cognitæ antehac veritati contradicat, aut Corollario veritatis agnitæ (i): Vel quod ipsius Corollarium repugnet veritati cognitæ, aut ejus Corollario. Si nihil horum demonstravero, ipse ego primus nego, evictam esse Systematis falsitatem (k): Si unum eorum ad liquidum deduxeris, nihil amplius postulaverit morosior quicunque Antagonista.

§. 32. Foret argumentum hujusmodi illud *Cartesii* & sequacium, qui in Systema vulgatum vertunt Canonem, ipsis indubium; modo Recentiores illum ipsum non convicissent falsitatis, atque Cartesianis eum extorsissent e manibus, non sponte illum dimittentibus. Existimavit quippe Cartesius, *Eandem in Universo conservari motus quantitatem*, ex massa mobilis in celeritatem ejus æstimatam: Atque ex eo suppo-

i) *Obiter moneo*, si quis corollarium veritatis cognitæ, sub ipsa illa veritate comprehendi velit, me non adversari: Sed distinctionis hic factæ caussam esse, quod veritas cognita mihi spectetur hic, ut olim cognita, per phantasiam atque memoriam animo denuo repræsentata & agnita: Corollarium ejus intelligatur, ut nunc demum ex ea illatum vel inferendum. Ista enim, si discreveris, aliquando in examine sententiarum faciendo & detegendis, quibus ad sua pervenerunt Eruditi, viis, utilitatem præstare possunt.

k) Infertur hinc, *falli eos*, qui rem omnem confectam putant, ubi confessionem ab adversariis extorserint, quod intelligi non possit, quomodo vel spiritus agere possit in corpus, vel & corpus in spiritum? Quem errorem & *Wolfio* notatum videas in Metaphysica c. 5. §. 762.

posito, recte intulit, non posse influxum realem animæ atque corporis habere locum. Quid enim? Si ex voluntate animæ producitur in corpore motus, qui sui caussam non habuit antea in corpore, ejusdemque antecedaneo motu: novus in universo motus oritur; adeoque *augetur* quantitas motus (l) Cartesiana. Sin ex motu corporum ambientium fiunt impressiones & motus fibrarum in nostro corpore, atque ex hisce deinceps dolor aut voluptas oritur, sic ut prior motus jam cesset, & in cogitationem, ut sic loquar, transeat: aliquis in universo motus perit; adeoque *minuitur* quantitas motus Cartesiana.

§. 33 Sed quis est hodie, qui nesciat, *falli hic Cartesium.* Primus id *Leibnitius* (m) demonstravit & contra exceptiones *Catelani* Abbatis & *Dion. Papini* defendit, agnovit *Malebranchius*, qui & ipse prius Cartesianam (n) hic mentem in-

l) Quare *Cartesianam* hic semper motus quantitatem appellaverim, norunt, qui ex *Leibnitianis*, *Wolfianis*, *Hermannianis* &c. norunt, esse hanc quantitatem impetus, vel momenti sollicitationis, non ipsius motus, cujus tanquam entis successivi quantitas æstimanda potius est, ex impetu in tempus. v. Wolf Elem. Math. T. I, El. Mechan. §. 19. p. 542.

m) Vid. Acta Eruditorum 1686. p. 161. 1689. p. 186. 195. 1690. p. 228. 1691. 6. sq. & 439. 1698. p. 429. Nouvelles de la Republ. des Lettres 1686. p. 996. 1687. p. 131. 577. 952. Journ. des Sçavans 1693. p. 651. & passim.

n) v. Recherche de la Verité Libr. 6. cap. ult. & confer. ejus epistolam in Nouvelles de la Rep. des Lettres 1687. p. 449.

induerat, oftendit & *Newtonus* (o): ut omnino probem verba Leibnitii (p), qui jam A. 1696. fe mirari dixit, viros doctos adhuc admittere eandem motus quantitatem, fenfu Cartefiano; mireris vero etiam, Doctiffimum Anglum, *Sam. Clarckium* (q) ita loqui, quafi ipfe per Newtoniana Leibnitio eam confeffionem extorfiffet, qua concefferit, quantitatem motus in univerfo eandem non confervari. Scilicet id diu ante Newtoni edita Leibnitius demonftraverat, locis fupra allegatis.

§. 34.

o) Traité d'Optique L. III. quæft. ult. edit. Gallicæ Amftelodamenfis p. 569. edit. Latinæ p. 341.

p) v. Journ. des Sçav. 1696. 19. Nov. p. 712. edit. Amft. ubi: „Je m'étonne, qu'on dit encore, qu'il fe conferve toujours une egale quantité de mouvement, au fens Cartefien; car j'ai demontré le contraire, & deja d'excellens Mathematiciens fe font rendus„ conf. & A. E. 1698. p. 429. cum Cel. Sturmii Nat. fibi incaffum vindicata. c. 3. §. 2.

q) v. Recueil de diverfes Pieces &c. Reponf. V. § 98. T. I. p. 180. „Enfin, l'Auteur ayant confideré la demonftration de Mr. Nevvton, que j'ai citée ci deffus, eft obligé de reconnoitre, que la quantité du movement dans le monde n'eft pas toujours la même„ &c. conf. Leibnit. epift. V. §. 99. T. I. p. 135. & Clarke Refp. IV. §. 38. p. 77. & refp. III. §. 13. p. 46. vel, fi Germanica habeas, vide Merckwürdige Schrifften zwifchen Leibnitz und Clarcken locis allegatis. Fontem vero illius Clarckianæ aberrationis hunc habe. *Leibnitius* ab initio ftatim epiftolarum fuarum loquitur de viribus, earumq; eandem femper quantitatem confervari afferit: *Clarkius* de quantitate motus ex maffa in celeritatem æftimata loquitur. Verum illa differunt ex Philofophia Leibniciana; de quo videas demon-

§. 34. Ista igitur ratione *Leibnitius* præcipuum totius alicujus sectæ *argumentum* Systemati influxus oppositum *subruit.* Non tamen ea re id salvum præstitit ab objectionibus, ex eodem fonte derivandis, ex quo primam scaturire vidimus. Scilicet ostendit idem ille, loco Cartesiani Canonis, naturæ rerum adversi, alium potius substituendum esse, qui *identitatem quantitatis Virium motricium* (r) ex massa mobilis in Quadratum celeritatis æstimandarum, asserit. Quod ipsum vel ex eo *convenientius* esse deprehenditur, quod motus quidem, res successiva, nunquam possit dici existere; etsi enim partes habeat, nunquam eæ tamen sibi coexistunt, sed fluunt: principium autem motus, vel vires in corporibus (s) motrices revera existere, ex ipso motu successive ab iisdem producto intelligitur.

§. 35.

---

strationem *Eminentis Viri*, *Jo. Bernoullii*, apud Wolf. Elem. Mech. §. 275. T. I. Elementorum Latin. p. 594. 595. Perfectam adeo, ut renitentibus assensum obtruserit.

r) Imo & actionis motricis. v. Leibnit. Act. Erud. 1698. p. 429.

s) Dico in *Corporibus*, non, in materia. Fateor, materiam esse pure passivam; vel, si malis, *vi inertiæ* præditam, qua fiat, ut nec motum incipiat per se, nec finiat: De qua olim *Kepplerus*, postea *Cartesius*, *Leibnitius* passim, & *Newtonus* in Princip. def. 3. Quomodo autem corpora distingui velim a materia, docebit *Wolfius* in Metaph. c. 4. § [illegible] discernimus in corpore, materia[illegible]toponitur; essen-

§. 55. Videtur adeo *brevis* futura nostra *disceptatio*, si identitatem virium motricium in universo vel demonstrare (t) vellem, vel supponere demonstratam. (u) Nemo enim non videt, si animæ volitiones motum efficiant in corpore nostro, reliquis imprimendum, augeri sic in corporibus, sive universo, corporum complexu, vires motrices (x): & minui, cum ex diversorum corporum motu, atque in sensoria nostra impulsu oriantur perceptiones. Sed malo, quia fieri potest, abstinere manum à calculis, quib' id ex corporum percussione eruitur, magis etiam à demonstrationibus difficilioribus, quibus calculum vitaturus implicarer: Maxime ideo, quod verear, ut adversarii Legem identitatis, quam dixi, ad percussionem corporum mutuam sic restrictam velint, ut diversum obtinere dicant, si corpora moveantur à spiritibus, & vice versa, si spiritus afficiantur à corporibus (y)

tiam compositi qua talis, sive modum compositionis materiæ; & naturam, sive principium mutationum, id est, vires motrices.

t) vid. Wolfium in Elem. Mechan. §. 425. 426. T. I. Elem. Lat. p. 634.

u) vid. eundem in Metaph. §. 709 & 762.

x) Fac enim corpori jam moto, novum à me celeritatis gradum, voluntaria hujusmodi actione imprimi; erunt vires vivæ istius corporis, ex massa in quadratum celeritatis æstimatæ, jam majores, atque antea; neque quicquam tamen ex aliis corporibus in meum transiit, quod inde huc translatum sit.

(y); quemadmodum in simili caussa (z) conc
dunt, corpora moveri non posse sine contac
physico à corporibus, posse tamen à spiritibu
etiam finitis, contactu, quem vocant, mora

§. 36. Neque ego pro universalitate istius r
gulæ contra adversarios hosce satis confidere
(a) in *convenientia rei*, quam nemo facile neg
verit. Quis enim non videt, illud magis conv
nire Universitati rerum à sapientissimo simul a
que potentissimo artifice conditarum, ut qu
realia sunt (in quorum censu posuimus prin
cipia motus sive vires motrices §. 34.) constan
tia sint, atque illa tantum varient, quæ prio
rum limitationes fuerint & modificatione
Itemque: ut, quæ in corporibus fiunt mutatio
nes, sui principium habeant in corporibus, ne
extra eadem in spiritibus, nescio quo vinculo
ipſ

y) Ita vero *conjeceram* ego, dum mense Julio Anni 17
ista conscriberem; quam id feliciter, ex eo colligas, qu
nuperrime Amici literis admonitus fuerim, Celeb. *Gott*
Polyc. Müllerum non ita pridem in diss. de Theoria se
suum Generali, Lipsiæ excusa, idem opposuisse *Christia*
Wolfio. Transmitto autem illa, quoniam ab eo argumen
hic abstinui: Neque necessarius est Viro Eruditissimo H
peraspistes.

z) Huc confer. *Joh. Alph. Borellum*, de vi percussion
c. 2. sub fin. §. Quoad alteram partem, & seq. p. 6. ed
Lugd. Bat. 1686.

a) Hanc mihi cautelam expressit *Sam. Clarckii*, Celeber
mi Theologi & Philosophi Angli, exemplum in respo
sionibus ad Litteras Leibnitianas. v. Epist. I. §. 4. Resp
§. 4. & quæ deinceps in sequentibus ad hosce paragr
phos vindicandos pertinent. Addo hic prima falti

ipsis adhærentibus vel innexis; & quæ in spiritu limitationes cernuntur, sui rationem inveniant in spiritu, domesticam adeo, non peregrinam, ex comite spiritus corpore repetendam. Verum ista hic non premam, nisi ipsi Tibi pondus trahere videantur.

§. 37. *Argumentum*, quod præsenti instituto conveniat, quod, nisi ego fallor, *facile* sit, & quam fieri potest, minimum scientiæ Physico-Mechanicæ, aliunde repetendæ, supponat, nobis exhibere potest Canon Metaphysicus,

C qui

quæ ceteris occasionem fecerunt, ad *Serenissimam Wallia Principem* à Leibnitio perscripta. Ita ille: "Mr. Newton & ses sectateurs ont encore une fort plaisante opinion de l'Ouvrage de Dieu. Selon eux, Dieu à besoin de remonter de tems en tems sa montre; autrement elle cesseroit d'agir. Il n'a pas eu assés de vüe, pour en faire un mouvement perpetuel. Cette machine de Dieu est même si imparfaite selon eux, qu'il est obligé de la decrasser de tems en tems par un concours extraordinaire, & même de la raccommoder, comme un horloger son ouvrage: qui sera d'autant plus mauvais maitre, qu'il sera plus souvent obligé d'y retoucher, & d'y corriger. Selon mon sentiment, la meme force & vigueur y subsiste toujours, & passe seulement de matiere en matiere, suivant les Loix de la Nature, & le bel ordre préétabli. Et je tiens, quand Dieu fait des miracles, que ce n'est pas pour soutenir les besoins de la Nature, mais pour ceux de la Grace. En juger autrement; ce seroit avoir une idee fort basse de la sagesse, & de la puissance de Dieu". Quæ deinceps disputata sunt, brevitatis studio hic transiliam: Est enim Libellus, saltim ex Germanica editione, in omnium fere manibus.

qui præcipuum Legibus motus principium
præbet, Leibnitio mirifice (c) semper comme
datus. Illud autem vult Canon noster, *effect*
integrum æquipollere caussæ plenæ, atque adeo in
effectum & caussam, perfectam semper æqu
tionem obtinere. Voco autem *effectum in*
grum, quidquid ab actione caussæ proficiscit
aut pendet, sive illa resistentiæ corporum s
perandæ impendatur, sive alium adhuc extra
se effectum producat. Et *caussam plenam* dico
istas vires, quæ integro huic effectui producendo applicantur atque impenduntur, omnes
& solas. Non dubitem, si hoc perpendas, facilem Te canoni nostro assenssurum esse. Sed conjungamus eum, cum *subsidiariis quibusdam*! Notum est communiter, materiam omnem sive
quiescentem, sive motam, perseverare in statu
suo quiescendi, vel movendi (veniam voci
Newtonianæ) uniformiter in directum, nisi
quatenus à viribus impressis cogitur statum illum

b) v. Theodic. §. 346. Nouvell. de la Republ. des Lett. 1687. m. Fev. p. 137.

c) Existimo enim, recte *Collectores* Actorum Erud. A. 1700. m. Majo p. 196. verba *Leibnitii* de hoc Axiomate interpretari, quando is ad *Oldenburgium* scribit: - - - „ex quo circa regulas motuum mihi penitus perfectis demonstrationibus satisfeci, neque quicquam amplius in eo genere desidero. Tota autem res, quod mireris, pendet ex *Axiomate Metaphysico* pulcerrimo, quod non minoris est momenti circa motum, quam hoc, totum esse majus sua parte, circa magnitudinem„

lum mutare (d): In pleno eam moveri non posse, nisi tantundem materiæ loco pellat, idque eadem celeritate, & secundum eandem directionem: In vacuo eam continuare motum, quia nihil est, quod motui resistat: Denique autem, sisti motum resistentia, sive reactione præcise æquali, neque majori neque minori, quam fuit ipse impetus corporis moti; majori enim reactione reflectitur corpus, ut moveatur porro, sed in plagam priori contrariam, minori autem imminuitur celeritas quidem, sed manet motus tamen in eandem plagam (e). Jam si placet componamus ista, atque in nervum compingamus.

§. 38. *Sint primo omnia plena*, &, si Cartesiana Tibi dogmata placeant, *corpus* per se *indifferens* (f) *ad motum*, adeoque nullo ex se nisu præ-

d) v. *Newton*, in Princip. Lege I. p. 12. Wolf. Metaph. §. 610.

e) Sunt facilia omnia, alioquin hic ulterius deducenda. *Primum* ex inertia & passivitate materiæ: *Secundum* ex natura pleni & motus; *Tertium* ex primo: *Quartum* constat ex ratione in textu exposita. Confer tamen, si placet, scriptores mechanicos passim, & *Wolfium* in Metaph. c. 4. §. 669.

f) *Scio* sane per demonstrationes Leibnitianas in Journ. des Scav. 1691. 18. Juin. p. 385. Nouvell. de la Rep. de Lettr. 1687. p. 142. & passim, Legibus Naturæ adversam esse *istam* hypothesin: Sed, quoniam id fortasse non omnibus videtur, operæ pretium fuerit, etiam hoc dixisse.

ditum, quo possit resistere motui sibi imprimendo: Dicam, facto per corpus motum impetu in meum corpus, ita ut motus in sensoriis organis consequatur, motum iri amplius in universo, præcipue meo corpore, *tantundem* massæ, celeritate eadem & secundum eandem directionem per §. 37. Itaque habes effectum integrum caussæ plenæ æquivalentem: Itaque, si & ultra motum istum, perceptionem mentis (g) ex eadem hac caussa derivare sustineas, effectus potior erit sua caussa: Itaque necesse est, illa perceptio aliam ab hoc motu caussam sui agnoscat: Itaque in hac hypothesi neque corpus est neque corporis motus, qui perceptionem & mutationes perceptionum in mente efficiat.

§. 39. *Sint secundo* loco iterum *plena corporibus omnia, habeant illa vim inertiæ*, qua non cedant im-

---

Intelligitur vero, me in *hoc* paragrapho considerare alterum corpus præcise ut motum & alterum ut adhuc indifferens. Si enim, etiam in Cartesiana hypothesi, illic impetum potius consideras, & hic corpora contrariis directionibus mota supponas; aliter inflectenda ratio erit, atque omnino ita, ut in §. seq. 39. coincidunt enim in eo casus uterque.

g) Si non caute attenderis, posset in mentem venire, pro salvando canone id sufficere, quod in eodem genere, motus scil. effectus sit caussæ æqualis, perceptionem esse in diverso genere. Sed *cave*, locum isti opinioni concedas: Canon est metaphysicus, qui vetat plus esse in effectu, quam in caussa; neque adeo corpori alligatus, sed universalis.

impulſui cuicunque indifferenter, habeant etiam ſi ita velis, niſus alia aliis contrarios: Dicam, facto per corpus extrinſecum in organa ſenſuum mea impetu, tantum inde motus conſequi, quantum reſpondet exceſſui impulſus ſupra reſiſtentiam, iis Legibus, quas hic longum foret, enarrare; Quas magno conſenſu hodie, poſt Walliſium, Hugenium, Wrennum, Mariottum &c. docent ſcriptores Mechanici; & quæ omnes effectum integrum cauſſæ plenæ æquivalentem, ſupponunt, vel arguunt, (h) Itaque eædem hic conſequentiæ recurrunt, quas modo exhibuimus §. 38. Idem medius terminus eandem fundet concluſionem neceſſe eſt: Habemus enim & hic in corpore effectum vires cauſſæ exhaurientem, quia æquantem; quæ igitur vis aget in mentem?

§. 40. *Sint jam vacua* materiæ *ſpatia* ſparſim vel continuo interpoſita: manebit ſane motus, qui corporis particulis impreſſus eſt, quamdiu illæ per vacuum movebuntur §. 37. (ſi quidem in vacuo concipi motus poſſit) atque adeo, donec corpus motum novis impingatur corporibus, de quibus eadem deinceps valent, quæ modo diximus §. 38. & 39. Neque adeo ſubſi-

 di-

h) *Supponunt*, ſi demonſtrari debeant. v. locum Leibnitii allegatum ſuperius §. 37. nota c. & Wolfium in Elem. Mech. §. 24. ſq. T. I. El. Lat. p. 543 - . Sed *arguunt*, ſi experimentis cognitas, examinare, atque ad principium generale velis reducere. v. Theod. §. 346.

dium in vacuo quis invenerit, quo difformem illam caussæ & effectus proportionem liceat ad æqualitatem revocare, & Metaphysico Canoni nostro accommodare.

§. 41. Et persuadeo mihi sane, neminem facile contradicturum esse paragraphis 38. & 39. si perpenderit, quæ de corporum percussionibus hodie pervulgata sunt, indice saltim digito hic commonstrata. *Sed* (i) qui vacuum tenent, illi, *vereor*, ut Clarkianæ disciplinæ accedant, qui substantias quasdam immateriales in eo operosas collocare videtur (k), atque adeo, velut iste attrahentes mutuo corpora, ita hi forte motui resistentes eidem incolas concedant, dicam, an obtrudant? *Fortassis* etiam *alii*, (sive vacuum teneant, sive plenum admittant) in ipsis materiæ partibus animam motui resistentem facient sua virtute; quo facto ipsis videri posset, non omnem impetum moti corporis impendi vel resistentiæ corporis vincendæ, vel motui in corpus intrudendo.

Sci-

---

i) Potes utramque hanc objectionem transsilire, nisi simile aut cognatum quid menti obversetur Tuæ; Mihi id non licebat.

k) Dico, *videtur*, quia non totidem verbis id enunciat: facit tamen id spatium, per quod attractio fit, a materia vacuum, & negat fieri attractionem sine medio: Concedit caussam ejus aliquam esse, sed an mechanica sit, nec ne? id inquirendum putat: aliquando id medium vocat invisibile & intangibile. v. Epist. Clark. IV. §. 45. T. I. du Rec. p. 78. & Epist. Leibnit. V. §. 118. p. 144. & *Clark*, V. p. 196.

Scilicet, si alterutra ratione anima posset motus aliquam partem sufflaminare, ut illa in corpore effectum amplius nullum haberet, videri posset, id perceptioni producendæ in animo superesse, sic ut causæ & effectus æquipollentia nondum tolleretur. *Sed neque hoc pharmaco videtur malum curari posse.* Quodsi animæ virtute tolli motus in corpore debeat, id reactione fieri necesse est; neque enim, nisi reagendo, impediri potest actio, vel ejusdem effectus sufflaminari: reactionem vero actioni æqualem esse oportet §. 37. Itaque oportet etiam esse proportionem inter easdem. Atqui inter res toto genere diversas (animam & corpus) atque modificationes rerum toto genere diversarum nulla est proportio, si Euclidem audias: (comparat enim hæc tantum homogenea) Ergo nec æqualitas (1). Verum fac esse, quod fieri non potest, ut reliquum impetus in corpore moto insumatur vincendæ illi resistentiæ, quam ponit motui corporis anima inhabitans: Habes ita sane effectum integrum caussæ suæ æqualem, §. 37. neque tamen habes

 per-

1) Nimirum illa sunt homogenea, & æqualia esse possunt, vel proportionalia dici, quorum unum aliquoties repetitum potest fieri id, quod est alterum, æquare illud vel superare. Sed verò motum repetas licet, quoties tibi cunque placuerit: non erit ille perceptio, aut perceptioni æquipollens aut similis, aut comparabilis. Quis ex motu syllogismum fecerit, vel demonstrationem condiderit, etsi repetito, promoto, impedito &c.?

perceptionem aut ideam mentis, quam, non puto, quod transmutare velis in resistentiam motui oppositam, aut illius filiam atque effe-ctum facere.

§. 42. *Sequitur ex dictis*, nisi falsum fuerit illud metaphysicum, quod effectus caussæ æquipollens sit, *nullam* impressionem fieri posse *à corpore in animam*, neque perceptionem mentis oriri ex motu, nisi, ultra id & Euclides fallat, & recepta judicandi ratio, quæ proportionem & comparationem negat fieri vel posse, vel debere inter res vel proprietates heterogeneas. Restat, *ut videamus*, quid anima valeat in motibus corpori imprimendis. Sunt enim Philosophi, qui vel sponte largiuntur, non posse corpus agere in animam, sed alterum penitus tenent, posse animam in corpus agere. Est ex eorum numero *R. P. Tourneminius*, Jesuita Gallus, vir omnino doctissimus, qui distinctam unionis animæ & corporis explicationem se pandere arbitratus est in Commentariis criticis Trivultinis(m). Abit ille nonnihil à consueto tramite: sed quando tamen & ipse influxum tuetur, animæ saltim in corpus suum, etsi non vice versa; vulgati Systematis modificationem, esse concedo, sed iis

m) A. 1703. M. Majo, artic. XCI. p. 864. seqq. M. Junio, ar[t.] CVI. p. 1063. quibus adde M. Sept. artic. CLIX. p. 166[.] seqq. M. Oct. art. CLXXVI. p. 1840 seqq. & art. CLXXVI[I.] p. 1857. seqq. Ita autem ille p. 868. Sans que le corp[s] agisse sur l'ame, ce qui est impossible.

ijsdem argumentis tentandam, quibus alteram Systematis hujus partem adhuc sollicitare constituimus.

§. 43. In illo autem cardo vertitur *Systematis Tourneminiani* (n). Existimat ulterius quam à Cartesianis, Leibnitio, ceterisque factum sit, progrediendum esse, ut principium invenias, quod *distincte* explicet unionem animæ & corporis. " Oportere inveniri ejusmodi aliquod, quod demonstret inter has duas substantias non harmoniam modo & conspirationem obtinere, sed nexum & dependentiam essentialem: Unionem non tantum moralem & intentionalem, arbitraria lege nixam, sed realem & effectivam: Unionem non externam, sed intimam: Unionem possessionis & proprietatis, non inhabitationis tantum & usus. Acturum se id per *sup-*

n) Prolixior locus est, sed dabo verba Auctoris, tam honoris causâ, quam ut tutius Lectorum de illa re judicium esse possit. Sic ille l. c. p. 870. „Il faut donc aller plus loin, pour trouver un principe, qui explique nettement l'union de l'ame avec le corps. Il en faut trouver un, qui demontre, qu'il y a entre ces deux substances non seulement de l'Harmonie, & de la correspondance; mais encore une liaison & une dependance essentielle: Une union non seulement morale, & en idée, dependante d'une Loy arbitraire, mais reelle & effective: Une union non pas exterieure, mais intime: Une union de possession & de proprieté, & non pas seulement d'habitation ou d'usage. Il faut un principe, qui fasse voir, que l'ame & le corps sont autrement unis, que les citoyens d'une même ville, que l'ouvrier & l'in-

positiones quasdam, &, si quæ occurrant di
ficultates, satisfacturum *objectionibus.* Itaqu
supponere se 1. Corpora inter se non differ
re, nisi partium structura: 2. Alium corpo
ris statum alio magis minusve accommodur
esse functionibus animæ. 3. Animas à DE
crea

strument, dont il se sert, que l'espace & le corps, qui l
remplit. En un mot, il faut un principe, qui fasse voi
qu'il y a entre tel corps, & telle ame, un rapport si na
turel, si essentiel & si necessaire, que nulle autre ame, hor
la mienne ne puisse animer mon corps; & que nul autr
corps, si non le mien ne puisse étre animé par mon am
C'est sur ce principe, que je vais vous proposer m
Conjectures. Si je me trompe, j'aurai d'illustr
compagnons dans ce malheur. Il est toujours beau d
tenter une découverte, où tant de grands genies o
echoué. Du moins ne me suis je pas laissé prévenir pa
aucun préjugé. I'ay quitté ceux de l'école, comme l
Cartesiens le recommendent si expressement: Et j'a
crû, devoir encore quitter tous les préjugés, dont l
philosophie de Des Cartes a rempli plusieurs esprits. Sou
frés, que j'explique mes conjectures par diverses suppo
sitions, dont je tirerai des consequences. Si quelqu'un
de mes suppositions vous fait de la peine, je satisferai
vos objections, quand vous me les aurés fait connoitr
l'aurai meme soin de prévenir celles, que je crois qu'o
peut opposer à mon systeme. 1. Je suppose, que *le
corps ne sont differens, que par la differente str
cture*, qui les rend propres à differens usages, c'e
à dire. à recevoir divers mouvemens & divers
impressions, ou des objets, qui les environnent
ou des esprits, qui peuvent agir sur eux. 2. Je suppos
qu'entre les differens états, ou peut se trouver le corp
humain, *il y a une situation* de toutes ces parties, d

creatas cum vi continendi machinam corporis in statu functionibus humanis apposito ; easdemque diversas esse pro diversitate suorum corporum, quibus destinantur. 4. Animam exercere vim illam naturaliter, necessario & essentialiter : 5. In hujus virtutis motricis vel continentis determinatione atque actione consistere *Unionem animæ & corporis &c.*

§. 44.

humeurs, des esprits animaux, qui le rend *plus propre aux fonctions de l'ame* humaine. 3. Je suppose, que *l'ame humaine* est creée de Dieu, *avec une force naturelle de contenir* les parties du corps, auquel elle est destinée, dans cette situation convenable aux fonctions humaines, que cette force dans chaque ame est relative au corps, qu'elle doit animer ; que cette force étant identifiée, c'est à dire, étant une meme chose avec la nature de l'amè, fait la difference propre de l'ame. & qu'ainsi les ames destinées à differens corps sont differentes autant, que les corps, aux quels elles sont destinées, sont differens. 4. Je suppose, que *l'ame agit sur le corps par cette force* naturelle, qu'elle a d'en contenir les parties dans une situation favorable aux fonctions humaines ; & quelle est determinée naturellement à cette action sur le corps. 5. C'est *dans ce rapport* de force mouvante, ou plûtot, si je puis ainsi m'exprimer, contenante ; dans cette determination & dans cette action sur le corps, que *je fais consister l'union de l'ame avec le corps.* Cette union est une union de propriété, de possession, l'ame s'appropriant le corps par cette action.

Disons la chose plus clairement. Tel corps est uni à telle ame ; ou pour parler plus juste encore, il est le corps de telle ame, parcequ'il a un besoin essentiel de telle ame, pour étre contenu dans une situation avantageuse aux fonctions humaines. Ce n'est donc pas seu-

§. 44. Audivimus, quæ sit mens Viri Eruditissimi, quæ sententia? Nunc *salvis*, quos ipsi-

lement, parceque l'ame agit sur le corps, qu'elle est unie avec luy: C'est, parceque son action sur le corps est d'un coté si essentielle au corps, que sans cela il ne seroit corps humain, & d'un autre coté elle est si propre à l'ame, que nulle autre creature ne peut la produire par ses forces naturelles. Voila tout ce, qu'on peut desirer pour une union de proprieté & de possession, & pour qu'on puisse dire veritablement, que l'ame a le corps, & que le corps appartient à l'ame. Ainsi la celebre definition de l'home, qu'a donnée S. Augustin, l'home est une Ame, qui a un corps, s'entend aisement, & paroit fort juste dans mon opinion. Dans toute autre opinion elle ne paroit pas exacte. Le seul avantage, que l'on tire de ces suppositions, suffiroit pour en montrer la verité. Il est certain, que l'union de l'ame & du corps, est une union de proprieté & de possession. Ce n'est, que dans mon systeme, que cette verité subsiste. C'est donc le seul systeme veritable &c. &c.

Ista quidem à pagina 870.--875. Unicum addam, quia semel cœpi exscribere verba Viri Celeberrimi, ut ne deinceps illa demum interferere necessum sit; Sic ille pag. 1066. 1067. Le corps humain est environné d'une infinité d'autres corps, qui agissent continuellement sur luy, & dont quelques uns s'insinuent dans ses parties les plus intimes. Quelques unes de leurs impressions contribuent à entretenir la situation la plus parfaite des parties du corps, & facilitent ainsi l'action de l'ame: d'autres troublent cette situation, & resistent à l'action de l'ame. L'ame ne peut pas s'empecher de sentir sa propre action, ni d'en sentir les variations, c'est à dire, les facilités & les empéchemens. Le sentiment de la facilité de son action fait le plaisir: Le sentiment de la difficulté de son action fait la douleur, &c. &c.

ipsius virtuti & doctrinæ debemus, *honoribus*, placet examinare, non omnia sanè, quæ dici possent, tum circa prima ejus schediasmata, tum circa objectiones doctissimorum *Anonymi, Langueti*, & *P. Angierii*: tum & circa responsiones his oppositas, in quibus singulis non pauca negotium facessere possent lectoribus aliquantum difficilioribus. Excutiamus præcipua, & quæ ad negotium nostrum illustrandum propius attinent. Ignoverit vero mihi, quicunque putat, Virum magnum, quod initio commentationis sibi proposuit, pluribusque verbis p. 864. promisit, præstitisse plenius, ut scilicet *distinctam unionis explicationem* hic protulerit. *Determinavit* profecto ea omnia, quæ phænomenis explicandis necessaria visa sunt; atque in eo gloriam habet: Sed *non explicuit* ista. Determinavit autem pro arbitrio, ut commodum videbatur phænomenis inde deducendis. Atque etiam hic non male egisset, si illa, quæ sumit, simul evolvere aut demonstrare connisus esset. Verum ipse videtur, noluisse id agere: Inde *suppositiones* vocat. *Mihi* autem, salvis melioribus, sic *videtur*: Si quid explicari debeat, evolvendas esse ideas rerum eo pertinentium, earumque realitatem esse ostendendam, vel à priori demonstrando possibilitatem rei, id est, exhibendo modum, quo fieri possit; vel à posteriori evincendo, aliter solvi non posse phænomena, id autem, quod asserimus, in phænomeno contineri omnino.

Sufficit

§. 45. Ita nescio ego quidem, quibus ille l gibus obtinere possit, aut quibus id argume tis conficere liceat, ut *unionem*, quam v cat, *possessivam* & proprietatis, teneamur admi tere. Ut enim hoc non dicam, nescire m quid id rei sit? neque me crediturum esse, quo id alii intelligant, donec terminis nullam an biguitatem, sed determinatos planosque sens fundentibus, id explicuerint; neque id ipsu à Viro magno factum, me existimare, etsi unione illa, tanquam magnifico, sed nihil sign ficante termino monitus esset ab Abbate *La gueto* (o) *Montineo*: certe experientiam, qua alibi (p) subambigue, alibi confidenter alleg id non perficere constat ex superioribus.

§. 46. De *Suppositionibus* ipsis ita censeo. *Pr mam* probo, quatenus corpora hic sensu Cart siano dicuntur, non Leibnitiano vel Wolfi n

o) vid. Memoir. de Trev. l. c. p. 1850. & responsione Tourneminii p. 1863.

p) l. c. o. 1862. Ibi: " L'experience vous convaine, q vous pensés, que vous aimés. Pourquoy la même expe ence ne vous convaincra-t-elle de l'empire de votre an sur votre corps. La sentés vous moins? „ Ita est ver Imperium proprie sic dictum & exquisite, locum n habet inter animam & corpus; Neque igitur sentiri p test, actionem animæ in corpus veram realem phy cam, me judice, non docet experientia; docet id, qu Imperio alias intenditur & producitur, consecutione scilicet actionis volitæ, sed alienis viribus præstitæ. Veru id nihil juvet Tourneminium!

no, de quo antea diximus §. 34. not. *f*. Ultima tamen ipsius nolim intelligi de aptitudine recipiendis ab anima motibus plus minusve proportionata: quam cum *secunda* suppositio exhibeat, non apparet, quomodo id sine petitione ejus, quod in principio est, asseri possit; hoc enim est, quod quærimus, an & quomodo corporis ad motum recipiendum capacitas, atque animæ actiones aliquam inter se proportionem habere queant. Subscribo hic Anonymo, qui Tourneminianas meditationes ventilavit, in iisdem commentariis Trivultinis. p. 1663. Et sentio idem de *Tertia*: Deum concreare posse animæ virtutem agendi in corpus, tum licet supponere, cum constiterit, id esse in se possibile; Voluntas enim divina & creatio supponunt rerum essentias, non faciunt: sed quomodo demonstrabis possibilitatem, si nescias, quid sit ea actio? quî fiat? quomodo proportionari ad corpus possit? In quo ipso & *quarta* deficit, nisi ego fallor, suppositio. Animam in spiritus animales agere, & hisce mediantibus in cætera corporis, lego quidem: sed, ut verum fatear, quomodo id fieri possit, non intelligo; neque adeo illius actionis atque inde pendentis unionis distinctam per hasce suppositiones ideam nactus fui. Circa *quintam* alii disputent, an unio consistat in illa actione, an ejus caussa sit? an effectus? an in statu consideranda sit? an in actu? an, ut mutuum

quid

quid esse possit, animæ actio sufficiat, vel sola? vel conjuncta cum indigentia illa corporis respectu hujus actionis? & quæ sunt alia: de quibus ego facile transegero cum Auctore ingeniosissimo.

§. 47. Fortassis id in *Tourneminium* verterent, qui vocibus inhiare solent, quod p. 874. verbis antea relatis dicat: „ Tel corps est uni à telle ame, ou pour parler plus juste encore, il est le corps de telle ame „. Ita enim videtur innuere, non dici accuratissime, quod corpus sit unitum animæ: Atqui omnis Tourneminiana explicatio tanquam fulcro nititur potestate & proprietate unionis. Sed suspicor, alium forte his vocibus sensum esse ex Auctoris mente (p).

§. 48. Cæterum illa quidem tanto Viro digna est humanitas, quando *difficultatem* circa suas suppositiones obviarum *solutionem* spondet & occupationem quoque, si quas moveri posse prævideat: Existimem tamen, id *non omnino sufficere* ipsius instituto. Quemadmodum enim, ex superioribus, non sufficit ad unionem distinctius, quam in alio systemate factum est, explicandam, ut ea omnia determinatè edisseras, quæ illuc requiri possint? sed ut ista satis expli-

q) Dicerem ex Tourneminiano systemate fortassis Animam corpori unitam esse, ut loquitur, possessive ac appropriative; Sed corpus animæ, si loquaris accuratissime, ex hoc loco, non dici unitum. Verum generaliter unionem enunciavit inter duas illas substantias. Vid. Notam §. 43. ab initio.

plicate tradas, requiritur: Ita neque hanc novam pollicitationem, quantumvis rei convenientem, arbitror absolvere rem omnem. Si distinctam Lectoribus explicationem promisero, credo illis jus esse, ut paratam postulent & præsentem: non extorquendam demum hinc & inde per objectiones, ex variis & diversis inter se systematis oriundas; quibus sæpe omnibus satisfieri potest, etsi, quod ad rem ipsam, ejusdemque modum attinet, nihil novæ explicationis accesserit.

§. 49. Faciamus huic *dicto fidem* exemplo ipsius *Tourneminii*. *Objectum* est, animam non magis agere posse in corpus, quam corpus in animam: Esse enim hæc duo diversa toto genere. Impossibilitatem, quod corpus in animam agere non possit, admissam Viro Magno, oriri ex illa differentia & disproportione Naturarum. Sed non plus proportionis esse à spiritu ad corpus, quam à corpore ad spiritum (r). Non

 du-

r) Vide Objectiones M. Sept. p. 1662. & M. Oct. p. 1841. atque responsiones Tourneminii. p. 1860. 1861. quibus tria urget 1. argumentum, (quoniam natura inferior in superiorem agere non possit, ideoque nec superiorem & perfectiorem posse in inferiorem:) comparat illi, si dixeris: Corpus non cognoscit animam, ergo nec anima corpus. 2. Negat, differentiam substantiarum impedire facultatem agendi; agere enim in corpora DEum. 3. Corpori facultatem negat in animam, quod corpus unico saltim modo (impursum dicimus) agere possit; animam autem non moveri constet.

dubito, Lectorum plerosque existimatur
quod omnino eam difficultatem sustule
responsiones Tourneminianæ: de quibus
fateor, me hærere in quibusdam, sed arbit
tamen, quod soluta sit objectio, quatenu
hisce generalibus consistit, atque intra istos
tem terminos continetur; non item, si novi
cedant medii termini vel scheses.

§. 50. Sic *non capio nervum* ejus responsio
qua urget *distinctionem* inter substantias
fectiores atque imperfectiores; ratus, animam c
pore nobiliorem posse agere in corpus, non
ce versa ignobilius illud in animam se supe
rem. *Neque enim hactenus* in philosophia de
minatum est, quid sit, esse substantiam su
riorem vel nobiliorem, adeo, ut de quib
dam interdum ambigant nonnulli: *Multo m*
ostensum est, quomodo ex superioritate ista
quæ sit, substantiarum consequatur pote
agendi vel non agendi in se mutuo: *Imo v*
quæ communiter ignobiliora habentur v.
inanimata, creduntur agere in nobiliora, ipsu
que hominem: *adeoque* omnium minime
terminatum est, quisnam nobilitatis gra
eo pertineat, ut aliquid in alterum agere p
vel non possit. Atque ista omnia, si expe
forent, *demum* id de anima & corpore evinc
dum foret, gradum eum nobilitatis divers
hic plane obtinere. Nisi *ista omnia* fec
quàm planissima, difficilior ero, vel, si ma

orosior, quam ut concedam, hac distinctione
cem negotio inferri, atque pedem ad distin-
am unionis aut actionis memoratæ explica-
onem illa prævia vel juvante promoveri posse.
§. 51. *Neque in illo* acquiescere mihi licet:
ando diversitatis eam advocat caussam (s):
orpus uno tantum modo agere, impellen-
): non autem posse movere animam, itaque
animam non agere: Animam esse ex se
tivam; cogitare, velle: qui duo (t) agendi
odi sint animæ convenientes. Non igitur
terminatam esse ad unum agendi modum.
Tertium isti modum convenire posse (u);
nvenire etiam, quia motus corporum non pos-
incipere per corpus; moveret enim, etsi non
otum, quod implicat. Itaque spiritum esse,
i agat in corpora (v). Agere ergo in corpus
se affectionem spiritus, & corpus suscipere
tionem à spiritu posse: Ergo actionem ani-

) Sunt verba responsionis tertiæ p. 1861.

) Hic velim conferas loca Wolfii superius citata, in Metaphys. §. 878.

) Etsi per loca Wolfii citata mihi non admittatur, volitiones distinctum à cogitationibus agendi modum requirere: Transeat id tamen. Sed quomodo ex duobus tertium liceat inferre, fateor mihi non patere. Quod non determinatum est ad unum agendi modum, potest esse determinatum ad duos, tres, quatuor & quot volueris.

) Qui primum universo motum largiatur: Concedo; id enim rectissime infertur ex corporum, secundum hasce, quas sequuntur, leges, motu: Atqui de eo non quæritur; quæritur de anima.

mæ in corpus non repugnare, neque ex parte animæ, neque corporis „. Atqui *in ultimo hoc saltus* esse videtur, cum transitus fit à spiritu ad animam, hoc est, à genere ad speciem, eo sensu: Non repugnat generi, ergo nec speciei. Sed potest in specie alterutra nova esse accessio per differentiam, quam dicimus specificam, ut deinceps huic repugnare possit, quod generi nondum contradixit. Obtinere nostro casu aliquid ejusmodi, dicam inferius.

§. 52. Utcunque vero ista se habeant, dico tamen, *solide* id argumentum, quatenus ita generaliter enunciatum atque ex natura spiritus §. 49. deductum est, ab eodem Rev. Patre *solutum esse* numero secundo p. 1860. quando negat, diversitatem substantiarum impedire actionem unius in alterum, idque exemplo DEI, spiritus infiniti, probat. Quod enim spiritui repugnaret in universum, id infinito non minus contradiceret, quàm finito (x). Osten-

sum

x) Discrimen spiritus finiti atque infiniti generaliter, tum de mum urgeri potest: Si quis pro Systemate influxus it argumentari velit: Potest DEUS agere in corpus, et spiritus; Ergo & anima potest. Hic enim facile intell gitur, dissolvi connexionem, si naturam utriusque tinguas, & ab infinitudine vim agendi derives, n spiritualitate. Sed mutatur rei facies, si ipse spirit tatem potentiæ movendi opponas, negaturus an movendi corpora potentiam, quia spiritualis sit: P enim responsio est, quam in textu approbavi Quodnam diversitatis fundamentum sit, id Logici nes divinaverint.

um ergo est, supponi falsum in argumento, rout jacet: adeóque soluta est objectio. Neue tamen est explicata difficultas, neque diinсta actionis animæ in corpus notio exhita. Constat igitur vel Tourneminiano exnplo, non fuisse eam nimiam scrupulotatem, quæ paragraphum 48 nobis expressit.

§. 53. Neque vero hactenus exposita impeiunt, quo minus liceat eandem *objectionem sic flectere*, ut responsiones, quas mihi hactenus osse datum est, omnes præscindat(y). Nemo du-

) Nihil est magis commune illo, quod ad diversitatem naturarum, spiritualis atque corporeæ, objectam, excipi solet de actione divina in universum corporeum. Neque memini tamen, me eam responsionem speeifice refutatam invenire, atque ita dilutam; ut caussa elucescat, quare, licet DEus agere queat in corpora, spiritus finitus tamen id non possit? Quod divinum velle sit agere, id rectissime dicitur hoc sensu, quicquid voluntas eligit, id ejus potentia perficit. Verum, licet id secus sit in homine; inde nondum intelligo, cur volitioni animæ non etiam conjuncta esse possit potentia agendi & movendi, non illimitata quidem, sed finita tamen. Videbimus, quid in ea re liceat proficere: Sed memineris, me non hoc moliri, ut ostendam, quomodo DEus agat in corpora; sufficit me scire, quod agat; verum hoc agere, ut allegem caussam, quare, etsi DEus id possit & faciat, non faciat tamen anima humana? Memineris etiam secundo, consulto illa omitti, quæ sua fortassis ambiguitate possent sensus commodos æque & incommodos aut fundere aut admittere. Tertio autem, si obscuri fortasse videantur paragraphi proxime sequentes, quæso te, ut bis, & nisi grave sit, ter legas; Sunt difficiles forte, sed obscuri esse non viden-

bitat, determinatos esse & limitatos illos
ctus, quos anima dicitur perficere in corp
Quodcunque autem agens determinatum
mitatum in altero effectum præstat, id cau
determinationis habeat necesse est; Mea e
sententia, determinatum ut tale non orit
indeterminato, quia neque quidlibet oriri p
ex quolibet, neque plus esse potest in effe
quàm fuit in caussa. Illa igitur caussa dete
nationis in effectu obviæ, vel est in re ag
vel extra eam, in objecto actionis, quat
id aut solum consideratur, aut circumsta
suis, v. g. corporibus ambientibus in n
casu, conjunctum.

§. 54 Si determinationis *caussa est extra
agentem,* in ipso objecto quod actionem re
quatenus aut solum consideratur, aut circ
stantiis concurrentibus temperatum: op
bit proportionem esse inter actionem cau
reactionem patientis; limitatur enim & d
minatur vis agentis ab objecto, quat
ejusdem dispositio majori minorive resist
aut reactione aliquam virtutis partem aut i
dit, aut aliò inflectit. Non potest itaqu
tio, determinans atque limitans actionem
mæ, peti à corporis dispositione: Dixi
enim §. 41. nullam hic proportionem obti

---

tur, quoniam nonnisi determinati sensus vocibus r
dent, iidemque ex illis sufficienter erui attende
possunt.

nullamque reactionem in corpore, quæ respondeat actioni animæ in eodem genere. Consequitur autem hinc illud quoque, non posse à nobis admitti verba *Tourneminii* (z), quod actio corporum externorum in corpus nostrum faciliores vel difficiliores reddant operationes animæ: Difficultas agendi in objecto resistentiam ponit vel reactionem; atque non concedit actionem corporis in animam, ergo nec reactionem aut resistentiam. Hoc est, quod jam ante monui §. 22.

§. 55. Sin porro determinationis *caussa est in ipsa re agente*, vel dependet ab ejus voluntate libera, vel ab ejus statu antecedaneo consequentem determinante. *Si à libertate voluntatis consequitur*, eam in actione & effectu determinationem obtinebimus, quam volumus. Atque contrarium experimur quot momentis? Certum est, divinam actionem tantum producere effectus, quantum divinæ voluntati placet, nulla in creatis reactione, nulla existente resistentia, quæ divinæ potentiæ vel actionis effectum possit limitare aut determinare; namque & inertia materiæ, & quicunque in corporibus concipi possunt, impetus ad infinitam collati virtutem amittunt proportionem omnino omnem. Verum alia res est, si de anima quæsieris, quæ nulla sua voluntate vim suam agentem, si quam habere supponitur, eo vertere po-

z) Conf. verba, qua dedimus §. 43. sub finem notæ.

potest, quo non vergit mechanismus corporis, v. g. ad erigendos in directum capillos è capite pendulos, ad motum sanguinis in febribus æstuantem reprimendum, ad elevandos sine machina decem centenarios, & quæ sunt similia. Aut, si quæstionem pro argumento feras, quodnam in hac suppositione fundamentum est discriminis inter actiones hominis voluntarias & naturales? Fundamentum, inquio, ex parte voluntatis, non conscientiæ.

§. 56. Si denique determinationem illam virtutis activæ in anima, pendere velis *ab animæ statu præcedaneo*, atque ita consequenter hunc à suo antecedente; nulla corporis resistentia, vel reactionis proportione quicquam effective conferente: Habes id, quod in harmonia præstabilita est difficillimum; eo cum discrimine, quod supplementum addas & inexplicabile, & nullâ, sive à priori sive posteriori, via cognitum, de quo superius. Faxo, ut id *clarius* appareat: Si novæ actionis, qua cor pus ab anima moveri dicitur, quantitas dete minata pendet à statu animæ antecedente, a que illa tamen consentit dispositioni corpor ratione & organorum ejus & corporum ambie tium; sequitur naturam animæ esse hujusm di, ut semper illa ex se & suo fundo, principic que domestico producat actiones statui corp ris atque rebus externis accommodatas, f harmonicas. Habes adeo & inexplicabile

las animæ *actiones* in corpus, & *pro illis* obtinendis harmoniam inter dispositiones corporis & animæ determinatas, ex prioribus in anima determinationibus, consequentes, præstabilitam: *Pro passionibus* animæ, quas communiter vocamus, & pro sensationib' rerum nihil habes; siquidem omnis in animam corporis actio vel reactio hic cessat, per §. 42. & 54. Verum illa non diducam operosius: neque enim facile devenient eo Viri eruditi, qui in primo hactenus, (§. 54.) quantum scio, substiterunt, vel etiam secundum (§. 55.) illi conjunxerunt. Si & ad ultimum se reciperent, propius ita abfuturi forent à Systemate Leibnitiano.

§. 57. Ista vero, occasione explicationis Tourneminianæ, non novæ (a) quidem, sed noviter tamen productæ: Nunc alia nobis aurem vellicant, quæ lucem mutuantur ex præmissis. Scripsit *Leibnitius* (b) ad *Virum quendam celeberrimum*, atque magnis in *Medicam* artem meritis insignem: " Si animæ vi & non potius potestate fluidi explosionem exercentis, saltamus, cur non saltamus ad altitudinem quamcunq; ? ,,

 Ri-

a) Dico id fide Auctoris, l. c. p. 1870 ,,. Mon opinion au reste, n'est ni nouvelle, ni singuliere. Il me seroit aisé de l'établir par de passages d'Aristote & de S. Thomas ,,.

b) Vid. Georgii Ernesti *Stahlii* Negotium otiosum, sive Sciamachiam adversus positiones Theoriæ Medicæ veræ, à Viro quodam celeberrimo intentatam. p. 16. §. 21. Cui confer. p. 80. 82. 85. 179. 200. -- 204.

Ridiculam verò illam quæstionem existimavit *Vir doctissimus*, probe gnarus, animam esse ens finitum, nec posse effectum quemcunque præstare; corpus etiam cingi aliis corporibus, quæ saltui resistant: Saltum concedit utique ad quamcunque altitudinem futurum in vacuo, non item nostro casu, quo anima possideat corpus innumerabilibus aliis motibus & corporibus motis circumscriptum atque obstipatum; ait, paralogismum illi similem esse, si dicas: " Principium corporis humani motorium (quodcunque tandem fingatur) potest corpus hoc per liberum aërem sine multo aut quantocunque tandem labore aut impedimento, cursu per aliquot centenos passus, quasi raptim propellere; ergo debet illud etiam eadem ratione per profundum aquarum, imo per transversum murum propellere & transpellere ".

§. 58. Sunt illa hujusmodi, ut nisi caveas, possint initio videri tollere difficultatem: Examen accuratius, ita arbitror, non sustinebunt. *Anima est ens finitum:* Quis negaverit? *finitum esse, dicit limitationem:* Recte! *Ergo illius agendi vis non est illimitata, sed limitata:* Concedam! *& determinata:* Distinguo, determinata hactenus, ut non possit omnia, sed quædam, ita opinor; sed quærimus, unde sit determinatio, non generaliter sumta, sed *specialiter*, imo singulariter, cur hîc hoc, tantum, tale agit anima? Cur saltat ad dimidii pedis altitudinem, cum

cum antea ad pedem integrum? Cur non ſaltat quoque ad tres? Septem? Decem? *Anima non poteſt imprimere gradum motus, niſi qui diſpoſitioni corporis quadret*: Atqui omni corpori quadrat omnis motus, omnis celeritas, omnis directio; hoc mechanici norunt, & qui phyſicam diſcunt. *Corpori per ſe, & abſolute, vel in vacuo, ſi ſpectetur: at non ubi circumſcriptum & obſtipatum corporibus ambientibus, elaſtica & incumbente ſua virtute magnum illud oportet corpori noſtro imponentibus.* Atqui etiam ſtipato corpori, ſaltim cohærenti & firmo, omnis quadrat, variato tantum impulſu moventis. Sin certus eſt motoris impetus; dicis vera ſane: Sed fateris, determinationem motus eſſe ex corporis diſpoſitione, impetum illum limitante, dirigente, conſumente, pro legibus mechanicis, quibus ipſum æque ac reliqua corpora, ſubjectum eſt. Perinde, ac ſi diceres: motus corporis reguntur, limitantur, determinantur, impediuntur, promoventur, finiuntur legibus mechanicis, ſed incipiunt tamen & perficiuntur ab anima. *Non omnino: Proportio illa, ſecundum quam determinatur, relata eſt ad gubernationem motus, fini convenientem, & juſtæ proportioni corporis, quod motu affici debet, reſpondentem. Conſiderandæ ſunt non ſolum Leges mechanicæ, ſed & quam maxime ad finem reflexæ.* Quaſi ſcilicet hæc quæſtio ſit, an proportio eſſe debeat in actionibus animæ, ſi motus pendeant ab iisdem, & cui fini? non

po-

potius, à quo principio? quo medio? quo modo fiant illæ determinationes? Itaque hoc primum, atque integer discursus p. 84. aliena videntur ab instituto. Quoad alterum, cedo, quæ sit proportio corporis nostri atque ambientium, dispositionisque nostri corporis ad actionem animæ.

§. 59. *Essentialis conditio animæ est, esse finitam. Negatur ergo ab hac ratione, quod nulla proportio sit inter animam & corpus: sed potius omnino anima habeat proportionem cum corpore communem.* An à finitudine rerum sequatur earum proportio, & quidem duarum præcise rerum proportio communis, judicium esto illorum, qui finitum auri pondus cum finita hominis duratione, finitum intellectum cum finita viæ, Berolino Lipsiam ducentis, longitudine possunt contendere. *Essentialis conditio animæ humanæ (nedum aliarum) est, ut (ad minimum aliquando & aliquamdiu) sit in corpore. Negatur itaque & ab hac ratione, quod nulla sit proportio inter corpus & animam: cum societas supponat proportionem.* Novum est, à societate proportionem consequi, aut præsupponi, saltim inferri posse: Motus & Extensio, Locus atque Tempus, Superficies & Linea, quoties sociata sunt: An igitur eorum est inter se proportio? *Illud autem de linea & superficie, ad proportionem inter motum & extensionem; locum & tempus, & multa hujusmodi, cum societate absoluta Agentis & Patientis, formaliter*

ad

ad unum idemque reducere, ad Triarias, imo subsidiarias cohortes transmittendum est. Dic sodes, quis ad unum reduxit formaliter? A societate argumentum erat: A societate est instantia. Sed argumentum erat à societate absoluta: An ab omni? Societas est, nisi fallor (c), absoluta inter extensionem & divisibilitatem materiæ, in motu inter spatium & tempus. Fortassis tantum à societate absoluta agentis & patientis? An omnis agentis & patientis? DEUS agit in mundum, etsi nulla hic proportio intercedat. Sed hic non est mundo sociatus, ut anima corpori: Recte id quidem; sed vide, quid fecerim? Dixisti primo: *Societatem*, sine addito: Extorsit illam *Leibnitius* Tibi. Jam dicis: Societatem *absolutam*: sed eadem exempla eandem, si quæ est, excutiunt tibi. Rationem *agentis & patientis* alia extorquet Tibi instantia. Jam quid superest: Societas absoluta agentis & patientis conjunctim, talis enim est animæ & corporis. Proba, si placet, ex hoc medio termino *sequi*, vel si tua malis verba p. 84. obvia, societatem supponere proportionem: sed proba, ut intelligant etiam illi, qui Euclidem amant, atque adeo *proportionem* inter *rationem* & *motum* assequi se posse hactenus negant. §. 60.

(c) Dixi, *nisi fallar.* Quid enim societas absoluta sit, non satis assequor. Mihi societas relationem dicit inter membra unam, aliam ad finem, actiones, officia, normam, originem, &c. Transeant autem hæc leviora cum ceteris.

§. 60. *Rationem simpliciter esse motum, imo formaliter, aut vicissim, ego non crediderim, ullum hominem esse, qui dixerit, nedum ut ego ille sim. At verò, quod proportio nulla esse possit aut debeat inter rationem & motum in substrata materia, ego ingenuè fateor, à nullo homine audire speravissem.* Atqui omnes *Euclidei* tirones (d) dicunt, inter heterogenea non esse proportionem. Substitue voci *rationis* lineam, *motus* vocabulo numerum, & pro substrata materia sume agrimensoriam artem: *Instantia* erit soror discursus, sed fratricida. Neque enim hoc metuo, ut quisquam sit, qui majorem inter illa similitudinem, aut homogeneitatem demonstret, quam inter hæc obtinet: neque diffido tenacitati *Geometrarum*, quibus nunquam hoc extorseris, ut heterogeneis rationem sive proportionem adscribant. De Philosophis autem hoc credo, terreri istos, cum dixeris: *Ratiocinationem, cogitationem*

(e)

d) Sunt vero & hi ipsi, qui mirantur dictum Viri celeberrimi, cum p. 204. ait; "Posse easdem sine cavillatione proportiones manere, auctis *quantumvis* magnitudinibus: (quæ verba erant Leibnitii p. 180. objicientis) *novum* est edictum,,! Edictum enim hoc illi norunt ex quinto Magistri sui elemento, quo statutum est, æque multiplices *servare* proportionem simplicium; magnitudines autem ea multiplicatione augeri *quantumvis* posse nemo dubitat. Neque est profecto quisquam Arithmeticæ vel Geometriæ initiatus, qui Leibnitianam vocem alio sensu acceperit.

(e) &c. in motu consistere; omnemque actionem, tam (f) moralem & intentionalem, quam physicam, certissime & verissime esse motum: motum quomodocunque consideretur esse ens incorporeum; rem incorpoream (g), imo imma-

e) Verba sunt p. 99. „ Si ratiocinationem, cogitationem, contemplationem, intellectum, dijudicationem, collectionem, aestimationem, electionem, amorem, odium, metum, desiderium, &c. &c. quocunque modo & intuitu perpendamus: Quo alio modo & medio haec peraguntur, imo in quonam proprie consistunt (generaliter), nisi in motu„?

f) Verba haec sunt ead. pag. „ Adeo, ut omnis actio, tam moralis atque intentionalis, quam physica, quatenus actio est, & ab uno numero ad alterum, ab uno modo essendi ad diversum (ut objecta) procedit, certissime & verissime sit (generice) motus „.

g) Vid. p. 191. ubi: „ Quod autem anima habeat facultatem motus exercendi, ego quidem semper existimo, planum esse posse intellectui ex eo, quod motus, quomodocunque (etiam in materia, sed tamen non ipsa materia) consideretur, sit ens incorporeum; eo ipso, quia nemo contradicit, quod, licet etiam reputetur alligatus materiae, tamen non ipse sit materia. Quo intuito, cùm in toto universo valeat, quòd, qualis est effectus, talis etiam sit caussa, motum, tanquam rem incorpoream, non possum ab alia caussa efficiente expectare, quam ab anima, tanquam ipsa quoque incorporea „. & p. 98. idem: " Interim motus ita (quasi materialiter considerando) incorporeum ens, & (tanquam formaliter) perpetuo transitu agens, habet utique exquisitissimam potestatem in corporeas res. Habet, inquam, activitatem in corpora, ut patientia: Ipse ut res incorporea, imo immaterialis: Siquidem tam à corporis materiati, quàm ipsius materiae, affectionibus intrinsecis seu essentialibus, in solidum distat atque differt „. Et quae sunt sequentia.

materialem, non accidens purum (h): Credo etiam, illos impense miraturos esse, si dixero, disputare Magnum Virum contra hæc Leibnitii verba (i): „ Omnem actum esse motum, (localem scil.) non dixerim: Actiones internæ animarum sunt in substantiâ partibus carente. Ne quid jam de actionibus DEI immanentibus dicam „.

§. 61. Provexerunt nos ista longius, quàm postulare videbantur objecta §. 57. Sed redeamus *ad instantiam* ibi allegatam, tantoque minus hic negligendam, quod priora jam inter Virum doctum & Leibnitium maximam partem ventilata sunt; hanc ultimæ demum exceptiones protulerunt, Leibnitio dudum vivis erepto (k). Nimirum *consequens* est *absurdum*: sed con-

h) V. p. 139. sub fin. ibi: « Unde absona illa commentatio ortum duxit, (à qua etiam noster Auctor sibi temperare non potuit,) quod motus sit purum accidens; nempe, ut apertius noster infra eloquitur, plane nihil „. Conf. si placet §. nostr. 34.

i) Verba sunt p. 16. & oppositiones p. 111. 112. Fateor autem, me nihil earum intelligere, neque pervidere, quo collineent. Locus est prolixior, quàm ut & hun[c] transscribere & Lectoris per seipsum judicaturi oculis su[b]jicere hic liceat.

k) Nimirum *Animadversionibus* Leibnitii *Enodationes* o[p]posuit Vir celeberrimus, communicatas Leibnitio, q[ui] ex intervallo deinceps brevibus illas *exceptionibus* den[uo] ventilavit, interquiescente negotio, dum ab amicis m[o]neretur Stahlius, & typis vulgari acta permitteret; *R[e]plicationem* eo casu additurus ad exceptiones memorat[as]. Prodiit libellus Halæ Magd. 1720, De pretio illius nil

consequentia non est Leibnitianæ similis. Audi primo *Leibnitium*: Si determinatio saltus atque adeo & altitudinis, ad quam corpus nostrum saltando attollitur, non dependet à potestate fluidi exercentis explosionem determinatæ virtutis & præcise tantæ, quanta impenditur ad elevandam corporis, ad hanc præcise altitudinem attollendi, gravitatem; sed potius ab actione & vi animæ, cui nulla gravitatis aut corporeæ reactionis vis esse potest proportionalis, minus æqualis: Caussa non est, cur, volente & nitente anima, corpus non attollatur ad altitudinem quamcunque, decem potius, quàm unius, pedum: In Universo saltim corporeo, atque omni ejus resistentia nihil est, quod in illam animæ vim possit reagere, atque adeo eandem limitare. Itaque perinde est hoc casu, num in vacuo corpus moveatur, ubi resistentia non est, an à vi animæ, cui nulla corporum resistentia proportionari, & quæ adeo per nullam ambientium corporum actionem limitari, circumscribi, aut determinari potest; quantumvis enim magna corpori movendo resistentia fiat ab ambientib', non

E ager

statuo: *Stahlianam* mentem, ex titulo Negotii otiosi. satis inferas; si minus, ex verbis p. 135. " Ego certe primus agnosco, nedum consentio, quod tam tota hæc disceptatio, quam methodus in ipsa observata, nihil eximii momenti ad totam solidarum scientiarum illustrationem afferre, censeri possit ". Si qui tamen Philosophiæ Leibnitianæ *initiati* ejus Viri monita p. 1. -- 19. 175. -- 182. attente legant, facturos operæ pretium existimo.

aget illa in animam, adeoque nihil illa detrahet effectui nitentis animæ, ſi quem habere fingitur. *Intelligis*, niſi fallor, *quo nervo* Leibnitius à minori ſaltu ad majorem, imo quantumcunque, potuerit concludere? Nunc *vide* & *inſtantiam* §. 57. Illa unicum hoc habet, non licere à minori progredi ad affirmandum majus. Atque ita eſt profecto, ut non dubitem aſſerere, illam hypotheſin eſſe rerum naturæ adverſam, ex qua hoc ſequitur: "Principium corporis motivum poteſt corpus promovere in fluido parum reſiſtente, ergo & transpellere id poteſt per ſolida difficillime locum concedentia". *Conſequitur* autem id non *in* Leibnitiana, ſed *adverſa* potius *hypotheſi*. De priori poſt enarrata nemo quisquam dubitet: Poſterius ſic habe. Si principium corporis motorium non eſt me[illegible]chanicum, quod corporum reſiſtentiis propor[illegible]tionale, adeoque majus, minus aut æquale eſt[illegible] ſed eſt vis & facultas inhabitantis animæ, cu[illegible] nulla corporum reſiſtentia poteſt conferri, u[illegible] proportionem ſive æqualitatis habeat, ſive in[illegible]æqualitatis: ſequitur, eam non minus ſupera[illegible]re poſſe reſiſtentiam muri, quàm äeris, atqu[illegible] adeo ceteris (l) paribus corpus ſuum per transver-

l) Dico, ceteris paribus, ne texturam corporis, muro mol[illegible]liorem, oppones: Abſtrahimus enim hic ab eo, qui[illegible] in corpore futurum eſſet, & hoc unum quærimus, num iſti effectui præſtando, hoc eſt, muri reſiſtentiæ ſuperandæ ſufficeret vis animæ? Quapropter ſi Te id male habea[illegible] quod texturam corporis huc non attendendam dico, ſ[illegible]

versum murum propellere. Universa itaque res denuo huc devolvitur, ut reactionem corporis contra actionem animæ, adeoque & resistentiam virtuti hujus motrici proportionalem, si fieri posset, ostenderes. Sed finiamus ista tandem atque otiosioribus relinquamus.

§. 62. Existimo per hactenus disputata intelligi, quare actionem corporis in animam, atque animæ in corpus repugnare censeam veritatibus, aliunde cognitis, communiterque approbatis, scilicet his: Quòd effectus non possit esse potior sua caussa; quod nihil sit sine caussa sui; quod in effectibus determinatis debeat esse ratio determinationis; quod proportio non sit inter heterogenea; & quæ sunt plura hujusmodi. *Neque* adeo id vel *temerarium* dici posse confido, *neque* inepte *novaturiens*, si, salvo meliori judicio, ab ista, quantumvis recepta & populari sententia recedam, maxime post tot exempla virorum undique doctissimorum, quos si nominare omnes (m) oporteret, numerum, credo, extimesceres.

stituas pro transitu per muros, saltum in aëre tantum, quantus eandem vim requireret, quæ disrumpendo isti transverso muro sufficeret: Ex eo enim intelliges, ut hæc instantia proposita quadret, solam muri firmitatem, non corporis texturam delicatiorem, hic respiciendam esse.

m) Nimirum *Cartesianos* ex hac parte omnes stare quis nescit? Magnos Viros, Theologos æque ac Philosophos, ex omni genere Cultuum & Regionum. Stare Cartesianizantes *Eclecticos*, *Sturmio* similes; Stare Leibnitium, *Wolfiumque*, cum sequacibus: Accedere etiam illos,

§. 63. Erat hoc *primum*, quod in mentem venire poterat hominibus, *Systema Influxus* dictum, vulgato quidem vocabulo, etsi minus accurato (n). *Alterum* Systema est *Cartesii*, ex *amphibiorum* genere; potest enim aliquo sensu ad influxum reduci, aliquo ad assistentiam. Ad hanc, quatenus negavit, corpori ab anima vim aut gradum motus imprimi: Ad influxum, quatenus animæ tribuit vim mutandæ directionis motuum. Sed examinemus ista sub sequenti titulo, quoniam tanto facilior nobis à Cartesio ad Cartesianos transitus erit. *Vides* autem, quomodo nonnisi *sensim* sensimque aliam atque aliam animæ in corpus vim coacti tandem dimiserint Philosophi, non volentes projecerint. SE-

qui in explicabilem nodum caussati, nullam apprehendunt partem, omnes æque impetunt objectionibus. Et quis dubitet, esse etiam, de quibus repetere illa *Mottæi* liceat, approbata *Crosæ* in Log. P. I. S. I. c. VI. T. I. p. 130. "Je pourrois deceler ici plusieurs *complices* de mes sentimens, qui faute de courage, en deviendront peutétre les Censeurs ,,.

n) Absoluta quidem illa tractatione facile id intelligas. Influxum dicimus proprie, ubi ex una substantia aliquid in alteram transfunditur, hoc est, à priori secernitur, & in alteram ingreditur. Si proprie id de anima & corpore dicas: Necesse est motum ex corpore in animam ire, esse aliquid substantiale, vel ut accidens migrare e subjecto in subjectum; idemque de appetitu ex animo in corpus translato tenendum est. Quæ sane lepidam objectionibus materiam præberent, nisi ex vocibus pendere viderentur, quibus inhiare non velim. Cogitet vero hic de specierum sensibilium transmissionibus in animam, & in intelligibiles transcreationibus, qui volet.

SECTIO QUARTA,

De

Systemate Assistentiæ.

§. 64.

IN omni motu notissimum est, posse illi *duo* à se invicem discerni: Impetum, gradum, momentum aut *quantitatem* motus, quæ Cartesiana æstimatione producto ex massa in celeritatem mensuratur; & secundo *directionem* mobilis, sive lineam, secundum quam progreditur. *Cartesio* debemus *applicationem* hujus distinctionis ad rem præsentem: *Voluit* ille motus quantitatem subjicere arbitrio mentis humanæ, ne qua ipsi pereat lex ante asserta, de eadem quantitate motus in universo conservanda: *Sed* directionem tamen liberam *concessit*, sic, ut motus, qui in fluidis nostri corporis est, suam ab anima directionem nanciscatur, atque ita in hanc magis partem deflectat, quam in aliam.

§. 65. Audiamus *Leibnitium* (o): " *Cartesius* negotium hoc velut transactione dirimere voluit, aliquo dato, aliquo retento, dum actionis corporeæ partem ab anima dependentem facit.

o) Theodic. §. 59. p. 110. edit. Latinæ, cujus verba hic exprimimus.

Ratus enim, esse naturæ legem, ut eadem motus quantitas semper in corporibus conservetur, fieri non posse judicavit, ut legem hanc influxus animæ violaret, novumque motus gradum, novam vim corpori imprimeret. Cum tamen animadverteret, in actione motrice distingui posse, ipsam motus quantitatem à directione: Existimavit animam nihilominus posse habere vim mutandæ directionis motuum, qui fiunt in corpore, ad eum ferè modum, quo eques, quamvis equo, quem insidet, vim nullam largiatur, ejus tamen gressum, vires quo libuerit, dirigendo, moderatur: Sed quia hoc fit ope habenæ, freni, aliorumque instrumentorum materialium, quo pacto fieri possit, concipimus, quæ vero hunc in finem adhibere anima possit, nulla sunt instrumenta. Denique nihil est, nec in anima, nec in corpore, id est, neque in cogitatione, neque in massa, quod ad explicandam hanc unius per alterum immutationem servire possit. Verbo: Sive anima quantitatem virtutis, sive lineam directionis in corpore mutare dicatur, utrumque æque inexplicabile est „.

§. 66. „ Adde, post Cartesii tempora repertas esse duas hoc in negotio magni momenti veritates. Quarum prima est, quod quantitas virtutis absolutæ, quæ conservatur, diversa sit à quantitate motus, uti alibi (p) ostendi. Altera, quod conservetur etiam eadem directio in omni-

p) Citavimus loca Leibnitii ad §. 33. not. m) p. 28.

omnibus simul corporibus, quæ inter se agere supponuntur, quomodocunque demum sibi mutuo occurrant, dum scilicet servatur directio centri gravitatis communis. Si lex ista Cartesio nota fuisset, corporum directionem æque ac virtutem imperio animæ subtraxisset, & hoc, opinor, eum ad Harmoniæ Præstitutæ hypothesin recta perduxisset, quo istæ me regulæ duxerunt. Nam præterquam, quod alterius ex his substantiis physicus in alteram influxus nulla ratione explicari potest, observavi, absque omnimoda legum naturæ perturbatione in corpus animam physicè agere non posse „.

§. 67. Sunt ista hujusmodi, ut pro refutatione dicti systematis nihil addi necesse sit. *Quicquid* enim influxui animæ in corpus oppositum est in antecedentibus, ubi motum ipsum dicebatur producere, id repeti potest contra directionis variationem ab anima derivandam. *Experientia* non magis directionem animæ subjectam demonstrat, quàm motus ipsam vim & quantitatem. *Neque* magis *intelligi* potest, qui mutatio directionis fiat ab anima, quàm qua ratione motus producatur? Neque directio in corpore moto potest immutari nisi *resistentia*, reactione, aut impulsu contrario, saltim in diversam plagam tendente. Itaque si impulsus non pendet ab anima, si reactio animæ nulla est, de quo supra disputavimus, etiam directionis mutatio nulla est.

§. 68. *Legem*, quam Leibnitius allegat, primus, quod sciam, *Hugenius* (q) in sphæricis corporibus deprehendit; universalem enuntiavit *Leibnitius* (r). Quodsi enim plura sint corpora, mo-

q) Vid. Extrait d'une Lettre de Mr. *Huygens* à l'Auteur du Journal des Sçavans 1669. 18. Mars. p. 534. Ibi: " Au reste, j'ay remarqué une loy admirable de la Nature, laquelle je puis demontrer en ce, qui est des spheriques, & qui semble étre generale en tous les autres, tant durs que mols, soit que la rencontre soit directe ou oblique. C'est, que le centre commun de gravité de deux ou trois ou de tant, qu'on voudra de corps, avance toujours egalement vers la même coté en ligne droite devant & aprés leur recontre ".

r) Journ. des Sçav. 1696. 9. Avr. p. 262. " Il faut savoir, qu'il y a une autre loy de la Nature, que j'ay decouvérte & demontrée, & que Mr. des Cartes ne savoit pas, c'est, qu'il se conserve non seulement la même quantité de la force mouvante, mais encore la même quantité de direction, vers quel coté, qu'on la prenne dans le monde. C'est à dire, menant une ligne droite, telle qu'il vous plaira, & prenant encore des corps tels, & tant, qu'il vous plaira: Vous trouverés en considerant tous ces corps ensemble, sans ometre aucun de ceux, qui agissent sur quelcun de ceux, que vous avés pris, qu'il y aura toûjours la même quantité de progrés du même coté, dans toutes les paralleles à la droite, que vous aves prise. Prenant garde, qu'il faut estimer la somme du progres en ôtant celuy des corps, qui vont en sens contraire de celuy de ceux, qui vont dans le sens qu'on a pris ". Conf. & Journ. 1693. p. 651. Adde etiam Loy universelle pour quelque multitude de corps, que ce soit, dans quelque proportion de masse, de vitesse, de ressort, de dureté & de molesse, que ce puisse étre, par Mons * * Journ. des Sçav. 1699. 4. May. p. 315. -- 320.

motu in se invicem impingentia, primum inquiritur, notis inter Mechanicos artificiis, eorundem commune centrum gravitatis, pro diversis ante conflictum statibus, ut inde constet, num id quiescat aut moveatur, & si movetur, qua linea, qua velocitate id fiat: Deinde post factum conflictum ex legibus percussionum, pro singulis, ad quæ attendere lubet, momentis, inquiritur eorundem situs versus se invicem, atque ex eo eruitur denuo locus centri gravitatis communis, ut determinatis denuo istis punctis de linea constet, in qua id ipsum moveatur post conflictum, aut de puncto, in quo quiescat. Id ubi feceris, deprehendes *veritatem regulæ* de eadem manente directione centri gravitatis communis in quacunque corporum in se mutuo actione (s).

§. 69. Quemadmodum igitur *Cartesius* ex eo, quod eandem in Universo motus quantitatem conservari voluit, motus spirituum in corpore animalium subduxit animæ imperio, atq; voli-

s) Conf. Memoires de l'Academie Royale des Sciences, A. 1706. p. 584. seqq. edit. Batav. Ubi Dn. *Quadratus* (*Carré*) deducta ex generali formula, lege eadem de centro gravitatis duorum corporum sese percutientium, ex mente & verbis R.P. *Malebranchii*, Magistri sui, communem *Cartesianorum* regulam, de identitate motus in universo perpetua, explicat non de *absoluta* motus quantitate, sed de quantitate motus, *respectiva* versus eandem universi partem, sive de *directione* & motu communis *centri gravitatis* ante & post ictum; cujus quiden metaphysicam quoque rationem reddere allab

tioni prævios voluit: Ita dubium non est, quin, si vivendo attigisset Hugenii Leibnitiique de motu inventa, ex regula de eadem manente directione, istam quoque ab anima independentem, atque à priorum motuum directionibus determinandam dixisset. Ita *incidisset in id*, quod *Harmonia præstabilita dicit* ratione corporis: Quod solum teneri non potest, nisi & alterum addas de anima, ejusdemque mutationibus & perceptionibus corpori harmonicis. Optime adeo Leibnitius: Cartesium (t), si hodieque superesset, necessario in suam sententiam transiturum esse, Cartesianamque Philosophiam (saltim in hoc capite) esse vestibulum veritatis (u).

§. 70. Erunt fortassis, quibus *hæc de Cartesii mente suspicio minus verosimilis videtur*, quia vident, Cartesianos, *Malebranchium* maxime, & qui illum sequuntur, *Cordemæum* cæterosque aliam inivisse viam, & Systema potius occasionale, à nostro diversum exstruxisse. Sed nihil moveor ea ratione, quamdiu diversæ conclusionis caussæ & concludendi modi in Cartesio

t) v. Princip. Philos. Leibnit. in Suppl. A. E. l. c. p. 512. Monadolog. §. 83. Epistol. ad Remon. Tom. II. du Recueil de diverses pieçes, p. 135. quam epistolam historiæ caussa evolvendam puto.

u) Recueil T. II. p. 135. citata: " L'on peut dire, que sa philosophie est à l'antichambre de la verité, & p. 138. Je vous ai peut être deja dit, que je considere la *philosophie de Des Cartes* comme *l'Antichambre* de la veritable, ou l'on n'arrivera que peu à peu.

sio & Cartesianis, quoad præsens negotium allegari possunt. In eo *melior* est *Cartesius*, quod ex eadem motus quantitate in universo permanente, *non immediate* ad primam ejus caussam progressus est, sed præexistentiam saltim motus in corpore concluserit; idem facturus de directione, ut §. antec. diximus. Ex adverso *Malebranchius* cum ceteris ex negata animæ virtute activa *immediate* ad primam motus caussam se convertit, ejusdemque activam vim vocavit in subsidium. Caussæ concludendi diversæ hæ videntur, quod alter de *ordine* motus magis; alter de *caussa* vere efficiente fuerit magis sollicitus: Alter magis *ex regula* motus generali, sancta & inviolabili, alter *ex virtute* infinita ad motum producendum necessaria fuerit ratiocinatus. Inde est, quod *intermedias* caussas efficientes motus particulares hic *negaverit*, ille admiserit (v).

§. 71. *Cartesianos* itaque si audias, *Malebranchium* & reliquos: Ab anima nihil proficiscitur aut pendet effective, quod in corpore fit; nihil à corpore, quod fit in anima. Verum motus corporis omnes immediate & unice pendent à divina virtute & actione, quæ *pro occasione* volitionum mentis atque ad earundem præsentiam, motus illos ipsa & sola efficit; & ad

v) Conf. *Cartesii* Princ. P. II. n. 36. seqq. *Malebranche* Eclaircissemens. T. III. p. 178. *Cordemoi* de distinctione corporis & mentis Diss. 4. p. 83. seqq. apud *Sturmi* in Phys. Elect. T. I. p. 135. 137. 138.

ad præsentiam atque occasione motuum in corpore nostro factorum (quos & ipsos ad aliorum corporum præsentiam, horumque occasione DEUS fecit,) perceptiones animæ producit & mutat: Utrumque vero exequitur secundum certas à se ipso semel arbitrarie latas leges, quarum vigore ad hunc motum hæc perceptio, & vice versa ad alium producitur aila, & vicissim.

§. 72. Dicitur hoc *Systema occasionale*, quoniam secundis agentibus sive caussis virtus omnis activa, sive ex se illam, sive ex divina communicatione habeant, penitus denegatur, iisdemque præter occasionem, ex qua divinæ actionis effectus pro semel latis legibus generalibus, in quocunque casu determinatur nihil quicquam relinquitur. Estque id hodie communissimum, non inter Cartesianos modo, sed & eos, qui videri volunt, nulla sectæ placita sequi, quorsum omnino referimus præ cæteris *Jo. Chr. Sturmium* (x), Virum de saniori physica meritissimum.

§. 73. Dici autem non potest, quam *variis studiis* de eo Systemate in utramque partem disputatum sit. Verum illa plane silentio involvemus, quæ de motu corporum inter se atque illius communicatione huic systemati intertexta sunt

x) v. Physicæ hypotheticæ Usum Metaphysicum c. 2. §. 7 p. 837. de Naturæ Agentis idolo. c. 4. §. 2. de Natura in cassum sibi vindicata contra Schelhammerum. c. 4. & Act. Erud. 1698. p. 208. & seqq.

ſunt ab illius Auctoribus; Neque illa omnia aut diffuſe perſequemur, quæ ad ipſam animæ & corporis unionem ex eo derivandam vel explicandam pertinent. Unum tamen alterumve libabimus. Neſcio vero ſane, quo fonte id *Tourneminius* (y) hauſerit, quando *Leibnitium* Carteſianis ita objicientem facit: " Neque legem à Deo ſibi impoſitam, agendi conformiter in animam atque corpus, neque conſpirationem mutationum in utriſque facere veram quamcunque animæ & corporis unionem ,, Fateor enim,

y) v. p. 869. l. c. ubi: "Il fait aux Carteſiens une Objection, qui detruit entierement leur ſyſteme ſur l'union de l'ame & du corps. Ni la loy, que Dieu s'eſt impoſée d'agir conformement ſur l'ame & ſur le corps, ni le rapport de changemens de l'un à ceux de l'autre, ne ſont entre l'ame & le corps aucune veritable union. Il y a, ſi vous voulés, un parfait rapport: Mais il n'y a point de liaiſon reélle, pas plus qu'il y auroit entre les deux horloges, dont nous parlions tout à l'heure. Il n'y a pas de replique à cette objection: Mais par malheur elle detruit le Syſteme de Mr. de Leibniz auſſi bien, que celuy de Carteſiens ,,. De re ipſa dixi in textu: De comparatione hic dicam. Non ſequitur ſane, ſi arguas: " Ea non eſt realis & vera unio, ubi ratio convenientiæ duarum rerum non eſt in ipſis rebus, ſed extra eas in DEO, eademque penitus arbitraria, ut inter duo horologia externi motoris directione concordantia; Ergo nec illa dici unio poteſt; ubi ratio convenientiæ eſt in ipſis rebus, antecedente ſc. utriusque ſtatu, eademque regulis naturæ rerum conformibus inædificata ,,. Non enim dubito, quin concedas, poſteriori ſenſu propius atque amplius ad ſe invicem referri, ut unum aliquod conſtituere valeant, quam priori,

enim, etsi plurimis locis Leibnitianam de eo Systemate sententiam legerim, non me meminisse tamen, ullibi hanc objectionem fieri, neque illam Leibnitio dignam existimavero, prout hic proponitur, atque in ipsum vertitur à Tourneminio.

§. 74. Potius *hæc sunt argumenta Leibnitii* (z): " Systema caussarum occasionalium (legis verba Viri Illustris latine reddita ab interprete Jesuita ;) præterquam, quod ad conciliandum hujus utriusque substantiæ commercium, *miracula perpetua* introducit, *non cavet perturbationi* legum naturalium in utraque substantia constitutarum, quæ æque violabuntur, sive DEI interpositio ex sententia illa nova, sive mutuus influxus juxta opinionem communem interveniat. Atque alibi (a) de *Bælio*: " Id autem,, (quod leges naturæ arbitrariæ ac indifferentes sint,) maxime verum esse censebat, de lege unionis animæ cum corpore; opinatur enim cum Cartesianis recentibus qualitatum sensilium ideas, quas DEUM, occasione motuum corporis, animæ impertiri putant, nihil habere, quod motus corporis repræsentet, aut illis simi-

z) Leibnit. Theodic. §. 60. edit. Lat. §. 61. edit. Gall.

a) Theodic. §. 340. p. 335. quibus confer. §. 353. p. 345. Non ei (Bælio) necesse fuerat ad Systema caussarum occasionalium confugere, plenum miraculis & hypothesibus, quas nulla ratione fulciri fatentur ipsi ejus architecti. Utrumque hoc vitium Systema à genuinæ philosophiæ indole quam maxime alienum facit.

ſimile ſit. Ita in mero DEI arbitrio erat, caloris, frigoris, luminis, ceterarúmque qualitatum eas, quas nunc experimur ideas, aut prorſus alias nobis largiri. Miratus ſum frequenter, hominibus tam eruditis ſententias tam parum philoſophicas, tamque primis rationis effatis contrarias probari potuiſſe. Nihil enim philoſophiæ alicujus imperfectionem luculentius indicat, quam ſi philoſophus fateri cogatur, *aliquid* in Syſtemate ſuo reperiri, *cujus ratio nulla* exiſtat. Id ſane tandundem eſt, ac atomorum Epicuri declinatio. Sive DEus ſive natura operetur, ſuæ nunquam rationes operationi deerunt,,. Similia prioribus ſunt illa (b) ejusdem: " Pour reſoudre des problemes, ce n'eſt pas aſſes d'employer la cauſe generale, & de faire venir ce qu'on appelle, *DEum ex machina.* Car lors que cela ſe fait ſans qu'il y ait autre explication, qui ſe puiſſe tirer de l'ordre des cauſes ſecondes, c'eſt proprement recourir au miracle. En philoſophie il faut tacher de rendre raiſon en faiſant connoitre de quelle façon les choſes s'executent par la ſageſſe divine, conformement à la notion du ſujet, dont il s'agit,,. Denique & eo ipſo loco, (c) quo cum horologiis hæc ſyſtemata contendit, & quem fortaſſe innuunt verba Tourneminii, ſic loquitur: " La voye de l'Aſſiſtance eſt celle du Syſteme des cauſes

b) Journ. des Sçav. 1695. 4. Juill. p. 456.

c) Journ. des Sçav. 1696. 19. Nov. p. 709.

ses occasionelles : Mais je tiens, que c'est faire venir Deum ex machina, dans une chose naturelle, & ordinaire, où selon la raison il ne doit entrevenir, que de la maniere, qu'il concourt à toutes les autres choses de la nature,,.

§. 75. *Tria* igitur sunt potissimum, quæ desiderat Vir sagacissimus. *Primum*, quod neque sic in salvo sint leges naturæ & motus. Perinde hic est, sive anima humana suis volitionibus efficiat in corporibus motum, sive occasione & pro ratione volitionum istarum DEus producat illos in corpore motus. Neutro casu servantur leges utrique substantiæ latæ: Neque Ethico-Logicæ (d), quibus anima subjicitur, & quæ faciunt, ut affectuum in anima prodeuntium caussæ sint in anima; neque physico-mechanicæ, quæ motum motui caussam postulant in corpore. Nullum enim hic est principium naturale, ut mox dicemus, adeóque nullum legibus naturæ alligatum. Neque id fieri potest: Si actiones immanentes consentientibus Cartesianis ita liberæ sunt, ut quorsumcunque velis determinare appetitus animæ possis, quidni & illa velle possis, aut eo tempore, ut, si convenienter hisce volitionibus Deus in corpore motum excitet, leges naturæ & motuum inde patiantur.

§. 76. *Secundum*, quod male habet Leibnitium, id est, Cartesianos plane liberas atque omni-

d) v. Recueil de diverses Pieces T. II. p. 330. ubi dictas legum appellationes deprehendes.

ınino arbitrarias facere istas Leges genera-
ı, quarum vigore DEUS occasione motuum
rceptiones operatur, & vice versa. Scilicet
nunquam ferre potuit Vir *philosophus*: Dari,
istere, aut fieri aliquid sine ratione, sive id
: spiritibus dicatur, sive de corporibus. De
ırporibus facile omnes consentiunt, sine
ussa efficiente nihil fieri: In spiritibus ali-
ıando hæsitari videas, ubi sine caussis finali-
ıs nihil fieri posse contenderis. Sed qui mo-
ım cogitaverit, quo spirituum atque agen-
um liberorum indeterminata voluntas ad de-
rminatum quid promoveatur, ille, opinor,
ullum temere casum concedet existere, quo
ıpiens se ad quicquam sine caussa determinet.
aque id DEO tribui non potest, leges, quas
le inter plures possibiles suo operi applican-
as selegit, esse plane arbitrarias, neque ullo
: argumento præ cæteris commendare. Po-
ius arbitror, omnibus rei attendentibus pro-
atum iri, quod Leibnitius (c) porro addit:
In naturæ quidem operationibus rationes
el à veritatibus necessariis, vel à legibus,
ıuas DEUS rationi conformiores judicavit, pe-

F ten-

(c) v. la Theodic. §. 340. p. 535. edit. lat. fin. Videtur Gallica clarius dicta: « Dans les operations de la nature, ces raisons dependront ou des verités necessaires, ou des loix, que Dieu à trouvé les plus raisonnables; & dans les operations de Dieu, elles dependront du choix de la supreme raison, qui le fait agir ».

tendas: In operationibus autem DEI ab electione suprema rationis, qua DEUS ad agendum movetur, dependebunt „.

§. 77. *Tertium*, cui nos inhærebimus, hoc est, quod ista sententia pepetua faciat aut supponat miracula. *Miraculum* proprie dictum, definio, Leibnitium (f) secutus atque Wolffium, (g) consentientibus, nisi me omnia fallant, Theologis & Philosophis extra Angliam (h) plerisque, per effectum ejusmodi, qui sui caussam non habet in natura rerum, sed extra eam, in Auctore rerum, DEO, unice quærendum: Qui vires creatorum transcendit: Vel &, qui per naturales creatorum vires, per conceptus, affectiones, naturam aut essentiam rerum explicari non potest; sive cujus ratio reddi non potest ex ijs, quæ in rebus observari possunt; ubi tamen *memineris*, in duabus ultimis phrasibus non de eo sermonem esse tan-

f) v. Theodic. §. 207. Le caractere des miracles, (pris dans le sens le plus rigoureux) est, qu'on ne les sauroit expliquer par les natures des choses crees. Conf. Epist. V. ad Clarck T. I. p. 144. §. 117. & adde Theodic. §. 249.

g) Metaphys. §. 633. - 638. Ubi & conceptum nostrorum Theologorum allegat, & contra Spinozæ, Lockii & Clarckii definitiones approbat.

h) Modo diximus, hic falli Lockium, & Clarckium quoque ipsum hic in transversum agi à suis. v. Resp. II. ad Leibn. §. 12. T. I. p. 27. Epist. Leibnit. III. §. 17. p. 37. Clarckii resp. III. §. 17. p. 47. &c. de Lockio vid, Posthumous Works. p. 217.

atum, quod nos non possumus, sed quod
:c ille posset, qui rerum naturas pervide-
t (i).

§. 78. Hoc præmisso *manifestum est*, si per-
ptionis meæ, cum ego nunc dolorem ex
uscæ manui insidentis punctione sentio, ne-
ue in animæ præcedenti statu, neque in cor-
oris cum anima commercio, vera & realis
ussa est, sed à DEO illa unice excitatur ad
terius præsentiam, id *miraculum* fore; & si
pius id contingat, miraculum fore *repetitum*;
semper accidat, *perpetuum*. *Neque id moror*,
uod dici possit, esse aliquam in corpore illius
fectus caussam, occasionalem scilicet. Occa-
o enim, non vere influens, hoc est, occasio
nnis, consistere potest cum miraculo; quis
escit, occasionem à miraculis non abfuisse?
t quis putet, nostra definitione admissa, id
esinere esse miraculum, si ad quamcunque
aculi exporrectionem aquæ scinderentur di-
na virtute? Quis non potius id constans,

F 2 repe-

) Nimirum, id non est miraculum statim, cujus rationem philosophi hactenus assecuti non sunt. Quis caussam gravitatis tenet? An ideo est miraculum, gravem esse lapidem, & cadere non suffultum? Potius hanc ejus naturam esse constanti rerum observatione novimus; & innatare ferrum aquæ, solidum ignem non lædere, corpus humanum in sublime latum secare aërem &c. ultra naturales rerum, & observatione cognitas vires ascendere legitimo intelligimus argumento. Verum ista diffusius, ubi ex instituto,

repetitum, imo perpetuum esse miraculum, admiserit ?

§. 79. Ut tamen id clarius patescat, removendum est id, quod *Malebranchio* (k), *Bælioque* (l) & ceteris fuit offendiculo. Existimatum est non paucis, id non amplius esse miraculum, quicquid fiat per leges naturales, saltim nobis cognitas. Verum hic, si placet, *distingue* leges (m) generales, (sive nobis cognitas sive incognitas,) & leges naturæ. Quicquid fit legibus naturæ, hoc est illis, quæ ex natura rerum consequuntur, quæ per naturam rerum agunt, & quorum effectus ex natura rerum potest explicari: *id omne* est naturale & miraculo vacuum, eidemque contradistinctum. Sin leges fuerint generales quidem, etiam cognitæ nobis, sed non possint executioni mandari

k) *Malebranche* Entret. sur la Metaphys. XII. p. 490. " Par miracles j'entens des effets, qui dependent des loix generales, qui ne nous sont point connues naturellement ". Igitur si legibus aliquid generalibus accidit, iisque naturaliter cognitis, miraculum non est, sensu Malebranchiano. Non disputo de voce, manet hoc tamen, quod effectus ille viribus naturalibus non præstetur. Atque id puto satis esse eo, ut Systema id exosum fieri possit Philosophis.

l) Ita Bælius apud Leibn. Theodic. §. 354. " Hæc omnia citra miraculum peracta fuissent, de his enim omnibus *leges generales* exstituræ fuisse ponuntur ". In quo is longius à vero recedit, atque Malebranchius fecerat.

m) Distinctio est Leibnitii Journ. des Sçav. 1709, T. II, Suppl. Juin p. 602.

dari per naturam rerum intermediam, atque à DEO semel efficacem redditam: *omne id*, quod secundum hasce leges à divina virtute perficitur, miraculum est. Accipe exemplum Leibnitio (n) familiare: Si vel maxime DEUS legem corporibus ferret, ut se mutuo attraherent sine medio, ut libere moverentur in circulo, etsi nihil esset aliud, quod ipsa retraheret à motibus in tangente rectilineis; id per naturam rerum obtineri non posset; itaque, si fieret, miraculum foret, cum divina vis eum naturæ & virium centripetarum, quas vocant, defectum una, sola atque immediate supplere necessum haberet. Motus enim ille, cum sit minime simplex, ab uno in corpus facto impetu, quo rectilineam directionem sequeretur, derivari non potest: Sed nova in omnibus punctis actione & versus centrum pressione opus habet.

§. 80. Vides igitur, quicquid sit de legibus generalibus, quicquid de voce miraculi, quam facile tibi liberam relinquo, atque ex hoc discursu, si velis, elimino, *saltim hoc consequi*: Effectus in natura rerum ordinarios nullam in natura caussam agnoscere: Naturam non esse Systema, in quo posteriores rerum status aliqua rerum ipsarum convenientia consequantur ex prioribus, aut naturalem ad eos respe-

 ctum

n) v. Theod. §. 207. 355. Epistol. III. ad Clarck §. 17. Journ. des Sçav. l. c. & passim.

ctum habeant: Sed esse aggregatum entium, quorum mutationes Auctor eorundem plane liberrimo & simplici arbitrio alicui placito generali sic alligaverit, ut ipse omnia solus atque unicus facere velit isti regulæ conformiter. Quale id foret, si quis liberrimo decreto ordinem sibi penitus arbitrarium præstitueret, eundemque deinceps ita ipse exequeretur; ubi rerum quidem successio & successionum similitudo obtineri posset, quoniam vero nulla rerum inter se connexio esset, sed mera occasionalitas indifferenter determinata, in ea quidem coordinatione nemo Auctoris sapientiam (o) quæsiverit. Verum illud *eo saltim* dictum est, si omnino arbitrarias eas leges feceris: Sin convenientiam aliquam eorum adeoque non omnimodam indifferentiam, admiseris, cessabit id, quod hic est difficillimum. Non evitabis tamen *hoc inconveniens*, quod DEUM animæ atque corpori perpetuum quasi interpretem alliges, qui & pro corpore ad animam loquatur, & animæ vo-

o) Sapientia nimirum supponit rerum ad se invicem habitudines, mediorum atque finium connexiones: Constantiam igitur in executione observes & dilaudes profecto; in coordinatione sapientiam difficulter ostenderis. Neque sufficit mihi viarum simplicitas, & effectuum admirabilis varietas, si nullus præ altero effectus naturalem cum hoc vel alio obtinendi modo cohæsionem habet. Cedam tamen lubentissime ea objectione, si luculenta sapientiæ specimina in ista suppositione demonstraveris.

voluntatem corpori insinuet, hoc est, quod effectuum naturalium supernaturalem tantum caussam alleges.

§. 81. Quodsi autem eo Te recipies, ut in illo ipso velis naturam rerum collocare, aut *naturales vocare* eos effectus, qui sequantur legem à DEO latam, sive jussum illud divinum, cujus efficacia nunc omnia peraguntur: Tum distingui velim cum Leibnitio (p). Scilicet divinum illud beneplacitum, cujus virtute nunc in tuo Systemate animantur corpora & afficiuntur animæ, vel *extrinsecam* rebus *denominationem* tribuit, nullam veram & in illis perdurantem vim vel efficaciam iisdem imprimit: *Vel expressum* aliquod *ui vestigium* in rebus relinquit, inditam aliquam efficaciam, vim vel formam, à qua deinceps pendent & producuntur effectus legem istam secuti. *Si prius*: In eo naturam collocare non licet, quæ rebus est intrinseca; neque effectus ratione naturali ab ea consequuntur (q), sed unice atque immediate pen-

 dent

(p) Disjunctio est Leibnitii in Act. Erud. 1698. m. Sept. p. 430. cui conf. responsa Sturmii in iisdem Actis 1699. m. Majo p. 216.

(q) Dico, operationibus, non, decretis. Ut enim hoc facile concedam, imo urgeam, non posse decreta DEI effectu vacua esse, & sufficere effectibus perennantibus Decretum ejus unicum, perpetuo efficax: Nego tamen, id Decretum posse veros extra Deum effectus præstare in rebus naturalibus, nisi vel initio perdurantem in illis potentiam producat, vel actionibus continuo re-

dent à divina, & repetitis actionibus operosa virtute, nihil conferentibus rebus naturalibus, adeoque manent miracula; actionis autem divinæ, sive jussi illius nullus est in corporibus effectus verus, realis, perdurans, nullum apotelesma. *Si posterius*: Concedis in rebus principium, â quo pendent earundem mutationes, saltim in corporibus principium motus, & in spiritibus perceptionum. *Non* enim puto, hic *sufficere*, si dicas, id vestigium esse *pure passivum*, uti videtur voluisse Sturmius, Vir Doctissimus, qui habilitatem interpretatur ad ulteriores multivarias & specificas impressiones recipiendas: Præterquam enim, quod passivum ejusmodi vestigium sive habilitas, producendis actu motibus non sufficiat, existimo etiam id sequi ex corporum, quatenus compositorum, essentia, non vero esse effectum divinæ voluntatis beneplacito compositis rebus superinductum; quod tamen dici potest de principio activo in corporibus, utpote quod ex com-

---

petitis efficaciam suam obtineat. Non igitur imputo Cartesianis, quod repetita DEO Decreta tribuant, sed repetitas semel lati ejus decreti generalis executiones effectivas: Neque igitur divinæ voluntatis sive constantia sive efficacia salvam ab hac objectione thesin præstant. Si dubites: Responde ad dilemma, & vel alteram ejus partem assume, vel ostende tertiam, à prioribus distinctam. Loquere autem, si placet, perspicue, & determinate.

›mpositionis ratione, modove, atque adeo
ε compositi essentia derivari non potest.

§. 82. Et fateor profecto, nisi hoc concesseris, divino illo & primævo jussu, efficaciam
bus & principium activum inditum, *me non
telligere, quid* sit id, quod *DEUS eo decreta
fecerit?* Neque omnino capere possum, quo-
ıodo sine ea in perpetuum efficax sit istud
ecretum, etsi nulla nova volitio aut novus
›natus accedat, quo DEUS nunc istos mo-
ıs producat? Si stuporem hunc putes, expli-
ı, si potes, ista *Sturmii* (r), sed distincte.
„Uti caussam motus, inquit, de novo produ-
endi aliam, quam DEUM ipsum agnoscere
on possumus: Ita necessum haud erit in qui-
uslibet communicationibus aut determina-
onibus motuum & actionibus peculiaribus,
EUM ipsum, tanquam immediate motum
uemvis in individuo de novo (nunc demum
sine omni medio corporeo) producentem
legare &c „, sed videor mihi tutus esse, si
e *Leibnitii* exemplo tuear, qui & ipse hic
iam ignorantiam non semel (s) confessus
t. Manet itaque ex dictis, nisi divino jussu

F 5 effe-

v. Diss. de natura sibi in cassum vindicata c. 3. n. §. 5.
6. p. 717. & loca ibi allegata ex Physica concil. &
Hypothes. præcipue §. 6. 7. p. 723. 724.

v. Journ. des Sçav. 1709. T. II. Suppl. Juin. p. 600. Et
pour dire la verité, je ne comprens rien dans le senti-
ment contraire, Conf. Act. Erud. m. Sept. Ann. 1698.
p. 432. §. 9.

effectum perdurantem, activumque aliquod principium in rebus productum concedas: effectuum & mutationum omnium nullum esse principium internum, naturale nullum. Quid ergo! Supernaturale & miraculosum. Atqui id vitium est in physicis, si effectibus naturæ specificis, (iisdemque omnibus) caussa quæratur extra naturam.

§. 83. R. P. *Tourneminius* (t) Cartesianam in nostro negotio *responsionem piam* putat, sed, an *philosophicam* esse concedas, ambigit. De priori nihil dicam: Saltim de celeberrimo *Sturmio* satis patet, eum optima mente & voluntate istam defendere, ut passim obtestationes docent. Philosophicam hactenus non concedo, quatenus id philosophicum dicitur, cum naturalia explicantur ex natura. Consentio itaque hac parte cum Doct. quem dixi, Viro Jesuita. Sed in eo non possum adstipulari, quando idem (u) contendit: Id Cartesio & discipulis ingratum fore, si legitime caussam suam egisset eorum defensor Anonymus, à divina voluntate derivans id commercium, quod

t) Mem. de Trev. 1703. p. 866. La reponse est fort devote: Je ne say, si vous la trovés afsés philosophique.

u) v. l. c. p. 1858. ubi. Si le defenseur des Cartesiens avoit bien prouvé, ce qu'il pretend, il auroit rendu aux Cartesiens & à Monsieur des Cartes un fort mauvais office. Tous leurs ouvrages deviendroient inutiles: La Physique seroit reduite à des meditations sur la volonté de Dieu,

quod hactenus inter animam & corpus ex eorum mente obtinere diximus? Ita enim opera eorum *inutilia fieri* putat, & physicam converti in *meditationes de voluntate divina.* Verum ista *nec quicquam sequi* video. Fac, omnia fieri secundum Systema occasionale, omnia DEO unice operoso, creaturis nude patientibus: *Non* tamen ea propter *Physicam abolere* diceris; quamdiu eam divinam operationem concesseris sequi leges, arbitraire quidem à DEO stabilitas, & secundum quas ipse solus operatur, etiam repetitis, si tibi placeat, molitionibus, sed generales tamen, quæ ex naturæ observatione atque experimentis possint erui, sic ut intelligas; quænam sint ea, quæ DEUS mutuò velit & faciat se invicem consequi. Neque minus laudabile erit, inquirere, quas DEUS suæ in naturam actioni leges fecerit, quam investigare, quibus legibus prodeant naturæ phænomena ex primæva rebus à DEO impressa vi & efficacia. *Meditationes de voluntate* divina, si volitionum caussas investigare velis, sunt metaphysicæ quidem, ex divinæ sapientiæ consideratione eruendæ: Sed physicæ sunt, quatenus ex rerum naturalium (x) ordine eruitur, quid velit, aut quibus legibus machinam suam subjecerit divinissimi Artificis consilium.

§. 84.

x) Quomodo id fieri possit & debeat vid. Wolfii Metaphys. §. 1007. & seqq.

§. 84. Uti vero hic nimis largam ex Cartesianismo consequentiam intra suos limites constrinximus: Ita probare institutum non possumus, si *communes loquendi formulæ* in Cartesianos vertantur, quasi res penderent ex formulis, iisque popularibus, quibus phænomena solent exprimi; non contrà formulæ sequi deberent rerum veritatem, qualis ratiocinando detegitur. Itaque id nihil officere puto Cartesianis (y), quod solem lucere, globum ferire, animam movere, hominem loqui, scribere &c. dicimus. Quodsi enim ea vera esset sententia, quam Viri Doctissimi defendunt; quid in eo foret incommodi, si consequeretur, vulgi voces ex philosophorum placitis (z) emendandas esse?

§. 85.

y) Malo id *jocum* interpretari, quam argumentum, quando *Tourneminius* p. 867 ait: Vous êtes instruit sur ce que pensent les Cartesiens, de ce, qu'ils appellent les causes occasionelles. Vous souvenes, que ce n'est pas le boulet, qui abbat une muraille, mais Dieu, qui l'abbat à l'occasion du boulet.

z) Ita neminem opinor contradicturum *Dodardo*, qui sonum, aëre per contractam plus minus glottidem erumpente genitum, fieri gratum asserit, cum in cavitate oris & narium resonare illum contingit; eo forte argumento motum quod ingratam vocem *per nares* editam vulgus pronunciet. Loquatur enim vero vulgus, ut consuevit! Philosophi sentiant, ut debent; secuturi naturam rei, & fultam experientia rationem! Sunt plura hujusmodi exempla in sermone hominum quotidiano; Sufficiat vero id unum, quia vehementer ob-

§. 85. *Esse* autem & *alia*, quæ urgeantur adversus hoc, quod præ manibus est, Systema, facile videas *apud Cel. Wolfium* (a). Verum illa supponunt, præmissam esse de Mundo tractationem: Itaque ab illis in præsentia rerum abstinendum esse remur, ne in immensum excrescat oratio. Quemadmodum & ab illis temperamus nobis, quæ, quantumvis lenita, *durius sonant*. Cujusmodi est illud *Leibnitii* (b), posse sententiam *Cartesiānam*, sed *nimium extensam*, etiam non cogitantes *ad Spinosismum* deducere: Quo tamen ipse noluit optimis viris istam maculam inurere, quemadmodum & alibi, cum id de sententia quadam alia *Cartesii* (c) evicerat, *ipsum* tamen, at-

vium. Histoire de l'Acad. des Sciences 1700. p. 26. & Memoires p. 224. Hist. 1706. p. 24. & Memoires p. 172.

a) In Instit. Metaphys. §. 764.

b) v. Journ. des Sçav. l. c. 1709. p. 600. Si le sentiment contraire étoit outré, il pourroit nous mener sans y penser à une doctrine dangereuse. Celui qui soutient, que Dieu est le seul acteur, pourra aisement se laisser aller jusqu'a dire avec un Auteur moderne fort decrié, que Dieu est l'unique substance, & que les creatures ne sont que de modifications passagéres, car jusqu'ici rien n'a mieux marqué la substance d'agir. Saltim Leibnitius eum canonem, quod actiones sint suppositorum, de omni substantia singulari reciprocum esse existimat in Act. Erud. 1694. 1695. & 1698.

c) Locus est in Journ. des Sçav 1697. 17. Juin p. 441. & prolixe 20. Aoust p. 624. 625. Geminus vero prioribus est §. 15. in Act. Erud. 1698. In Sept. p.

atque ejus bonam mentem disertis verbis *defendit.* Verum ista huc usque de *secundo* Systemate, quod vocavimus Assistentiæ. Sequitur

SECTIO QUINTA,

De

Systemate Harmoniæ Præstabilitæ.

§. 86.

PRimum *generale* argumentum esto. *Vidimus*, harmoniam esse inter animam & corpus, atque mutationes utriusque. *Vidimus*, præsuppositâ utriusque existentiâ contingenti, tres solum diversos esse modos, quibus eam explicare liceat. *Vidimus*, non admitti posse primum, quod scilicet altera pars hominis agat in alteram. *Vidimus*, non concedi posse secundum, quod DEUS harmoniam illam suis semper operationibus efficiat. Itaque *consequitur*, obtinere tertium, quo substantia utraque sibi habet res suas, suarumque mutationum principium & rationes in se continet, verum ita, ut: Quia primum utriusque statum DEUS concordem vidit & fecit, illæ mutationes secutæ leges suas, mutuum ad se

Ubi & eadem consequentia de Spinozismo ex occasionalitate non limitata occurrit, & Clar. quoque *Sturmii* innocentia simul asseritur.

ſe invicem reſpectum habeant atque ſervent.

§. 87. Intelligitur, quæ hucusque diximus, *non præliminaria tantum* noſtro Syſtemati, neque omnino aliena fuiſſe, aut vagæ compilationis affectatione prodiiſſe: Sed potius *primum* noſtræ ſententiæ *argumentum* eſſe, idemque in noſtra complicatione ſatis firmum. Dico *in noſtra complicatione*, qua & exiſtentiam utriusque ſubſtantiæ involvimus, & contingentiam utriusque, atque adeo & omnis diverſæ explicationis aut refutationem aut excluſionem: Ex hiſce enim omnibus ſimul ſumptis *ipſa* ejus *actualitas*, adeoque & poſſibilitas à poſteriori concluditur, adeo, ut niſi hoc Syſtema ſit, nullum ſit aut eſſe poſſit (d): Unde conſequeretur in datis errorem eſſe; nullo itaque explicationis modo ſalvandum.

§. 88. Moneo autem iſta in hunc finem, ut, ſi videas, magnum Virum, Clar. *Wolfium*

d) Vides hic nobis etiam adhuc cauſſam eſſe, quare doctiſſimo, elegantiſſimoque ſcriptori, *Fontenellio* adſtipulemur, cujus in Hiſtoria Academiæ Scientiarum 1716. p. 143. hæc verba legimus: Si tous les deux (Syſtemes, l'un de Mr. des Cartes, & l'autre de Mr. Leibniz) ſuccomboient aux objections, id faudroit, ce qui ſeroit bien penible pour les philoſophes, qu'ils renonçaſſent à ſe tourmenter davantage ſur l'Union de l'Ame & du Corps. M. Deſcartes & M. Leibniz les juſtifieroient & n'en plus chercher le ſecret.

ſiuru (e), ipſumq; aliquando *Leibnitium in poſſibilitate Syſtematis* eruenda aut aſſerenda *occupari*, ejus rei neceſſitatem ad præſentem §. 86. trahere nolis, neque Leibnitianas mihi voces obvertere, quando ille & hoc deſiderat alicubi (f) in Carteſianis, quod nonnunquam neglexerint poſſibilitatem ſuæ definitionis, ita hic ego Syſtematis oſtendere. Illud enim eo pertinet, ſi quid ex rei natura vel definitione à priori debeat concludi: Adeoque hactenus à me potuit omitti, inferius ſolicite obſervandum §. 105. & ſeqq.

§. 89. Cætera, *cur* initio maluerim *hanc viam ſequi*, ſi cauſſam quæſiveris, hanc habe inter alias, quod & magis naturalem eſſe crediderim per §. 23. & quod viderim, Leibnitium (g) hanc calcaſſe in inveniendo ſuo Syſtemate. Exiſtimo enim, quod interſit rei literariæ, attendere ad modus atque ordinem, quo magni Viri ad ſua pervenerint, eosdemque

(e) v. Ejus Metaphyſ. §. 767. & Leibnitii reſponſiones Bælio & Lamio factas, & paſſim.

(f) v. Schediaſma de cogitatione, veritate & ideis in Act. Erud. 1684. m. Nov. & conf. Reflex. ſur l'Eſſai de l'entendement de Mr. Looke. T. II. du Recueil des diverſes Pieces de Leibniz. p. 146.

(g) v. Jour. des Sçav. 1695. 27. Juin. 4. Juil. qui locus eſt, ubi *primum* Leibnitius in publicum hoc Syſtema *edidit*, poſtquam *ultra decem annos* jam preſſerat. v. p. 639. Ibi autem 456. refutato prius Syſtemate Carteſiano, inquit; Etant donc obligé d'accorder, qu'il

que vel in inveniendo, vel & in proponendo imitari. Verum ista transeamus, ne videatur filum orationis perdidisse, atque ad logicas observationes deflectere.

§. 90. Specialius & magis pro Systemate, si res expediri debeat, sciendum est ex Leibnitianæ, &, quæ huic consentit, Wolfianæ philosophiæ placitis (h): *Substantias* omnes esse vel *simplices* vel *compositas* (i); illas ob simpli-

G

n'est pas possible, que l'âme ou quelque autre veritable substance puisse recevoir quelque chose par dehors, si ce n'est pas la toute-puissance divine, je fus conduit insensiblement à un sentiment, qui me surprit, mais qui paroit inévitable, & qui en effet a des avantages tres grans & des beautés tres considerables. C'est, qu'il faut donc dire &c.

(h) *Breviter* ista quidem, hoc loco: Neque enim id ago, ut rigidis omnia Demonstrationibus fulciantur, sed ut ordinem rerum & coagmentationes thesium intelligas. Cetera, si tempus ferat & occasio, & circumstantiarum, quibus cingimur, externarum ratio suadeat; dabimus id amicorum monitis & utilitati, saltim commoditati, discentium, (ingloriius enim ille labor est, & præsenti similis,) ut sive *Commentarium*, sive Divinationes *in principia philosophiæ Leibnitianæ*, qualia in Act. Erud. edita conspicimus, Suppl. Tom. VII. Sect. XI. p. 500. seqq. publicæ Eruditorum censuræ aliquando exponamus. Interim, si placet, adi Metaphysicas Cel. Wolfii Institutiones, adhibita in subsidium Præfatione illius ad Germanicam Commercii Leibnitio-Clarckiani translationem, Lipsiæ 1720. editam ab Interprete Henrico Köhlero.

(i) Memini eorum, quæ de compositis admonuit Leibnitius, tum passim in Actis, tum & in Collectione sæpius ci-

plicitatem ſuam *unitates* dici aut *Monades*. Earum *exiſtentiam* neminem negare, niſi qui numerum & multitudinem ſine unitatibus poſſit concipere. Eſſe autem illas *non perfecte ſimiles*: Si enim id foret, nullam hinc in compoſitis varietatem oriri poſſe, ſaltim ubi omnia plena credideris: Differre autem non figura, mole &c. quibus careant ſimplicia (k); *differre* non *ſtatu* externo, quorſum figura &c. pertineret: Igitur *interno*, qualis in ſimplicibus attendi poſſit. *Statum* illum *internum* poſſe variari ob naturam finitudinis; finita enim dicuntur, quæ non omnia ſimul habent, quæ habere poſſunt, eoque ſucceſſive illa poſſunt obtinere. In mutatione ſucceſſiva omni contineri varietatem & multitudinem; manere enim aliquid, ubi mutatio contingat, & variari aliquid. Multitudinem igitur eſſe in ſimplici, non realem ſane & partium proprie dicta-

tata, T. II. p. 7. 133. 189. 227. Journ. des Sçav. 1695. p. 461. Non poſtulat autem hic locus eam ſubtilitatem; neque ab iſta appellatione, qua utimur, Leibnitius abhorret. v. Supplem. Actor. T. VII. p. 502. n. 17.

k) Carent enim partibus, ex definitione ſimplicium: Carent igitur extenſione, quæ partes extra partes poſtulat; Carent adeo etiam terminis extenſionis, i. e. figura. Ut enim finita ſint, eoque limitata in eſſentia, affectionibus, virtute, effectibus ſuis: Non ſunt eapropter extenſa, eoque nec figurata. Quis figuram ſpiritibus determinat, etſi finitis?

tarum: Repræsentatam igitur, & graduum (l), *epræsentationem* illam multitudinis tanquam xtra Monadem existentis, factam in simpli-i, *generali* quidem vocabulo vocari *perceptio-em* (m) posse. Perceptionem esse diversi *gradus ecifici* (n): In *simplicibus Monadibus* esse debilem, ne sensu, sine conscientia, confusam, obscuram, ualis est v. g. soni debilioris perceptio in ho-ine dormiente, non somniante, neque per onum evigilante, qualis est luminis manui eæ allabentis, cujus aliquam impressionem,

 sed

) Quid à proprie dictis partibus, totum componentibus, differant gradus: Id exemplis vulgo cognitum est, Major est attentionis gradus, qui duobus, aut pluribus objectis considerandis sufficit, quam ille, qui vix uni eorum sufficiat. Neque tamen attentioni partes proprie sic dictas communiter adscribimus, etsi gradus quo-que ad illarum analogiam consideremus utiliter.

i) Suspendit de perceptione sententiam Eruditissimus Chr. Wolfius in Institutionibus Metaphysicis: Neque minus tamen e suis quoque principiis intulit, statum simpli-cium internum respicere Universum, & pro vario ad Universitatem habitu differre. In secunda etiam Editio-ne possibilitatem Monadum Leibnitiano sensu perce-ptivarum adjunxit. v. §. 595-599.

) Ne mireris vocem: Quod gradus aliquando sufficiant differentiis specificis, non est novum in Metaphysicis. Dabo cum exemplis testimonia, cum necesse fuerit. Specificos vero gradus hic voco, cum novus cogitandi modus accedit priori, obscuro clarus, confuso distinctus: Et aliam illam substantiæ speciem puto, quæ *tantum* obscure percipit; aliam, quæ nonnulla clare; aliam, quæ confuse tantum; &, quæ distincte nonnulla, aliam; aliam, quæ distincte omnia.

ſed valde perquam infirmam eſſe, nemo hodie dubitat, etſi neque ſenſu perceptam, neque conſcientia. In *Monadibus corpori organico* junctis, atque in eo *prædominantibus*, h. e. *Animabus*, perceptiones eſſe prioribus fortiores & aliquando claras, quales ſunt perceptiones ſenſuum, ut Luminis perceptio, cum oculo incidit, atque in ſubtilioribus nervi optici fibris, illi rei convenienter diſpoſitis, extantiorem ſuo niſu impreſſionem facit: Plurimas tamen & obſcuras eſſe. In *Spiritibus* denique finitis, tertia Monadum claſſe, qualis eſt anima humana, perceptiones dari & obſcuras plurimas, & claras multas, ſed confuſas, & diſtinctas etiam: Inde eſſe & conſcientiam ſui & intellectum, & quæ inde conſequantur (o).

§. 91.

o) Exiſtimaſſem, ſatis illa perſpicue dici, ut intelligeretur, an monades Leibnitianæ ſint ſpiritus, an corpora? Quia tamen id *ſæpenumero* ex me quæſitum eſt: Diſertam quæſtioni reſponſionem applicabo. Corpora ſunt aggregata ſimplicium: Ergo monades non ſunt corpora. Sed neque omnes ſunt Spiritus; quam vocem tertiæ demum claſſi propriam ſervamus. Nimirum hallucinamur in diſtinctione *ſubſtantiarum*: Quando illas *immediate* in corpora & ſpiritus diſpeſcere conſuevimus. Sunt omnes ſane ſubſtantiæ aut materiales aut immateriales. Ita Monades neceſſario erunt aut materiales, aut immateriales: Tertium enim nullum datur. Verum id vitium eſt, ſi pro ſubſtantiis immaterialibus, hoc eſt, iis quæ non ſunt materia, aut corpus, tanquam perfecte æquipollentes ſpiritus velis ſubſtituere. Vide, quæ in eum errorem, & circa hoc ipſum exemplum, dixit Lau-

§. 91. Ejusmodi Monades nec *incipere* posse, nisi per *creationem*; nec *interire*, nisi per *annihilationem*: Ceteros enim ortus & interitus modos successivos requirere partes in subjecto: Simplici igitur momentaneum competere; hujusmodi esse illos, quos diximus. *Nihil* quoque *rerum creatarum* & *externarum* posse *agere in interiora Monadum*, quia nihil hic transponi possit, nullus concipi motus internus, ut in compositis; neque quicquam in hæc simplicia possit ingredi, nihil egredi (p). *Mutari* tamen ipso quoque facto Monades, uti creata omnia. Mutari ergo oportere non ipsam essentiam, aut id quod perdurans est in substantia, sed *limitationes* ejus, gradum intellige illius perceptionis, quam diximus: Mutari autem à *principio interno*. Principium mutationis hujusmodi omnis generale *vim* vocari posse, & per conatum explicari, qui quasi *medius* sit inter nudam potentiam, quæ adhuc sui excitationem requirat ad actionem, & ipsam actionem, & cujus hæc natura sit, ut nitatur exserere actionem, atque adeo exserat, cum impedimenta tolluntur, cujusmodi sit gravitas in lapide suspenso, elaterium in ela-

 tere

sannensis Philosophus Celeberrimus, *J. P. de Crousaz* Logique P. I. S. II. c. IV. §. v. Tom. II. p. 639. 640.

p) Non *Substantiam* primo, ne vel duas in simplici substantias nanciscare, vel nihil retineas; Sed neque *accidens*, quod transitum illis, e subjecto in subjectum migraturis, Philosophi negent communiter.

tere tenſo &c. *Actionem* illius principii in monadibus interni, qua fiat mutatio ſive tranſitus ab una perceptione ad alteram, dici *Appetitum*, generali iterum vocabulo.

§. 92. Ex iſta igitur vi & actione pendere *mutationes* in ſubſtantia ſimplici *naturaliter omnes*. Cur autem nunc hoc præciſe, nunc alio modo compoſita ſive Univerſum à Monadibus repræſentetur, ſive cur ita nunc *determinentur* illius *perceptiones*, id oriri ex determinationibus ſtatus antecedanei, pro Legibus naturæ rerum convenientibus. *Primam* vero perceptionem ſive repræſentationem *quoad exiſtentiam* ſuam pendere à divina voluntate & potentia, quæ res poſſibiles in actum deduxerit: *Determinationem* ejus hanc vel iſtam, *in mundi poſſibilis idea* jam tum obviam, naſci ex eo reſpectu, quem res illa habeat ad ceteras omnes in univerſo coexiſtentes, aut ſucceſſione connexas, hoc eſt, ex ſpatio & tempore, quæ occupet in univerſo, idealiter in poſſibili, realiter in exiſtente. Ita *determinationem* ejus Monadis, quam dicimus *animam humanam*, pendere à *ſitu corporis* cujusdam organici in univerſo, ut videlicet anima univerſum repræſentet eo præciſe & tantum modo, qui reſpondeat poſitioni corporis noſtri in mundo. *Conſecutiones* autem ipſas diverſorum ſucceſſive *ſtatuum ſequi Leges Ethico-Logicas*, ex conſideratione cauſſarum finalium atque appetituum eruendas; qualis v. g. *illa* eſt re-

respectu *spirituum*, quod voluntas non appetat nisi bonum, & ceteris paribus majus bonum minori præferat.

§. 93. Ita singulas *monades esse specula universi* (q), in quibus diversæ & mutuo sibi succedentes, diversorum & mutuo sibi in universo succedentium rerum & motuum, repræsentationes ex suis antecedentibus consequantur, secundum leges appetituum, uti in compositis id accidat ex regulis motuum. *Quapropter fiat*, ut, si quis omnem alicujus monadis perceptionem distincte pernosset (r), ille universos

q) Figurata nimirum locutione, cujus nequaquam ille sensus est, icones objectorum illabi in interiora Monadum, atque ibi demum repræsentari tanquam à speculis; cum ex adverso principium repræsentationis sit unicuique substantiæ internum. Differunt nimirum à speculo Monades, quod ibi repræsentatio sit in extenso, hic in simplici; quod ibi pendeat ab actione externorum, hic ab interno fiat principio; & quæ sunt plura ejus generis. Cui bono ista? Ne appellatione abutaris figurata. Cetera enim vulgaris de influxu sententia Animam Tuam proprie speculum constituit, cui externa rerum objecta icones suas aut vestigia, vel species imprimant.

r) Intelligis hinc, quomodo *DEUS videat omnia in omnibus*, & quàm infinite variis modis eundem mundum cognoscat. Cognoscit enim totum in quacunque Monade, totum quidem & ratione spatii & durationis. Præsens enim status sequitur ex antecedente, & ex præsenti consequens: Ergo ut nos concludendo unum ex altero possumus inferre, ita is intuendo potest unum in altero intelligere. Cognoscit autem hoc universum

mundi præfentem & præteritum & futurum quoque, ftatus in ea poffet internofcere, *quatenus* aliquem ad hanc monadem refpectum habent.

§. 94. Quoniam vero fpeciatim *animæ noftræ* hæc natura fit §. 92, ut res omnes five Univerfum repræfentet pro ftatu & fitu noftri corporis organici in univerfo: Inde fieri, ut *aliqua obfcure* faltim, alia *clare* quidem, fed confufe tamen, alia *diftincte*, fed inadæquate, percipiat, prout illa plus minufve connexionis habeant ad noftri corporis organa & fitum. Sic *infinitam* effe *multitudinem appetituum* atque *perceptionum obfcurarum*, quarum tamen non magis confcii fimus, quàm perceptionum in fomno infenfibilium: *Illas* tamen omnes non minus *concurrere ad determinationem* perceptionum *confequentium*, quam res in univerfo illis refpondentes concurrant ad motus in illo confequentes.

§. 95. Intelligi & pendere hinc *idearum* inter fe confecutionem atque *evolutionem*, quia repræfentationem aliis plurimis commixtam, atque adeo obfcuram, cum vel clara fit vel etiam diftincta, quafi evolutam dicere liceat. Sic

toties fub alia ratione, quot funt hujusmodi Monades, five naturæ elementa, mundi pro fuo fitu repræfentativa. De quo plura in Metaphyf. Wolfian. c. ult. §. 972. -- 974. Adde inferius notam § 109. ex Theodic. Leibnitii §. 360.

Sic *in corpore* quidem luminis vel soni impressiones in faciem meam pluribus aliis aëris commotionibus & impressionibus commixtam non distingui posse ab iisdem, nisi vel oculi vel auris, tanquàm organi magis minusve huic vel illi motui recipiendo accommodati, ope fortius hæc, quam alia, impressio in istam corporis partem, agat, adeoque ab ea possit discerni. Ejusdemque generis esse *in anima* perceptiones istarum impressionum, quæ discerni non possint, dum adhuc pluribus aliis permixtæ sint; sin fortiores fiant, ut dignosci præ aliis atque ab iis secerni possint, inde sensum generari, & ideas clariores, aliquando & distinctas.

§. 96. Ista vero ratione *mutationes in anima omnes sui principium habere in anima*, è cujus fundo, summa prorsus spontaneitate, nulla alia re creata quicquam effective conferente, istæ omnes scaturiant, convenienter tamen legibus Metaphysicis generalibus; atque, ut ante diximus, appetituum Ethico-Logicis. Unde conficitur id, quod *Leibnitius figurata locutione* non male edisseruit: *Præsens gravidum est futuro* (a).

a) Nimirum hoc est, quod *communiter* supponimus, etiam non attendentes, cum rationem reddere de præsenti rerum conditione jubemur; quis enim nescit, ex antecedaneo illam statu peti communiter. Et possumus id sane, quotiescunque rerum aut appetituum in præsentem statum influentium curiosi fuimus, aut esse po

§. 97. Eadem & similia *de corporibus* dici audies: Composita nimirum *esse aggregata ex simplicibus*, tanquam elementis naturæ, non similaribus tamen aut uniformibus, sed *inter sese differentibus*; Id nisi foret, nullam in composito differentiam obtineri posse, saltim in hypothesi, quæ vacuum neget; utcunque enim partes moveantur vel transponantur, succedere similaria; substitutis autem æquivalentibus non obtineri diversitatem. *Iisdem* substantiis, quia res creatæ sint, *mutationes competere*: Mutationem compositorum, quâ talium, *fieri motu*; scilicet partium vel additione, vel detractione, vel transpositione. Itaque requiri *principium motus*, sive vim motricem.

§. 98. *Vim* illam *motricem non consequi* ex eo, quod Geometricum sit in materia, non ex illius extensione vel impenetrabilitate, vel modo compositionis partium: Ex quibus passiva mater-

tuimus; potuimus vero, quoties ideæ satis claræ aut distinctæ sunt, ut earum conscii esse possimus & meminisse. Sin obscuræ fuerint, rationem in antecedaneo quærimus sane, neque invenimus tamen specificam; etsi, dari illam, negari ex ea caussa non possit. Illud solum hoc loco, si placet, attende: *Nihil adversus libertatem* moliri eam regulam. Pariunt gravidæ *naturaliter*: *Necessario* non item. Sequitur adeo præsens ex antecedaneo status naturaliter: Necessario non sequitur ex ista comparatione. Verum ista prolixius, cum ex instituto. Conf. dicenda inferius, inter objectiones Lamianas, §. 173. - 187.

teriæ attributa pendeant, mensurabilitas, divisibilitas, mobilitas &c. Itaque *altius* hic *Principium* requiri, & *metaphysicum*, vim à Deo corporibus inditam, quam Naturam dicas: *In corpore* enim *tria* considerari posse, id quod aggregetur, *materiam* sive multitudinem, modum aggregationis sive *essentiam* compositi ut talis, & principium mutationum, sive *Naturam*, quatenus ab ea corporum motus pendeant.

§. 99. Eam *vim originalem*, sive primitivam, *esse* in singulis corporibus varie *determinatam*: Determinationem illam pendere *à situ reliquorum* in universo corporum, quorum respectu DEus vim primitivam in quolibet corpore limitaverit, ut habeant in sese vires derivativas, mirifice quidem inter se diversas, sed harmonicas. Illam vero *vim derivativam exserere se* producendo motus corporum non utcunque, sed *pro legibus* motus à DEO *constitutis*; *libere* quidem, quatenus eas non esse Geometrice necessarias, per Leibnitiana inventa (t) constet, sed *non* tamen *omnino ar-*

t) Paragrapho demum 98. indicata obiter, peculiaris, quam de *Dynamica* Vir Ingeniosissimus meditabatur, scientiæ fundamenta. De qua, si placet, conferas Recueil de diverses Pieces T. II. p. 7. 200. 133. 134. 231. 232. 233. Theodicée §. 345. seqq. Journal des Sçavans 1695. p. 445. 1697. p. 261. 1692. p. 308. & 368. Itemque in Actis Erud. ad A. 1695.

arbitrarie & indifferenter, ut aliis visum fuerit, verùm pro ratione sapientiæ suæ, quæ convenientiam sectetur & ordinem, atque inter plura possibilia seligat optimum.

§. 100. *Eas leges* observatione & experimentis detectas, ipso facto *ostendere, quod* corporum motus & *mutationes cohæreant*, quoniam secundum illas & explicari & prædici possint. Hujusmodi esse illas, *quod caussa & effectus æquipolleant, quod in universo eadem & virium motricium & actionis motricis quantitas & directionis totalis ratio persistat, quod reactio sit æqualis & contraria actioni &c.* Regi autem corpora legibus suis Physico-Mechanicis ita, ut alter ex altero motus secundum illas prodeat: Unde fiat, ut Machina sit hic mundus (u): Machinam enim dici corpus aliquod, quando varii ejusdem motus pro diversâ partium connexione secundum leges motus ex statu & motu ejus antecedaneo determinantur & consequuntur.

§. 101. Sic *rationes mutationum contineri in corporibus*, eorumque essentia & natura: Neque *ordinarie* (x) quicquam fieri in universo corpo-

u) Conf. Chr. Wolf. in Metaphys. §. 557. & quæ inde consectaria fluant, vide omnino §. 1037. & 1038. Similia dabimus ipsi quoque in Dissertatione de Origine & Permissione Mali; namque & ibi usus est horum observationum non contemnendus.

x) Dico ordinaire: Ne existimes, adeo sanctas nobis esse Leges §. 100. memoratas, ut neque Deo integrum sit, suadente sapientia aliquid extraordinarium & miraculosum perficere, Neque enim identitas virium

poreo, quod sui caussam non agnoscat in corpore. Verbo: *Statum consequentem* vi Legum, quibus aguntur corpora, *determinari ex statu antecedenti*: Caussamque adeo motuum neque externam esse corporibus, neque supernaturalem tantum; esse internam & naturalem (y).

§. 102. Eandemque hic rationem esse *corporum animatorum*, etiam *humani*, quorum tanto extantior cum reliquis universi corporibus connexio fit, quanto subtilioribus partibus artificiosius sint contexta. Ita *sensuum ope* perfici, ut, quæ cæteroquin debiles forent corporum impressiones, fortius deinde feriant; ut v. g. radii luminis *dioptrico oculi artificio* collecti notabiliorem in nervos impressionem faciant, quam sine eo facturi essent, aut hodieque in alia corporis organa faciant.

§. 103. *Omne* tamen *illud*, & quicquid hinc consequitur, *mechanicis subesse legibus*, atque motu mediante confieri; quod etiam satis obvium & palpabile fit hisce casibus, ubi nulla

motricium aut directionis totalis, Deo opponitur, sed Scholasticis illa, ista etiam Cartesio, utrisque pro tuenda incognita illa, & incomperta & inexplicabili actione animæ in corpus suum, turbaturis Leges corporum, divinitus impressas, & experimentis æque ac fundato illis calculo cognitas.

y) Vides, me loqui non de prima motuum origine, quam DEO transscribimus §. 98. sed de proximo motu quos in corporibus naturalibus observamus, pri

la interveniente animæ opera fenfibili, v. g. in terrore fubito, motus in nervo auditorio excitatus, mediante cerebro in exteriora corporis membra tranfeat (z); itemque cum turbato corporis, maxime nervorum & fluidorum, ftatu, nihil motus ex animæ imperio confequatur, quia fcilicet leges hic ceffent mechanicæ, & quæ fint plura hujus generis.

§. 104. Quibus omnibus hoc obtineatur, ut & *in noftro corpore* agnofcendum fit, confequentia pendere ex antecedentibus, atque adeo & horum refpectu *verum* effe illud *Leibnitii*: *Præfens gravidum eft futuro.*

§. 105. Quemadmodum autem ifta declarant, quid *in fingulis* fiat, anima & corpore noftro: Ita jam videamus, unde *harmonia* (a) pendeat

z) Conf. Cel. Chr. Wolf. Metaphyf. §. 778. & expende, *utrum* eo cafu *convenientius fit*, ex motu organi unius ad cerebrum communicato mediantibus nervis immediate confequi motum organi alterius; An mediante demum perceptione animæ & appetitu, ita ut motus prior corporis faciat in anima perceptionem, perceptio animæ faciat appetitum animæ, appetitus animæ demum faciat in corpore motum, reducendo quafi poftliminio in corpus, quod ex eo diffugerat in animam.

a) Obiter moneo, *quam* ego *harmoniam* dicam, ex paragrapho ftatim primo intelligi. Neque eft negotio præfenti fimile accommodum, quod *à chordis* ad unifonum reductis fumitur. Ut enim tactæ alteri altera confonet, aliquo fenfu ex influxu eft, dum motus, vibrationum impulfu, aër chordæ tactæ conterminus, tremorem fuum transfert ad alteram quoque fi-

deat? Scilicet id experientiæ testimonio novimus, concordare hasce duas hominis partes; atque eatenus id assumimus & ab initio & modo etiam §. 87. 88. Nunc verò, cum *à priori* instituitur nostra disceptatio, ejus rei possibilitas ex nostro systemate ostendenda est: Id §. 88. promisimus.

§. 106. Videas autem, hic eo provocari, ut dicatur: *DEum* utriusque consecutionis scientem, ita *præparasse corpus* atque animo aptasse, ut mutationes motuum in illo consequantur eo ordine, quo perceptiones animæ: *Animam* eo *instruxisse* modo, ut repræsentet mutationes sui corporis, atque aliorum, quatenus cum isto connectuntur. Factumque id esse *semel atque simul*, non quasi necessum fuisset, singulis universi mutationibus sigillatim accommodare perceptiones singulas, & singulis animæ appetitibus singulos corporis motus: Sed quod *sufficiat*, utrumque semel conspirare, & postea suas leges sequi; ita enim fieri, ut nisi à legibus descifcant suis, nunquam amplius discordare possint.

§. 107.

militer aut proportionaliter tensam, eoque vibrationibus etiam similibus & oscillationibus sui æque velocibus idoneam. Dixi tamen, *aliquo sensu*: Neque enim ab impulsu illo harmonia est, est a tensionis ratione; nimirum hæc efficit similitudinem & excitabilitatem soni, excitat impulsus. Verum de illo nolim ego laborare anxius: Tu, si placet, noli id simile (rectius, illud dissimile) ad rem præsentem transferre, aut ex illo arguere.

§. 107. Nempe *quales Leges* Universi structura sequatur, ejusmodi regulas sequi ejus repræsentationem quoque, esse convenientissimum. Quod si enim in universo *plus caussæ* sit, *ut* effectus hac vel illa ratione consequatur, dubitari non posse, quin in repræsentatione *plus caussæ* sit, *cur* effectus hoc vel illo modo consequi intelligatur. In *utroque* nihil fieri sine ratione sufficienti, quod si igitur *res rei caussam* contineat sufficientem, etiam *repræsentationem repræsentationis* sufficientem continere.

§. 108. Hoc nisi fuerit, *de primo* repræsentationis statu *dici non posse*, quod Universi naturam satis exprimat aut repræsentet; non enim omnia exhiberi, quæ in eo distingui possunt. Sin primus animæ status ita Universum exprimat, ut ex ejus facta repræsentatione consequatur, secundum quoque eadem ratione exprimere statum Universi secundum: Sequi jam, omnia sic exprimi in repræsentationibus consequentibus, uti revera sese habeant in Universo.

§. 109. Atque adeo & hic *harmoniam priorem continere in se caussam* harmoniæ consequentis, & sic omnium *subsequentium*: Esse igitur & in hoc capite verum illud generale: *Præsens gravidum est futuro* (b). §. 110.

b) Verba *Leibnitii* in Theodic. §. 360. C'est une des regles de mon Systeme de l'harmonie generale, que *le present est gros de l'avenir*, & que celuy qui

§. 110. *Ista* quidem *hactenus* ex Philosophia *Leibnitii* atque *Wolfii*, celeberrimorum in restaurandis Metaphysicis Duum-Virorum, salvis tamen, si qui de meo accesserunt, erroribus. Unum hic addidero, prioribus sive supplementum sive explicationem, in eorum gratiam, si qui sunt, qui mutuam utriusque harmoniam secundum diversas in utroque leges obtentam fortasse specialius paulo (c) expositam vellent. Scilicet id non sufficit, *diversi generis res* ab initio conspirare, & tum suis quamque *legibus regi*, ut postea quoque conspirare credantur, *nisi* simul aut supposueris aut *ostenderis*, eas leges inter se *esse harmonicas*.

§. 111. Non dubito, id in genere sequi ex iis, quæ §. 106 -- 110. dicta sunt: Sed tentabo tamen, num aliquid in eam rem dici possit magis specialiter. Equidem si *disciplinam*, quam hodie desideramus, *Cosmologicam* Viri docti excolerent, non dubito, quin hoc negotium felicius procederet. Ea enim doctrina, si, quod

voit tout, voit dans ce, qui est, ce qui sera. Qui plus est, j'ay établi *d'une maniere demonstrative*, que *Dieu* voit dans chaque partie l'univers tout entier, à cause de la parfaite connexion des choses. Il est infiniment plus penetrant, que *Pythagore*, qui jugea de la taille *d'Hercule* par la mesure du vestige de son pied.

c) Quid promittam, videas? non sane plenam & valde specificam rerum expositionem: Sed specialiorem *paullo*. quam sit ista altera §. 106. - 110. exposita,

quod titulus (d) promittit, legitime præstaret, *generales* nobis *leges* exhiberet, quibus & corpora regantur, & spiritus, sive universim Monades. Exhiberet porro leges *cuique generi proprias*, ut quemadmodum de legibus motus plurima hodiè *Wallisii*, *Hugenii*, *Wrenni*, *Leibnitii*, *Newtonii*, *Mariotti*, *la Hirii* & *aliorum* opera innotuerunt, ita & de legibus (e) appetituum constaret, quas sequuntur Monades.

§. 112. Meminit ejus negotii de Mundo in Universum Cl. *Wolfius* (f), atque aliquas simul

d) Non enim desunt libelli *eo titulo* insignes, qui, ut cetera boni sint, & omnino egregii, non tamen id institutum habent, aut perficiunt, cujus hoc paragrapho mentionem feci. Nolim igitur, existimes, insultari hoc loco Viro longe præstantissimo, *Nehem. Grew*, Anglo, cujus inter cetera, quæ ætatem ferunt, scripta *Cosmologiam* quoque prædicant eruditi, a nostro tamen instituto abludentem.

e) Quod id huc usque factum non sit, inde ortum puto, quoniam libertati noxium id esse existimatum fuerit, si & spiritus in suis volitionibus alicui ordini aut regulæ generali adstringantur, quod utique *verum esset*, si leges istæ forent absolute necessariæ, & pellendo agentes, quales olim creditæ sunt leges mechanicæ, & obtrusæ spiritibus ab extrinseco. Sed contrarium obtinere, in nostro casu, inferius docebimus. Cetera quis nescit, *receptam* undique *regulam* animarum, ut non appetant nisi bonum, aut sub specie boni: Quæ, ut constans sit, libertati tamen electionis inter plura non officit.

f) Metaphys. §. 709. habentur generales: De corporibus vide §. 665. & seqq. de anima §. 847.

mul regulas generales, alibi & de corpore & de ſpiritibus, v. g. anima humana, nonnullas exhibet. Duas alias generales vide apud *Leibnitium* (g), cui plerasque debemus. Speciminis loco hæ ſunto: *Naturam* dicimus *non facere ſaltum*, valetque id dictum & de corporibus & de ſpiritibus, quorum mutationes nunquam naturaliter tranſeunt ab extremis ad extrema niſi per intermedia. Dicimus, *effectus æquipollere cauſſis ſuis*: Id *in motu* vulgatum eſt, & communiter pro principio aſſumitur, non à *Leibnitio* tantum, ſed & aliis, *Papino*, *Nanu* (h), &c. utroq; contra Leibnitium de motu diſputante. Obtinet vero *& in ſpiritibus*, ut, *quo plus cauſſæ ſit moventis*, ſive diſtincte cognitum, ſive confuſe, ſive & obſcure perceptum, cauſſæ adeo finalis, ut in corpore & motu efficientis, *eo major effectus ſit*: Unde & affectuum vehementia pendet (i). Dicimus cum Leibnitio, *Ordinatis datis, ordinata eſſe quæſita.* In mechanicis id probant problemata de motu, in metaphyſicis teſtantur idearum & ratiocinationum conſecutiones. Dicimus per *legem*

g) Novell. de la Republ. des lettres 1687. Juill. p. 745. ſeqq.

h) *Papinus* in Actis Eruditorum, locis ad §. 33. citatis. *Nanu* in Journal des Sçavans 1691. 16. Juillet. p. 457

i) Conf. Metaph. Chr. *Wolfii* §. 881.

continuitatis (k), cum differentia duorum casuum in datis minuitur ultra datam quamlibet differentiam, etiam sic minui differentiam in quæsitis. *De motu* videas, quæ à Leibnitio contra Cartesium & Malebranchium detecta sunt: *De mente* id, si placet, experiare exemplis, v. g. amoris atque odii tui in diversas personas, vel electionis atque aversationis duorum voluntatis objectorum: Videbis enim tantundem minui affectus differentiam, quantum vel alteri addendo, vel detrahendo alteri, voluntatis tuæ motiva reduxeris ad æqualitatem.

113. Ex isto vero, quem hic vidimus, Legum Ethico Logicarum atque Physico-Mechanicarum consensu, *quid* aliud *consequitur*, quàm hoc: *Leges corporum* (plurimas hodie cognitas) & Leges *Monadum* (plurimas adhuc incognitas) quantumvis diversas, tantum tamen inter se, sub generalibus scilicet legibus metaphysicis, *convenire*, ut harmonicas dicere, iisdemque mediantibus effectus harmonicos ex causis harmonicis derivare liceat: *Hoc est*, leges illas esse hujusmodi, ut, si semel corpora monadibus, & corporibus monades conspirent, utraque autem suas leges sequantur, illa nunquam non conspirare possint; atque adeo harmoniam *præstabilitam* inter illa *esse possibilem.*

§. 114.

k) Quam primus se invenisse ait *Leibnitius* Theod. §.348. Recueil de div. pieces. T, II. p. 417.

§. 114. Atque ita, nisi fallor, præstitum est, quod 88. ad hanc deductionem requisivit. *Colligamus rem denuo in nervum.* Possibile est, ut corpus atque anima conspirent, etiamsi principium mutationis sit unicuique intrinsecum saltim. Id quidem ex dictis §. 105.-113. consequitur: Neque desunt argumenta, quibus id reipsa obtinere persuadeas. Nimirum experientiæ testimonio conspirant mutationes corporis & animæ §. 1. & §. 26. sed utrumque sibi habet res suas & suas sequitur leges, Anima per §. 90.-96. corpus per §. 97.-104. Ergo necesse est, ut à DEO semel sint harmonice constituta ab initio, sic ut ex priori eorum harmonia consequantur cæteræ, eo fere modo, quem diximus §. 105.-113.

§. 115. Quodsi nolis integram hanc sententiarum *catenam* recipere, relinquam & id arbitrio tuo, num velis ita rationes tuas subducere: Ut *pro actione animæ in corpus* explicanda, dicas, DEUM, qui omnia animæ cogitata olim novit, excogitasse deinceps & accommodasse animo aliquod corpus in eum modum, ut sui mechanismi virtute hæc peragat, quæ mens ipsi vel imperitaret, vel imprimeret, si reale utriusque & physicum foret commercium: *Pro actione* autem *corporis in animam*, dicas, eundem, qui & corporum nos ambientium collisiones & motus noverit, ita illis animæ naturam attemperasse talem, ut ipsius repræsentationes justo

pore externis illis in corpus nostrum agentibus respondeant (1). De cetero de impressione

1) *Scio* fuisse, qui Leibnitianum hoc sensu Systema intellexerint, accommodata esse sibi mutuo animam & corpus, vel corpori animam vel animæ corpus; *aliquos* etiam *praecipiasse*, ut harmoniam ex præscientia divina derivando, animam quidem sibi relinqueremus, corpus autem ex animæ nutu, aut ad ejus mutationes accommodari à Deo decerneremus. Quos si recte intelligo, hoc volunt, ut alterum sibi relinquamus, alterius vero naturam ad alterum tanquam ad aliquod præsuppositum a Deo attemperatam, & quasi in illius gratiam inventum esse & excogitatum concipiamus. *Esto* sane *id liberum* unicuique: Illud Systemati est convenientissimum, ut neutrius naturam demum alteri, *quasi de alieno* & ab extra attemperatam dicas, sed ut inter infinitas animas, sibi relictas & suis domesticis legibus à se ipsis directas, aut sese determinantes, itemque inter infinita corpora diversis motuum determinationibus ab intrinseco principio limitata, observata esse plurima à divina omniscientia existimes, quorum successiones mutuo consentiant, adeoque pro obtinenda rerum creatarum harmonia præ ceteris in actum existentiæ divinâ operante omnipotentia sapienter deduci mereantur. Quo sane in casu nulla major animæ vis infertur, quam in sententia modo memorata; utrinque enim sibi relicta suorum est ipsa mutationum fons & principium, cui vehementer extrinsecum est, num illi demum ab Ente aliquo intelligente quæratur & excogitetur & accommodetur corpus harmonicum; (quo modo Inventiones hominum cognito fine de mediis circumspiciunt, eademque illi conformiter coordinant:) num dicas, inter possibilia infinita, divino intellectui simul præsentia, existere etiam, quod ipsi conspiret in toto; non accommodandum demum per partes. Ne-

sione corporum ambientium in nostra, & de origine volitionum animæ in actionibus liberis, dic pace mea, quod lubet.

§. 116. Foret autem ejusmodi Systema illud, quod *exemplo* expressit *Jaquelotius*, (m) si stricte rebus inhæreas: Libellus enim ipse cum ad manus non sit, de mente Viri doctissimi nihil asseverate definivero. Simile *exemplum hoc est*: Admisso vel animi gratia supposito, te esse artificem primi ordinis, qui facile possis construere machinas humano corpori externè similes, & quæ motus aliquos præstare possint humanis corporibus familiares; posito amplius, te pernosse quid ego per aliquot dies hac hora, modo & fine, famulo imperare velim meo: Consequetur, te machinam construere posse, quæ destinato tempore me accedat, & dum omnia prolocutus fuero, coram me consistat; tum verò, quasi jussa ex obsequio factura, eadem omnia perficiat, quæ fieri voluero. Ita vero me, artificii simul & consilii tui ignarum, dubitare non posse vides, quin ex mandato atque illius vi facta fuerint omnia, quæ tamen mechanismus

que est utriusque sententiæ alia diversitas, quam in modo considerandi originem possibilium, de quo plura hoc loco edisserere nihil attinet. Necessaria videas in Institutionibus Metaphysicæ Wolfianis, §. maxime 995.

m) Libro de conformitate rationis & fidei allegato à Leibnitio in Theod. §. 62.

ſmus non ex meo ſane influxu, ſed ex harmonia ab artifice ante ſtabilita, præſtitit.

§. 117. *Suppone* nunc famulo huic mechanico *corpus* humanum, quod & ipſum eſſe machinam in confeſſo eſt, Hydraulico-Pnevmaticam vulgo dictam, vel cum Leibnitio Pyrotechnico-Hydraulico-Pnevmaticam; ſubſtitue *Hero animam*, quæ, quid fieri velit, intelligat, eademque fieri præoptet vel jubeat. Videbis eadem in utroque negotio phænomena fore, atque adeo vel hoc ſimili intelliges, quomodo corporis motus conſentire poſſint appetitibus animæ ex præordinato corporis Mechaniſmo, ſine vero, reali, effectivo, phyſicove animæ in corpus influxu (n).

§. 118. Diximus autem iſta *in eorum gratiam*, quibus forte id grave eſt, approbare univerſum Syſtema, prout §. 90. ſeqq. expoſitum eſt, ut ſi qua ſibi videantur minores hic difficultates experiri, atque ea, quæ ſub finem §. 115. conceditur, libertate utiliter frui poſſe, hæc poſtrema ſeligant, dum alii univerſa teneant. Scio enim, *Leibnitianam de monadibus doctrinam*, quod nova eſt, difficilemque habet aditum, non proxime futuram eſſe communem: Quamvis ultra *Wolfianam* (o) *cautionem* vix quicquam ad-

n) Intelligas etiam, an illa actionum harmonicarum vel imperatarum conſecutio ſufficiat eo, ut per experientiam cognoſci influxum evincas. Eadem enim hoc caſu phænomena, nullum tamen influxum probant.

o) Metaphyſ. §. 599. & 900. conf. ſuper. ad §. 90. not. h. & m.

addi poſſit, ipſaque de monadibus theoremata ab eodem ſatis demonſtrata ſint ex natura ſimplicitatis.

§. 119. *Hactenus* pro adſtruenda atque *explicanda* Harmonia diximus: Nunc ad eandem *contra objectiones* vindicandam, reſolvendasque difficultates progredi juvat. *Mibi* quidem, ſi quid hic dubii movendum eſſet, omnis *res triplici* capite comprehendi poſſe videretur: *Aliæ* difficultates pertinent ad ea, quæ per Harmoniam noſtram fieri debent *in corpore*; aliæ *animam* tangunt; aliæ *unionem utriusque* concernunt. Sed aliter viſum eſt viris doctiſſimis, quibus ſuam de hoc argumento ſententiam exponere placuit; aliter itaque & hic nobis agendum erit, quibus eorum veſtigia legere conſtitutum eſt (p).

§. 120. Ad meam quidem notitiam illa pervenerunt: *Oppoſuiſſe* huic Syſtemati *aliqua Foucherium, Belium, Lamium, Arnaldum, Parentium, Tourneminium, Newtonum, Clarckium,* atque *Stablium*. *Arnaldina* quidem nulla vidi, neque aliunde novi, ipſum hic dubia moviſſe,

 ni-

p) Potuiſſem utique ſine multa difficultate ad ea capita objectiones revocare; Nec feci tamen; namque & tu potes, quod ego poteram, ſi reductas velis. Cetera malo longior diſcurſus fiat, quam ut parata tibi exceptio ſit, enervatas primo objectiones Virorum Eruditiſſimorum, & truncatas eſſe; tum ſolutas facilius, formidabiliores utique futuras, ſi integræ forent.

nisi ex Leibnitii (q) testimonio: Quo etiam intellexi, *Bourguetum* (r) quendam objectiones, & Dn. Abbatem *Contium* observationes fecisse in sententias Leibnitianas; nescio tamen, an & hæ pertineant ad harmoniam nostram, an ad alia potius philosophiæ capita; neque memini earum aliquid in publicum prodiisse. Quæ in epistola ad Dn. Contium opposuit Dn. *des Maiseaux*, illa titulum magis communem ha-

q) Ille in discursu de conf. fid. & rat. §. 26. ita: Les paralogismes specieux renferment souvent quelque ouverture utile, & donnent lieu à resoudre quelques difficultés considerables. C'est pourquoy j'ay toujours aimé des objections ingenieuses contre mes propres sentimens, & je ne les ay jamais examinées, sans fruit: Temoin celles que Mr. *Bayle* a faites autre fois contre mon Systeme de l'Harmonie preétablie, sans parler icy de celles, que Mr. *Arnaud*, M. L'Abbé *Foucher*, & le P. *Lami* Benedictin m'ont faites sur le meme sujet.

r) Idem in Epistola ad Remundum Tomo II. du Recueil p. 61. " Il y a à Venise un Savant Francois nommé Mr. *Bourquet*, qui m'a fait des objections, je crois qu'il est amy de Mr. l'Abbé *Conti* - - - Monsieur *Hermann* & *Wolfius* ont recû les remarques de Mr. l'Abbé *Conti* sur mon Systeme, j'espere qu'il m'en feron[illegible]rt, & je tacherai d'en profiter „. Ceterum aliunde constat, non alienum ab hoc Systemate fuisse Contium, ita enim Leibnitius in Epl. ad ipsum, l. c. p. 561. L'Idée, que Mr. *Newton* donne ici de mon harmonie preétablie n'est pas celle, qu'en ont quantité d'habiles gens hors de l'Angleterre, & quelques uns en Angleterre: Et je ne crois pas, que *vous méme, Monsieur*, en ayes eu une semblable, ou l'ayes maintenant, à moins que d'etre bien changé,

habent cum negotio nostro, quàm rem ipsam. Disputat enim historice de sententia *Hippocratis*, *Parmenidis* & *Melissi* circa substantiarum durationem atque indestructibilitatem animalium. Num ceteræ, quæ perierunt, illius annotationes propius ad nostrum negotium pertinuerint, dicere non possum, quoniam ipse earum Auctor illius rei non meminit.

§. 121. Age autem, percurramus illa *omnia*, quæ Maximi Viri de hoc negotio dixerunt. *Sequamur ordinem* unius cujusque, ut, quo illi modo, quibus regulis consueti fuerint rem cogitare, simul elucescat. *Exscribamus* verò, ubi fieri potest, *verba* eorum, ut nihil virtuti argumentorum ab ipsis propositorum decedat: Sed demus illa latine tantum, ne nimii simus, vel multum alienâ linguâ in textu loquamur, qui omnibus destinatur nostra Lecturis. Ubi autem *nonnulla alia* nobis succurrent, quæ scrupulum movere possent, etsi nondum opposita per eos, quos ante nominavimus, illa sub nomine adoptivorum ceteris subjungamus, ut quantum fieri potest, omnibus occurratur difficultatibus.

SE

SECTIO SEXTA,

Objectiones Virorum Doctissimorum expensæ.

§. 122.

PRimus, qui ſuam de hoc Syſtemate Sententiam publice, quantum ſcio, expoſuit, eſt idem ille, cui primùm id Leibnitius (s) inſcripſit A.1695. M.S.F. (*oucherius*) (t) Canonicus tum Divinionenſis. Extant ejus *obſervata* in Diario Eruditorum gallico, eodem anno (u); quibus *reſpondit* ſequenti anno (x) Leibnitius. Conferamus huc, quæ pertinent ad harmoniam præſtabilitam: Et ſingulis objectionum momentis reſponſa interſeramus.

§. 123. " Concedetur tibi, inquit *Foucherius ad Leibnitium*, quod magnus univerſi artifex DEUS corporis organa *poſſit* adeo apte diſponere, ut omnes illos motus producere queant

s) Journ. des Sçav. 1695. Juin. p. 444. & Juill. p. 455. ſeqq.

t) Sic intelligas ex coll. Journ. 1695. p. 644. 1696. p. 261. 1692. p. 365. 1693. p. 182. 527. atque Theod. diſc. præl. §. 26.

u) Journ. des Sçav. 1695. 12. Sept. p. 639. ſeqq.

x) Journ. des Sçav. 1696. 2. Avril p. 255. & 9. Avril. p. 259. ſeqq.

ant, quos anima, isti conjuncta corpori, per omnem suam vitam produci volet, etiamsi ipsa nullas motuum mutationes aut modificationes efficiendi facultatem habeat; & *vice versa*, quod *DEUS possit* eam animæ constructionem largiri (sive illa sit *novi generis machina*, sive non sit,) cujus ope omnes cogitationes earumque modificationes motibus corporis respondentes successive enasci possint, eo præcise tempore, quo corpus suas functiones exserit: quodque id non mage repugnet fieri, quàm ut duo sibi mutuo horologia sic accommodentur, ut quo momento horologium A. meridiem indicat, eodem id & alterum B. præstet, ita ut eodem pondere aut elatere mota videantur„.

§. 124. *Accipimus* verò ista liberaliter *concessa*, & grata mente: *Machinam novi generis* per nos dicas, si machinam voces omne id, ubi ordine sibi mutationes succedunt, singulæ ex antecedentibus determinatæ: Quo sensu & *Leibnitius* (y) eam vocavit *avtomatum* spirituale vel formale, &, quoniam rationale est, liberum. Memineris saltim, *partes* hoc sensu *nullas* requiri in ipsa re, ut est in machinis corporeis: Hîc enim, quia res expediri debet per

y) Journ. des Sçav. 1695. 4. Juill. p. 459. & confer infer. §. 144. & memento, Animam sensu *propriissimo* esse Automaton; machinas eo nomine appellari solitas, sensu minus proprio: Norunt id, quicunque Græce calleat, & Mechanicam.

per caussas efficientes veras & reales, & à se invicem distinctas, partes esse oportet, quarum altera agat in alteram; ibi autem, quia per caussas finales omnia consequuntur, sufficit ut diversitas adsit repræsentationum, sive rerum a simplici repræsentatarum, ut altera alterius ratione fieri possit & finis & medium, atque sic repræsentatio medii sit ob repræsentationem finis intentam: Quæ, ut facile videtur, spiritui nec quicquam contradicunt; cum multitudo non sit in ipsa re, sed limitationibus ejus, vel in termino, ad quem ejus repræsentatio refertur, externo.

§. 125. " Verum, *cui* tandem *rei*, ita pergit Foucherius, *inservire* potest magnum id substantiarum artificium, nisi huic scopo, ut videantur in se mutuo agere, etsi id non faciant? Certe *non* videtur hoc Systema *præstare Cartesiano*, & si satis caussæ est, ut hoc eapropter rejiciamus, quia inutiliter supponit, DEUM, considerando motus, quos ipse in corporibus efficit, producere etiam ideas animæ motibus respondentes, quasi id non esset DEO dignius, ipsas statim ideas & animæ modificationes producere, sine corporibus, quæ sint ipsi regulæ loco, atque ut sic loquar, quid agendum sit, commonefaciant: Annon & *merito ex te quærere* licet, quare DEO non sufficiat, ut omnes animæ ideas atque modificationes efficiat, sive id immediate malit, sive, quod tu probas, per artificium, sine cor-

po-

porum illorum *inutilium* exiſtentiæ, quæ ſpiritus neque movere poſſit, neque *cognoſcere*? Usque adeo quidem, ut ſi nullus in corporibus motus eſſet, anima nihilominus eum eſſe judicaret; eodem modo, quo *dormientes* credunt, ſe movere membra, & ambulare, etſi illa quieſcant & omnino nihil moveatur. Sic & *dum vigilamus*, animæ conſtanter ſibi perſuaderent, moveri corpus ex voluntate ſua, etſi vanæ & inutiles illæ machinæ in ipſa *inactione* eſſent, & *perenni lethargo* oppreſſæ perſiſterent „.

§. 126. Fateor me non intelligere hic omnia: itaque in nonnullis *disjunctive reſpondebimus*, in aliis per modum *proviſionis*. Si quæras, *cui bono* iſtud artificium? *Duplex* ſenſus eſt: Vel de ſententia quæris, vel de re ipſa. *Si primum*: Cui bono iſta *hypotheſis* excogitata ſit à Leibnitio? Accipe ſequentia: Ubi arbitrariæ ſunt hypotheſes, quæri jure poteſt, cui bono excogitentur vel ſupponantur? Si non ſint arbitrariæ, ſed ex principiis ante ſtabilitis conſequantur, pro examinanda ſententiæ alicujus veritate, *inutilis* hæc *disquiſitio* eſt, ſaltim *non neceſſaria*, minus etiam illi, utcunque res cadat, præjudicans. Quis unquam *Euclidi* oppoſuit, cui bono ſit illa angulorum in Triangulo rectilineo cum duobus rectis æqualitas? Cui bono incommenſurabilitas (z) lateris & dia-

z) *Exemplum* eſt *Leibnitii*, quod nolim ſic intelligas quaſi rem tei, adeoque neceſſitatem harmoniæ co[illegible]

diagonalis in quadrato? *Deinde* verò id difficile non eſt, *dicere*; *Cui bono.* Ad evitandas in Syſtemate antiquo ſpecierum emiſſiones & transmiſſiones & transmutationes & transcreationes, & entitates unitivas, & intermedia inter ſpiritum atque corpus vehicula, & Scholaſticorum figmenta, & figmentorum ſupplementa omnia: In Syſtemate Carteſiano ad præcavenda perpetua miracula, & legum naturalium turbas, & Syſtematis hiatus, quos inducerent, res, leges & ſtatuta plane arbitraria: In tertio denique, ad diſtinctos rerum conceptus formandos, ad reddendam rationem effectui homogeneam, & ſufficientem & domeſticam, in utroque ſubſtantiarum genere, & quæ ſunt hujusmodi. Si *denique & uſus* Syſtematis hic recenſeri poſſe admittas, cogita ex noſtra explicatione exſurgentem animæ a corporibus independentiam, atque adeo novam libertatis & immortalitatis illuſtrationem, demonſtrationem novam exiſtentiæ divinæ: Et ſumum ſapientiæ divinæ ſpecimen &c.

§. 127. Si *de re ipſa* ſermo ſit, cur DEO non ſufficiat facere ſpiritus ſine materia? Memineris *primo*, id non eſſe noſtrum contra Carteſianos argumentum, quo hîc nititur Dn. *Fouche-*

rat neceſſitati Geometricæ. Comparat concluſionem concluſioni, ſive neceſſitatem theorematis *ut illati* ex antecedentibus, adeoque id aſſerit, quod neceſſitatem conſequentiæ dicimus, inferentes legitimo nexu veritatem aliam ex alia, prius cognita,

cherius. Deinde responsionem in promtu esse: Majoris id Sapientiæ specimen est, si plura sint creata (a), eademque natura quidem sua inter se differentia, in mutationibus tamen suis harmonice conspirantia. Ita enim plus perfectionis est in Universo, quam si omisisset DEUS illum rerum à se diversarum ordinem tam mire, sed & tam eleganter consentientem. Atqui hoc DEO dignum est, agere & producere id, quod est perfectissimum, miscere *maximum* cum *optimo*, combinare adeo *corpora* cum *spiritibus*. *Tum* verò *inutilia* corpo-

a) Argumentum est, quo & *vacuum* è mundo *Leibnitius* exclusit. Sic ille in Suppl. Epl. ad *Sam. Clarckium* quarta: Je pose, que toute perfection, que Dieu a pû mettre dans les choses *sans déroger* aux autres perfections, qui y sont, y a été mise. Or figurons nous une Espace entierement vuide, Dieu y pouvoit mettre quelque matiere sans déroger en rien à toutes les autres choses: Donc il l'y a mise; Donc il n'y a point d'espace entierement vuide; Donc tout est plein,,. v. Recueil T. I. p. 61, 62. Videtur tamen, *aliquid amplius* innuere *Leibnitius*, vocibus sans déroger, de quo ego nihil asseverate dicam. Id certum videtur mihi, si additamento illo major in universo exsurgat perfectio; DEUM illud non negligere. Num autem de *omni* supposito vacuo dicere liceat, id impleri posse *sine detrimento* perfectionis in toto? imo etiam *cum* illius *accessione* nova? id non ante determinavero, quàm ostenderis, compleri posse vacuum *sic*, *ut* illæ novæ substantiæ cum antiquis, (salva etiam eorundem antecedanea perfectione omni,) consentiant. *Nostrum* vero argumentum ferre eam limitationem in textu vides.

pora non ſunt, quam diu & finibus modo enarratis inſerviunt, & rationem in ſe continent determinationis repræſentationum in ſpiritibus, quod ante aſſeruimus. Dicerem *potius* eum caſum, quem Vir Doctiſſimus noſtro ſubſtituit, fore incommodum, ſi corpora removeas. Cui bono enim ſpirituum repræſentationes limitabuntur ex ſitu corporum in Univerſo, ſi corpora non exiſtunt. Dico autem, cui bono? Quoniam *ita & Foucherius* diſputavit, ne putes, me hic alieno miſceri negotio, atque adverſus *idealiſtas* (b) diſputare velle.

§. 128.

b) Nihili enim eſt id argumentum, ſi *idealiſtam* eo velis ratiocinio expugnare, *quod* ineptum foret, repræſentari corpora extra nos, ſi nulla exiſterent, *aut quod* in errorem Auctor naturæ duceret, ſi animam efficeret ejusmodi, ut quaſi corpora videre ſibi videretur, etſi corpora ejusmodi nulla exiſterent. *Ut* enim *Illud conſequatur, neceſſum eſt*, antea demonſtres, poſſe finitos exiſtere ſpiritus, eosdemque cogitantes varia, etſi illa objecta non repræſentent ſibi ut extra ſe exiſtentia; itemque poſſe illos finitos eſſe, confuſis adeo & obſcuris præditos ideis, neque tamen eo facto nanciſci notionem corporis, aut materiæ. Scilicet *hoc illud* eſt, quod Jll. *Leibnitius* in Theodicæa monet §. 124. ex quo neceſſitatem corporis in ſpiritibus finitis eruit, alia fortaſſis occaſione diſtinctius tradendum & profuſius. *Alterum* autem non mage ſtringit hoc ſuppoſito, quàm ſi errorem vulgi de coloribus corpori inhærentibus, de realitate iridis, de cruribus ejus ſolo inſiſtentibus, de rotunditate viſarum è longinquo turrium angulatarum, de motu ſolis diurno, de

§. 128. Ad reliqua paragraphi 125. hæc habe: Corpora sunt *inutilia*, quatenus physice non influunt: Sed non sunt inutilia, quatenus in se continent rationem limitationis & determinationis repræsentationum in spiritibus. Etsi igitur physica cesset connexio, non cessat tamen metaphysica. *Deinde* corpora *vigilantibus nobis* quieta supponi non possunt, cum moveri videntur; Alioqui cessaret harmonia corporis & spiritus. Quod autem *porro somniantibus* aliter eveniat, id est ex discrimine sensationum & imaginationum: Ut enim id fiat, quod imagineris fieri, non postulat harmonia, imo ne quidem admittit; nullis enim id legibus obtineri potest. Quare autem somniantes non distinguant phantasmata & sensationes, adeoque id fieri putent, quod fabulantur, id Cel. W*olfius* (c) docere potest. *Postea* vero *inactionem*, vanas massas, perennem lethargum philosophia Leibnitiana nullibi admiserit: Nullum corpus est, quod non moveatur; saltim intestino motu: Nulla substantia, quin agat; sed in se ipsa. Sin *præterea actiones alterius in alteram* urgeas, distinguo: Si actionem definias, mutationem, cujus prin-

 cipi-

calore cellarum subterranearum hyberno æstivum excedente, de attractione aquæ in siphonibus suctoriis, &c. tueri isto argumento susciperes.

c) in Metaphys. §. 230. seqq. atque in universum, quicquid ille de regulis phantasiæ, de somnis, sensationib[us] imaginatione dicit, quam rem nullibi sic expositam veneris.

cipium ſit in re ipſa; paſſionem, cujus aliqua ratio ſit extra hanc rem in alia: Concedam mutuas actiones & paſſiones (d). In anima enim eſt ratio, cur hæc percipiat; eſt aliqua etiam in corpore, pro cujus ſitu animæ repræſentationes limitatæ ſunt. Idemque dico de corpore; eſt enim in corpore motus ratio efficiens; eſt in anima ratio determinationis, quoniam hic motus huic appetitui reſpondere debet. Itaque vides *denique*, quomodo dici poſſit, quod *anima moveat* corpus; quin autem *cognoſcat*, nemo ambigit.

§. 129. Pergit *Foucherius* (e):" Et profecto quis non videt, has opiniones fieri ex conſilio, & hæc Syſtemata rebus ſupervenientia extrui, ad ſalvanda quædam *principia ante ſtabilita. Carteſiani* quidem ſupponentes nihil eſſe inter ſubſtan-

d) v. *Leibnitium* Journ. des Sçav. 1696. p. 258. Je ne ſuirai pas même de dire, que l'ame *remüe* le corps: Et comme un *Copernicien* parle veritablement du lever du ſoleil, un *Platonicien* de la realité de la matiere, un *Carteſien* de celle des qualités ſenſibles, *pourvû* qu'on l'entende ſainement; je crois de même, qu'il eſt tres vray de dire, que les ſubſtances agiſſent les unes ſur les autres, pourvû qu'on entende, que l'une eſt cauſe des changemens dans l'autre, en conſequence des loix de l'Harmonie. Conf. omnino Principia Philoſophiæ ſæpius citata §. 51. - 54.

e) Hic dabo verba Gallica, quoniam difficilia videntur: En verité, Monſieur, ne voit on pas, que ces opinions ſont faites exprés, & que ces Syſtemes, venant apres coup, n'ont été fabriqués, que pour ſauver de certains principes, dont on eſt prévenû?

ſtantias ſpirituales & corporeas commune, non poſſunt explicare, quomodo alterum agat in alterum, & conſequenter eo adiguntur, ut ea dicant „. quæ audimus. Verum *Tu*, *Domine*, qui te *aliis* extricare modis poteras, miror quomodo iisdem te difficultatibus implices „.

§. 130. Si principia illa ante ſtabilita intelligas *præjudicia*, veritatis ſpeciem mentientia, præſtaret addi, quam negligi probationem ſubſumtionis: Sin *axiomata*, & theoremata à priori illata, vel ex phænomenis à poſteriori aliunde cognita; id laudem Syſtemati conciliat, non creat vituperium. Recte *Carteſiani* difficultates viderunt, ſed non ſatis cautè devitarunt. *Leibnitius* non *aliam* habuit viam, quam calcare poterat, præter hanc unam. Id puto conſtare ex tota hac exercitatione. Sed videamus, *quis ille modus* ſit, quem Dominus *Foucherius* propoſuit.

§. 131. " Quis neſcit ſtateram *in æquilibrio poſitam* & ſine actione, quam primum alterutri lateri pondus accedat, moveri in continenti, atque alterum contrapondiorum attolli, non obſtante contrario ad deſcenſum niſu. Noſti, *entia materialia eſſe impetus* & motus *capacia*; Atque id naturale eſt, ut fortior impetus exſuperet debiliorem. Ex altera parte noſti, entia *ſpiritualia poſſe impetum facere*: Et quemadmodum omnis impetus reſiſtentiam ſupponit, neceſſe eſt, ut ille impetus ſit vel fortior vel imbecillior; (*potuiſſes addere*

æqualis:) „ Si fortior, vincet, ſin debilior, cedet. Neque id impoſſibile eſt, ut ſpiritus impetum faciens ad motum corpori imprimendum, illud contrario niſu præditum deprehendat, eodemque vel fortiori vel debiliori, quod eo ſufficit, ut inde patiatur (qu'il en ſouffre). Hic modus eſt, quem *Auguſtinus* ſequitur, ubi data opera explicat actionem ſpirituum in corpora, Libris ſuis de Muſica „.

§. 132. Dicuntur iſta ad *Leibnitium*, quaſi conformia Syſtemati ejus v. §. 129. fin. ſed ex *ſententia*, ut videtur, *minus* dextre *intellecta*. Leibnitius ſubſtantiis impetum, vel *niſum* concedit, agendi *in ſe*: Non extra ſe. Niſus *in ſpiritibus* non eſt vis motrix, ſed eſt appetitus ad novas perceptiones in ſeipſo producendas. Itaque nihil ille motus imprimere poteſt corpori, ſive id concipiatur, ut in æquilibrio ad diverſos motus conſtitutum, ſive ut vehementer reſiſtens (f). Neque intelligas, quomodo *comparari* appetitus poſſit cum reſiſtentia

f) *Recte* omnino *Viri Doctiſſimi*, qui in æquilibrio corporis, in tenſione partium motui accommoda, in lenitate impulſus requiſiti præſidium ſententiæ quærunt, recte, inquam, illi *attendunt*, minimam eo caſu vim ſufficere ad præſtandam actionem; quam ſane veritatem *non omnes* abunde æſtimant, qui in caſibus pæne, aut perfecte æqualibus negligere minutias ſolent. *Non ſufficit* tamen ea obſervatio, *ubi* rerum comparatio fieri non poteſt: Ut enim pulviſculus tollere bilancis æquilibrium poſſit; non poteſt deſiderium meum, utlibet ingens, & diuturnum.

tia ad motum, eidemque vel æqualis vel major dici aut minor: *Multo minus*, quomodo id *dolorem* efficiat, si corpus fortiori nisu contrario præditum sit, quam foret impetus ab anima ipsi impressus. Verum in ista non excurramus amplius.

§. 133. Denique sic *finit* discursum *Vir Doctissimus*, Academicæ Veterum philosophiæ felix atque industrius Cultor: "Scio *multas* adhuc quæstiones fieri posse *ante*, *quam* omnes resolverimus, quæ agitari possunt à primis inde principiis: Adeo verum est, quod observandæ sint *Academicorum* leges, quarum *secunda* prohibet, eas ventilare quæstiones, quas decidi non posse videas, & quales sunt ferè omnes, de quibus hic loquimur; non quod illæ quæstiones absolute loquendo resolvi non possint, sed, quod *non* possint, *nisi* certo ordine, qui postulat, ut philosophi conveniant de infallibili veritatis nota, atque se submittant demonstrationibus à primis inde principiis. Dum id fecerint, separari possunt ea, quæ clare & sufficienter concipimus ab his, quæ obscuritatem intermixtam habent,,.

§. 134. Optime ista quidem *in Thesi*: Si ad nostra applices, vereor, ut Leibnitianam mentem assequaris. *Leibnitius* jam A. 1696. se *omnes* istas *veritates* nostro Systemati *prævias* examinasse existimavit. Nunc *duæ novæ responsiones* priori accedunt. Puto præsuppositæ nostræ sententiæ omnia contineri in *Principiis philo-*

losophiæ Leibnitianæ toties allegatis ex Suppl. Act. Erud. atque adeo & in iis, quæ ſuperius ex philoſophia Leibnitii ediſſeruimus. *Plenum* autem à primis inde principiis *Syſtema* dedit Vir vere Philoſophus, *Chr. Wolfius* (g) in Inſtitutionibus ſuis Metaphyſicis. Itaque nihil eſt, quod *Foucherianas* objectiones amplius extimeſcamus.

§. 135. Sequuntur *Bælianæ*, omnium, quas videre contigit, ſpecioſiſſimæ, digniſſimæque ingenio, eloquentia & eruditione Bæliana. Expoſitæ ſunt primo in Dictionario ejusdem Critico (h), & reſponſionem acceperunt à Leib-

g) Pro *Leibnitiano* & ex orali traditione ſententias Viri edocto, habitus communiter, ab illis quidem, qui neſcio quam *Arcani diſciplinam* in hac Philoſophia fingunt, ſuasque a veris Leibnitii atque Wolfii ſententiis deviationes ea fortaſſis excuſatione emolliunt: Etſi ipſe *Leibnitius* de Wolfio: Mr. Wolfius eſt entré dans *quelques uns* de mes ſentimens; mais comme il eſt fort occupé à enſeigner, ſur tout les Mathematiques, & que nous n'avons *pas* eu *beaucoup* de communication enſemble ſur la Philoſophie, il ne ſauroit connoître *presque* de mes ſentimens, que ce, que j'en ai publié. v. Recueil de diverſes Pieces, T. II. p. 162. *Cui bono* iſta? *Primum* ut intelligas veritatem dictorum Cel. Wolfii in præf. ad Germanicam Editionem Epiſtolarum Leibniti; *Deinde* ut ſuum unicuique tribuam, neque mea hac coordinatione Duum-Virorum alteri præjudicem: *Tertio*, ut ne exiſtimes, intelligi dicta, vel inveniri, *ſine traditione*, aut communicatione, non poſſe; etſi *ea mediante* poſſint facilius & felicius.

h) Articulo: *Rorarius*; quo plura ejus generis philoſophemata perſecutus eſt.

Leibnitio jam A. 1698. (i). Denuo productæ & supplemento auctæ in nova Dictionarii editione Ann. 1702. quibus iterum respondit Leibnitius in schediasmate, quod insertum legitur Collectioni (k) sæpe citatæ, & cui geminæ sunt notæ illæ, quas Monadologiæ subjunxit Henr. Köhlerus (l); nisi quod illud Bælio transmissum fuisse testetur Leibnitius (m), adeoque idem quoque Bælianas instantias expectaverit, frustra tamen à me quæsitas in novissima Dictionarii Editione; alteras demum Viennæ conceptas testetur titulus. *Dabimus* vero & hic *verba Bælii*, quantumvis prolixa, ut tanto melius, tantóque etiam commodius, omnem objectionum vim animo comprehendere, & cum responsionibus Leibnitianis, nostro tamen more inflexis, aut, si opus fuerit, ali-

i) Dans l'Histoire des Ouvrages des Sçavans 1698. m. Juill.

k) Recueil de diverses Pieces T. II. p. 389. - 424.

l) Tit. Leibnitzens Vertheidigung seines Systematis Harmoniæ præstabilitæ. v. Monadologie p. 47. - 102.

m) Epist. ad Dn. des Maiseaux A. 1711. 8. Jul. scripta. v. Recueil. T. II. p. 383. ubi: Peut-étre, que Mr. Bayle a repondu dans quelque supplement à son Dictionaire, ou dans quelque autre endroit pas encore imprimé. Car il me marquoit, ce me semble, qu'il y vouloit penser. Mais comme ni cette replique de ma part, ni sa duplique n'ont pas encore parû: Je vous envoye mon Ecrit, tel à peu pres, que je l'avois envoyé à Mr. *Bayle*. Je dis, à peu pres, car j'ay changé quelque peu de chose en le relisant. Eandem vero Leibnitii responsionem leges & in Historie dela Rep. d. Lettr. T. XI, quod intellexi ex præfat. Dn. des Maiseaux, p. 79.

aliunde ſuppletis, contendere poſſint *ſollic*
Lectores.

§. 136. Sic ille: " Initio publice profiteo
me id in parte felicitatis collocare, quod ol
jectiones meæ, quas contra tanti Philoſoph
Syſtema propoſui, occaſionem fecerint reſpor
ſioni ejusdem, quæ præſens negotium mi
explicatius reddidit, atque ad diſtinctiorem a
cani heic latentis cognitionem me deduxit. *M*
gnam ego *Philoſophiæ acceſſionem* (n) interpr
tor hoc Syſtema, & qua limites ejus promo
ſint. *Duo* ſunt *hactenus* Syſtemata, Scholaſt
cum alterum, alterum Carteſianum. Illu
mutuo corporis atque animæ influxu nititu
hoc aſſiſtentia vel cauſſalitate occaſiona
Nu

n) Similia præſentibus ediſſeruit & *Fontenellius*; Inſole
viſum eſt eruditis, ſupereſſe novum, quod hacten
latuerit, Syſtema unionis notiſſimæ, atque in Philo
phorum Scholis tritiſſimæ. Accipe verba ſcripto
elegantiſſimi in Vita Leibnitii: Sa maniére d'expliqu
l'Union de l'Ame & du Corps par une *harmonie pre*
tablie a été quelque choſe d'imprévû & d'ineſperé ſ
une matiére, ou la Philoſophie ſembloit avoir fait ſ
derniers efforts. Les *philoſophes* auſſi bien que
peuple avoient crû, que l'Ame & le corps agiſſoie
reellement & phyſiquement l'un ſur l'autre. *D*
Cartes vint, qui prouva, que leur Nature ne perme
toit point cette ſorte de communication veritable,
qu'ils n'en pouvoient avoir qu' une apparente, do
Dieu étoit le Mediateur. On croyoit, qu'il n'y avoi
que ces deux Syſtemes poſſibles; M. *Leibnitz* en ima
gine un troiſieme &c. Conf. Hiſtoir. de l'Acad. d
Sciences 1716. p. 142. edit. Batavæ.

Nunc ecce *tertium*, quod noviter adjunctum est prioribus lucrum, & quod cum R. P. Lamio (*imo cum Leibnitio ipso*,) Systema harmoniæ præstabilitæ dixeris. Habet nos ea re sibi devinctos Illustris *Leibnitius*: Neque concipi quicquam potest, quod *æque extollat* intellectum atque potentiam Auctoris Universi (o). Quodsi præterea & id commodum considerem, quod hac ratione universum negotium unionis animæ & corporis *ab* omni *miraculo liberum* conservetur, permoverer utique, ut id Systematis præferrem alteri Cartesianorum, modo illius *præstitate harmoniæ possibilitatem* liceret concipere.

§. 137. Atqui *possibilitatem* evicimus, generaliter quidem, §. 113. *Repugnantiam* Bælius nullibi probavit, quia nullam contradictionem eo involvi vel ostendit, vel saltim ostendere connisus est. *Perterrefecit* imaginationem portentis, rectius mirabilibus, quæ nostrum Systema complectitur: Atqui hoc vertimus in rem nostram, quo enim id artificiosius est, quo majorem id sapientiam postulat & potentiam; eo dignius est divina electione, quæ ma-

o) Consentiunt etiam hoc loco *Balius* atque *Fontenellius*: Ce Systeme donne une *merveilleuse* idée de l'Intelligence infinie du Createur; mais peut-être cela même le rend-il *trop sublime* pour nous. Il a toujours pleinement contenté son Auteur, cependant il n'a pas fait jusqu'ici, & il ne paroit pas devoir faire la même fortune, que celui de *Des-Cartes*. v. l. c. p. 143.

maximum ſequitur & optimum & perfectiſſimum. Sed audi *Belium* :

§. 138. " Abſtineo illis oppoſitionibus, quæ non magis Leibnitii, quam ceterorum ſententiis adverſantur. Itaque ſilebo eas difficultates, quas patitur ſuppoſitio *de virtute activa creaturis* à DEO *communicata.* Magnæ ſunt & fere inſuperabiles. v. Sturm. in Phyſ. Electiva, cujus excerpta ſunt in Actis Erud. 1697. p. 474. ſeqq. atque in ſchediaſmate, quod iisdem Actis inſertum eſt A. 1699. p. 208. ſeqq. & quo reſpondit alteri ſchediaſmati Leibnitii A. 1698. p. 427. ſeqq. Actis iisdem inſerto. Syſtema Leibnitii non minus atque Peripateticorum iis eſt obnoxium ,,.

§. 139. Poſſe creaturis *vim motivam* concedi; imo divina benedictione *conceſſam eſſe*, poſtulat divinæ voluntatis efficacia: Non poteſt illa agere, & nihil efficere; moliri aliquid, & effectum poſt ſe nullum relinquere; aut apoteleſma nullum præſtare. Quid autem eſt *illud in rebus perſiſtens*, & divina præſtitum virtute *apoteleſma*, ſi non eſt vis motrix, rebus inſita & perdurans ? Motus enim non erit, utpote qui neque exiſtit , neque in exiſtentia ſua perſiſtit. *Sturmii argumenta* hoc ſaltim dicunt, *materiæ qua tali* neque competere vim motivam, neque poſſe communicari, quod concedimus de materia prima : In *corporibus* vero illi materiæ accedunt, modus compoſitionis, ex qua nec dum ſequitur vis activa , ut

ut recte Sturmius monet; & natura sive principium motus, ex qua ille consequitur.

§. 140. " Existimo etiam, Leibnitio non minus, quam Cartesianis atque aliis Philosophis, difficile fore, illis obviam ire objectionibus, quas desumere licet à *mechanismo fatali*, quo *libertas* humana proteritur. Verum ista quidem prætereamus, atque ad illa accedamus, quæ Systemati præstitutæ Harmoniæ *propria* sunt ".

§. 141. *Mechanismum fatalem* æque ac *Epicureismum casualem* optime *Leibnitius* devitat istis observationibus, quas & antea contra Spinozismum allegavimus ad §. 14. §. 99. repetiimus. Ille *fatum* & *casum* excludit ex Universo, qui mundũ regi legibus non Geometricis aut Geometricè demonstrandis, atque adeo absolute necessariis, ostendit: Sed contingentibus quidem, eligentis vero DEI sapientiæ præ reliquis convenientissimis. *De libertate* dicam inferius; neque enim ista prolixe hoc loco refutari debent, quæ Bælius non urget. Veniamus igitur & nos ad ea, quæ sunt *Bælio* hic *propria* (p).

§. 142. " *Prima* hæc est observatio mea, quod id

p) Optarem verò, ni grave fuerit, ut Bælianas *initio* objectiones *solas* ordine percurras, integrum earum Systema animo comprehensurus: *Tum demum* singulas cum responsionibus contendas nostris. Facies ea re, ut utrumque assequaris distinctius; ut Tuas quoque, quæ menti responsiones inter legendum illabuntur, cum nostris conferendo alteras ex alteris sive suppleas sive

id Syſtema divinam potentiam atque ſapientiam, divina hac arte expreſſam extollat *ultra id omne, quod poteſt* (1.) concipi. Concipe (2.) *navigium*, quod virtutem habeat, ſine omni cogitatione aut directione entis, ſive creati ſive increati, ſe ipſum adeo appoſite commovendi, ut ventum ſemper habeat ſecundum, ut torrentes atque ſcopulos evitet, eoque præciſe tempore, quo id res poſtulat, portum contingat optatum. Fac ejusmodi navigium *aliquot* ſucceſſive *annis* dictâ modo ratione undis inerrare, & pro tempeſtatum viciſſitudine, pro diverſitate regionum maris & continentis, juſto ſemper & appoſito modo verti: Conſenties mecum, *divinam infinitudinem non ſufficere*, ad virtutem ejusmodi navigio imprimendam; concedesque naturam navigii potentiæ ejusmodi à DEO recipiendæ capacem non fore. Interim id omne, quod *Leibnitius* (3.) in humani *corporis machina* ſuppoſuit, *multo eſt mirabilius* & portentoſius. Applicemus hoc Syſtema Unionis novum ad perſonam *Julii Cæſaris* &c. „.

§. 143. Extollit (1.) hoc Syſtema divinam ſapientiam atque potentiam ultra omne id, quod poteſt *comprehendi*, non, quod poteſt *concipi*. Sic *Leibnitius*: Dicam *apertius*. Non licet

emendes. Fortaſſis etiam, ut brevius id negotium tibi ſit, ſi illas deinde ſolas repetere velis, quarum videbitur eſſe gravius momentum, aut ſolutio difficilior.

licet distinctis & determinatis conceptibus assequi id omne, quod hic concurrit, quibusve id viis atque artificiis possit obtineri: *Generaliter* tamen edisserere possumus & concipere, quibus id legibus possit præstari; Diximus etiam id, nisi fallor, ubi de possibilitate Systematis ex instituto egimus. (2.) *Navigium* hujusmodi si potentia præditum intelligatur, *qualitate Scholastica*, quæ sine medio & sine dispositionibus machinalibus ista omnia perficiat, qualis est v. g. gravitas Peripateticorum, dirigens corpora ad centrum sine mediis, sine cognitione &c. est illud impossibile, omnium hodie Philosophantium judicio. *Sin machinam intelligas*, quæ per motuum leges à principio quodam mechanico, secundum partium atque organorum dispositionem agatur atque dirigatur: Ejusmodi machinam *esse possibilem*, nullus dubito. *Casus* enim, quibus ea machina præparanda est, *non* sunt *infiniti*; alioquin nec finita nautarum intelligentia ad eosdem præcavendos sufficeret: Itaque hoc est *problema Geometrico-Mechanicum*, facere machinam, quæ dato fluctuum, ventorum, fretorum, promontoriorum &c. statu, motu. & vicissitudine, per partium suarum dispositionem dato motu feratur atque in datum locum dato tempore deveniat. Ita & *olim Planetis* pro conservando eorum cursu regulari, quantumvis variato, intelligentias motrices Philosophi comites adjunxerunt

Hodie (Gratias *Jo. Kepplero* noſtrati , & *Iſaaco Newtono* Anglo) id omne multo & exactius & intelligibilius præſtat eorundem gravitatio in Solem : (3.) Vidimus Bælianam ſuppoſitionem, recte inflexam, *non* eſſe *impoſſibilem* : Nunc illud adde, *non eſſe Leibnitiano* Syſtemati *ſimilem*. Navigium id nullam , niſi vehementer accidentalem , cum mari , ventis, fluctibus , ſcopulis &c. connexionem habet , atque *in ſe idem* ſupponitur , ſive ſecundo ſive adverſo vento feratur, ſive ſcopulos caveat, ſive libero mari ſupernatet. Itaque omnino id mirum foret , imo impoſſibile , ut , pro externarum circumſtantiarum ratione variata , curſum ſua potentia immutet, flectat , vertat, tardet, vel acceleret. Atqui *alia ſcena* eſt *corporis* humani, cujus univerſum machinamentum rebus externis omnibus ſemel attemperatum eſt , & cujus adeo ſucceſſiones & viciſſitudines omnes, ſucceſſionibus & viciſſitudinibus rerum quaſi alligatæ ſunt. Ut enim mutationes *rerum* determinantur ex ſtatu ſuo priori, *ita* & motuum *in corpore* variatio: Unde ſi quam *cum rate comparationem* (q) ames, *dic* : Corpus in Syſtemate Leibnitiano eſſe ſimile navigio quale flumi-

q) Comparationem dico , ne identitatem ſupponas, atque influxum ex ſimili urgeas. Nimirum in rate eſt connexio phyſica , & realis funium influxus ; In corpore non item. Obtinetur autem a principio hic interno , quod ibi ab externo.

minibus trajiciendis adhibetur, & quod funem sequitur, cui cohæret (r). Sed attendamus animum ad Julium Cæsarem.

§. 144. " Ex hoc Systemate asserendum est, corpus (4.) Julii Cæsaris ita exercere vim suam motricem, ut inde ab ipsa Nativitate ad necem usque *cohærentem in suis mutationibus successionem* observet; atque eam quidem, quæ penitissime consentiat perpetuis etiam mutationibus alicujus animæ, quam neque corpus cognoscit, neque in se agentem experitur. Dicique potest, legem, secundum quam ea corporis potentia suos motus atque actus producere debuit, fuisse ita comparatam, ut certo die atque hora Senatum accessisset, hæc atque illa verba prolocutum fuisset, etsi divinæ (5.) voluntati placuisset, *animam* Cæsaris altero statim die ab illius creatione denuo *annihilare*. Dicendum est porro, quod (6) eadem vis motrix *pro velocitate cogitationum* istius ambitio-

r) *Eleganter* more suo *Leibnitius* in Recueil. T. II. p. 402. 403. Il ne faut pas comparer nôtre hypothese à l'egard de la masse corporelle, avec un vaisseau, qui se mene soi même au port; mais avec les *batteaux de trajet*, attachés à une corde, qui traversent la riviere. C'est, comme dans les machines de Theatre & dans les feux d'artifice, dont on ne trouve plus la justesse étrange, quand on sait, comme tout est conduit: Il est vrai, qu'on *transporte* l'admiration de l'ouvrage à l'inventeur; tout comme lorsqu'on voit maintenant, que les Planetes n'ont point besoin d'être menées par des Intelligences &c. ".

tiosæ mentis exactissime se immutaverit atque determinaverit & quod proprie hunc mage statum induerit, quam alium; quoniam anima ab hac idea transiverit ad istam. Num igitur (7.) *cæca* quædam *potentia* vi impressionis ante 30. vel 40. annos factæ, nunquam postea innovatæ, sed sibi soli relictæ, adeo apte se determinabit, etsi rerum penitus omnium, quas præstare ipsa tenetur, profundissime ignara? Nonne id magis etiam incomprehensibile est, atque illa fuit navigatio, quam antecedenti §. expressimus? „

§ 145 Omnino vero (4.) ista dicimus, sed cave tibi à potentia, *qualitate Scholastica.* Potius cogita *famulum Jacquelotii* automatum, quem superius expressimus §. 116. & *auge artificium* istud, dum universum famulitii tempus eo comprehendere possis. Etiam (5.) *illud admittimus,* imo urgemus. Audi *Leibnitium.* (s) In hoc Systemate corpora agunt, ac si (per impossibile,) nullæ darentur animæ, & animæ agunt ac si corpora nulla darentur; & ambo agunt, ac si unum influeret in alterum. Existimo *intelligi Leibnitium*, si superiora legeris. *Alterum* dicit de caussa mutationum mentis atque corporis vera & reali: *Alterum* de respectu mutuo determinationis in utroque. (6.) Hic si placet, vide, ne Systemati nostro tri-

s) Leibnit. in Princ. Philos. §. 84. quocum conferas Wolfii Metaphys. §. 777. & 780. & notam nostram §. 127.

tribuas, quasi modificatio & determinatio illa penderet à *potentia, sine sensu* & intellectu, sese ad ideas animæ accommodante: Pendet potius à *potentia summe intelligente*, quæ machinæ structuram ita potuit ordinare atque ideis accommodare, ut, structuræ & texturæ ipsius ratione, modificationes motuum consequentes destinato fini respondeant. *Caussa, cur machina corporis hunc* mage *statum* induat, quam alium, duplex est: *Altera efficiens*, pendens à structura & motu antecedaneo, atque hæc est physica; *altera* est saltim metaphysica, atque ut sic dicam *exigens* vel determinans primi status in corpore, pendens ab animæ repræsentationibus motui huic harmonicis. (7.) Si *ex diuturnitate temporis* putes difficultatem nasci, cogita *primo* illud, finitos tamen casus esse, variationesque isto tempore faciendos; *deinde* memento eorum, quæ diximus §. 106. sufficere scilicet, ut utrumque semel conspiret, ita enim & deinceps conspiratura esse omnia, dum subsistat utrumque, atque legibus suis mutetur & regatur (t). Impressiones *novas non* requirimus, neque pro virtute conservanda, neque pro regendis directionibus: Illa nimirum in universo perseverat, ex superioribus; istæ pendent ex machinæ, & partium inter se connexione, figura, situ &c. Nihil adeo hic est incogitabile, nihil repugnans.

t) Similia de *Animis* vide apud *Leibnitium*, epist. V. ad Sam. Clarkium §. 91, Tom. 1. du Recueil p. 131.

§. 146. "*Augentur* vero (8) *difficultates*, si cogitaveris, humani corporis machinam complecti infinitam fere organorum multitudinem, & obnoxiam esse actioni corporum ambientium, quæ suis impressionibus infinite variantibus mille & amplius in ipso modificationes efficiant. Neque intelligo, *quo* (9.) *medio caveri* possit, ne præstabilitæ harmoniæ aliqua *confusio* exoriatur; & quo fieri queat, ut non interrumptum ordinem sequatur per omnem longævi hominis vitam, nihil obstantibus infinite variantibus modis, quibus tot organa in se mutuo agunt, innumeris stipata corporibus, frigidis modo, modo calidis, mox siccis, nunc humidis, semper autem nervos diverse vellicantibus. Mea hæc est sententia, organorum multitudinem atque ambientium corporum varietatem necessarium esse instrumentum, quo infinita varietas mutationum corporis obtineatur: Verum an illa (10.) *varietas* eum *ordinem servare* potest, qui Leibnitiano Systemati debetur? Numquam illa turbabit harmoniam mutationum corporis & animæ? Id vero penitus *videtur impossibile*. Observandum est, *ex Leibnitii mente* id, quod in unaquaque substantia *activum* est, esse hujusmodi, ut ad realem quandam *unitatem* reduci debeat. Cùm vero corpus humanum multis compositum sit substantiis, unaquæque habebit in se principium actionis, realiter distinctum à principio cujuscunque alterius subtan-

ſtantiæ. Ait etiam, cujusque principii actionem continere ſpontaneitatem. Hoc igitur operationes eorum & confuſiones (11.) in infinitum variabit. Ambientium enim corporum percuſſio neceſſario coactionis aliquid intermiſcebit ſpontaneitati naturali „.

§. 147. *Augeri* (8.) concedimus *difficultatem*, iſtud artificium concipiendi vel ediſſerendi. Facit organorum atque ambientium corporum multitudo, ut *non ſufficiat* huic machinæ conſtruendæ *intellectus finitus*, quantumcunque præſtans. Sed bene eſt, quod infinitum Numen ſit illius opifex, cui difficile non eſt, infinita organa & corpora ambientia ſimul cogitare, eorumq; mutuas & infinite diverſiſſimas combinationes omnes atque ſingulas *ſcientia* complecti, *ſapientia* ordinare & *potentia* perficere. (9.) Atqui *exhibuimus id medium* §. 106.-113. *Fac*, machina corporis ſequatur leges, harmonicas illis, quas anima ſequitur, & easdem cum illis, quas reliqua ſequuntur corpora; *Fac amplius*, reſpondeat ſtatus primus corporis mei repræſentationibus animæ, & corporibus meum ambientibus, perfecte: *Intelliges, quomodo* & in poſterum conſentiat corpus cum anima, & conſpiret quoque cæteris circa ſe corporibus; quicquid deinde ſit de rerum modorumque infinitate. Illud *optime dicis*, multitudinem organorum & corporum ambientium eſſe inſtrumentum pro obtinendis corporis varietatibus: *Modo addideris*, & legem, qui-

bus illa agantur, moveantur, regantur, ess medium, quo conservetur ordo, & impedia tur confusio. (10.) *Varietas* quin possit *ordinem* sequi, nescio, cur dubitandum sit? Neque i impossibile est, infinitam varietatem amicissi me conspirare, modo illa *non casui*, sed *legibus* debeatur. *Exempla* sunt in promtu: Sic in finiti sunt modi, quibus idem objectum, urbs castellum, regio ex infinitis punctis conspe ctum appareat, omnes tamen illi prospectu in eo conveniunt, ut spectatores omnes re gularum gnari eandem objecti ideam nanci scantur. Obtinetur autem illa consensio *reguli Optices* & *Perspectivæ*. Et cur dubitem, legibus quoque *Mechanices* obtineri ordinem posse in varietate rerum, quantumvis infinita? *Leibni tius* hoc *Bælii* argumentum illi *simile* putat, quo veteres nonnulli scientiam DEI à minimis ex cluserunt ob rerum infinitatem. (11.) *Varie tatem* sic augeri in infinitum concedimus: *Con fusionem* rebus induci, modo negavimus. *Spon taneitatem* asserimus substantiis simplicibus, qua nihil patiuntur à corporibus & eorundem per cussione: Limitationes & determinationes mo tuum in corporibus pro ratione percussionis variari concedimus, confundi negamus.

§. 148. " Frustra illi se tuentur divina *omni potentia*, (12.) qui bestias ajunt esse tantum automata. Laboratur incassum in eo, ut ostendatur, DEUM posse machinas præstare adeo subtiliter & artificiose contextas, ut vox hu-

humana, ut reflexum à corporibus lumen &c. justo tempore in eas agat, atque perficiat, ut hac vel illa ratione commoveantur. Universus, si à quibusdam Cartesianis discesseris, orbis eam suppositionem rejicit. *Neque Cartesianorum quisquam* est, qui eam admiserit, ad *humanum* corpus translatam, quasi DEUS perficere machinas posset, quæ omnia ista peragerent, quæ fieri ab hominibus conspicimus. Dum ista nego, (13.) nequaquam hoc ago, ut *divinæ potentiæ* atque sapientiæ *limites* circumponam. Verum hoc volo, naturam rerum id secum ferre, ut vires creando ipsis collatæ necessario suos terminos habeant. Absolute necessarium est, ut actiones creaturarum congruant eorum statui essentiali, atque exerantur pro charactere illo, qui cuivis machinæ convenit. Philosophorum enim axioma hoc postulat, ut omnia, quæ rei cuidam attribuuntur aut communicantur, proportionalia sint capacitati & receptivitati subjecti. Leibnitianam igitur hypothesin rejicere licet, ut impossibilem, quoniam *majoribus* obnoxia (14.) est *difficultatibus*, quam illa de automatis Cartesianorum: Harmoniam ille constantem facit duarum substantiarum, quarum neutra in alteram operatur. Quodsi autem *famuli* nostri *machinæ* forent, atque id tamen exacte perficerent, quod Domini jubent: Fieri hoc non posset, nisi externa & realis in ipsos actio Dominorum præcederet; oporteret vel verba e-

qui dominos, vel signis uti, quæ sensoria famulorum organa realiter afficerent & moverent „.

§. 149. Frustra (12.) est, quicunque ad divinam provocat potentiam *ante*, *quàm* evicerit, rem in se esse possibilem. Id *Wolfius* docet in Metaphysicis. Sed monstravimus nos, Systema hoc esse possibile §. 106 - - - 113. Igitur omnino licet, ad potentiam DEI infinitam provocare, cum de *executione* & existentia sermo est. Qui machinam hujusmodi ut *impossibilem* rejiciunt, illi *falluntur*, neque veritati præjudicant. Cartesiani non negabunt, machinam humano corpori similem, esse possibilem: Sed corpus esse talem machinam, id non ajunt. Sed neque Cartesianorum (u) suffragio stat veritas, neque dissensu cadit. (13.) Si soli Leibnitio Bælius scripsisset, potuisset hanc *cautelam omittere*: Neque ego illi imputaverim, quod divinæ velit potentiæ sepem prætendere: Neque nos *illimitatam* creaturis potentiam tribuimus: Neque illis adscribimus, quæ rerum naturas sua proportione excedant. Novimus, quam *non* sint *illimitatæ volitiones* nostræ; sequun-

u) Recte *Leibnitius* Recueil T. II. p. 400. Ceux, qui montrent aux Cartesiens, que leur maniére de prouver, que les bêtes ne sont que des *Automates*, va jusqu'a justifier celui, qui diroit, que tous *les autres hommes*, hormis lui, sont des simples Automates aussi, ont dit justement & précisement, ce qui me faut pour cette moitié de mon hypothese, qui regarde le corps.

quuntur enim ex vi repræſentativa mundi, ut Wolfius docet in Metaphyſicis §. 878. Vim autem illam & *objectorum* (x) ratione & reſpectu *modi repræſentandi* limitatam eſſe concedimus: *Illud*, quoniam hoc Univerſum, non omnia poſſibilia, repræſentat; *hoc*, quia non quovis modo, verum tantum pro ſitu unius alicujus corporis organici in Univerſo. *Limitatæ* ſunt igitur *volitiones* noſtræ, eædemque DEO apertæ: Quis illi hoc negaverit, poſſe machinam extruere, quæ volitiones iſtas exequatur? (14.) Interim in Leibnitiano Syſtemate eſſe *majus artificium*, quam in automatis hic memoratis, concedimus: Quo pertinent illa præcipue, quæ faciunt ad loquelam, ad ediſſerendas ratiocinationes, & judicia generalia, de quibus dicam inferius. Nego autem, id eſſe impoſſibile. *Actionem Domini* realem *in famulum* ſuum non eſſe neceſſariam, id *Jacquelotii* ſuppoſitio commonſtrat, toties allegata. *Leibnitius* & *alia* hic machinamenta appellat, quæ, ſuis elateribus acta, potius dominos

x) Nolim exiſtimes, illa *contradicere Leibnitio*, cujus in Philoſophiæ principiis §. 62. hac verba ſunt: " Non in objecto, ſed in modificatione cognitionis objecti monades limitatæ ſunt ". Loquitur ille de hoc Mundo: Ego de poſſibilibus in univerſum omnibus. Eſt enim *inter differentias* animæ ab intellectu divino, quod ille repræſentet poſſibilia omnino omnia; anima hoc Univerſum, non alia: Ille ſimul, & adæquate; hæc diſtincte pauca & ſucceſſive ſolum: Ille adeo modis omnibus; ſitu corporis,

monent, quam ut ab iisdem debeant moneri; Cujusmodi sunt, quæ vulgo *Wecker* vocamus, horologia dato tempore sonitum, eoque dormientes ex somno, excitantia.

§. 150. " *Nunc* age consideremus & *Animam Cæsaris*, ubi difficultates adhuc majores deprehendemus. Erat illa in Universo, nulli corporis vel spiritus influxui obnoxia. Vis, quam à DEO sibi impressam accepit, unicum erat actionum, singulis momentis productarum, principium: Istæ autem actiones cum inter se diversæ fuerunt, ejus rei caussa nequaquam illa fuit, quod aliæ aliis elateribus aut organis productæ, quorum nulla in aliis opera concurrit. *Anima* enim humana *est substantia simplex*, indivisibilis & immaterialis, in quo & Illustris *Leibnitius* mecum consentit. Quodsi autem hic in alia abiret, atque plerisque Philosophis, & quibusdam ex præcipuis quoque Metaphysicis nostri ævi, *Lockio* verbi gratia, adstipularetur, supponendo fieri posse, ut cogitet corpus ex variis particulis certa ratione contextum: *Tum* ego ipsius hypothesin *absolute impossibilem* pronunciarem, & multis ipsum modis impugnarem, quibus uti hic necesse non est, quoniam & immortalitatem animæ concedit, atque illi innititur in sententiis suis ".

§. 151. Ista quidem *satis bene*, ut opus non sit, Viro maximo adversari. Illud autem de anima *omnino* probamus. Qualis ea vis sit, spe-

ſpecifice expreſſimus §. 91. ſqq. illud verò *utiliter* Leibnitius accepit in notis ad h. l. quod *tum demum* abſolute impoſſibilem Bælius hanc ſententiam pronunciare velit, ſi Lockianæ Philoſophiæ accederemus. Atqui ejus rei metus aut ſuſpicio nulla eſt. Videtur igitur, *hactenus non omnino* impoſſibilem ſtatuere.

§. 152. "Revertamur ad animam Cæſaris, eandemque Leibnitiana voce appellemus *automatum immateriale* (y) & cum *atomo Epicurea* contendamus. Intelligo vero atomum in vacuo conſtitutam, neque ullibi cum alia atomo collidendam. *Comparatio eſt exacta.* Atomus enim iſta & naturalem ſeſe movendi vim habet, & eandem exercet, nulla alia re quacunque promota & adjuta, vel in motu ſuo impedita & retardata: Sic & anima Julii Cæſaris ſupponitur eſſe ſpiritus, qui vim habeat producendi in ſe ideas rerum, ſine alterius cujuscunque ſpiritus aut corporis in ipſum influxu: Nihil eſt, quod animam juvet, nihil quod interturbet. Quodſi jam ad generales ordinis

y) De hac *voce* conf. omnino *Theodic.* §. 403. ubi inter cetera non minus eleganter, quam ſolide: L'operation des *automates ſpirituels*, c'eſt à dire, des ames, n'eſt point mechanique; mais elle contient *eminemment* ce qu'il y a de *beau* dans la Mechanique: Les mouvements developpés dans le corps, y étant concentrés par la repréſentation, comme dans un monde ideal, qui exprime les loix du monde actuel & leurs ſuites; avec cette difference du monde ideal parfait, qui eſt en Dieu, que la plûpart des perceptions dans les autres ne ſont que confuſes &c.

nis ideas & naturam attenderis, deprehendes, ejusmodi atomum nunquam in motu suo cessaturam, eandemque præsenti & consequentibus momentis eandem præcise motus rationem modumque servaturam esse. Est hoc *consequens axiomatis* cujusdam *Leibnitiani*, quo præcipit, ut res quæque in eo, quem semel obtinet statu, perseveret, dum aliquid sit, quod ab ea cogat deflectere - - - *Ex eo*, inquit, *concludimus, non solum corpora, si quiescunt, semper quiescere, sed etiam, si moveantur, eundem semper motum, hoc est velocitatem eandem, eandemque directionem conservare: Nisi aliquid sit, quod actum illum interrumpat.* Quis igitur non videt, *atomum* istam, sive insitam illi cum *Democrito* & *Epicuro* vim motricem ponas, sive à DEO communicatam, *uniformi modo* in eadem linea progressuram, neque unquam sive ad dextram sive sinistram esse declinaturam. *Epicurus* Philosophis ludibrium debuit, cum *Declinationem motus* in atomis suis in scenam produxit; sumsit enim istam sine ratione, ut se extricaret è Labyrintho necessitatis fatalis, neque tamen ejus novæ ad Systema suum accessionis caussam allegare potuit. Adversata est hæc declinatio clarissimis animæ ideis; manifesto enim intelligitur, eo, ut atomus per integrum biduum rectilineo progressa motu, tertiæ diei principio declinet à semita, requiri, ut *vel impedimentum* viæ offenderit, *vel* aliquem *appetitum* senserit à via sua deflectendi, *vel* in

se

se complexa sit *Elaterem*, qui se nunc demum exerere occœperit. *Illud* exulat in vacuo: *Istud* adversatur atomo, idearum non capaci: *Hoc* etiam contradicit corpusculo, in se simpliciter uniformi. Applicemus ista omnia ad præsens negotium ,,

§. 153. *Comparationem* vero istam, etsi plausibilem & *speciosam*, *esse* tamen *injustam*, neque præsenti negotio accommodam, id facile *demonstrabitur*. *Epicurea atomus*, etsi corpusculum, supponitur tamen in se penitus uniformis: Ideoque in illa nihil quicquam caussæ internæ est, quod mutationem status quamcunque producere aptum sit. Itaque si movetur, perseverat in motu eadem celeritate & directione; adeo quidem, ut si etiam difformiter moveatur, verbi gratia in Curva quacunque, in Circulo, Ellipsi &c. Id duplici saltim vi opus habeat, quarum altera ad centrum urgens si cesset, eo ipso momento atomus sequetur statum atque impressionem ultimam, & progredietur in recta circulum, Ellipsin &c. tangente. *Secus est in anima*, quæ, licet partibus careat, diversitate tamen omni non caret; repræsentatio enim Universi, quæ fit in anima, continet diversitatem objectorum & graduum: Itaque satis caussæ est, cur diversæ esse possint repræsentationum consecutiones, propter diversitatem repræsentationum antecedentium, appetitum & transitum animæ ab una perceptione ad alteram limitantium & determinantium. Atque ut id *clarius* dicam *pr-*
tris, antecedaneæ illæ diversitates cum

appetituum collatæ quasi *æquationem* continent, ſecundum quam fieri progreſſus, aut, in exemplo atomi, ſecundum quam fluere debet id punctum, ut in Curva incedat: Quapropter ſi conſecutiones idearum animæ comparari debeant motæ atomo, *non* debet hæc *in vacuo* conſtitui, *ſed in Univerſo*, in quo ſcilicet fiunt illæ mutationes, diverſimode variantes, & motum conſequentem determinantes, quarum deinceps in anima repræſentationes limitant & determinant repræſentationes motuum conſequentes. At *quis neſcit*, hic *uniformem non eſſe* corpuſculorum motum? Quis hodiè neſcit Curvam projectionis *Gallilæanam*? Quis non audivit Trajectorias *Newtonianas*? Quis *Bernoullianam* radii in atmoſphæra curvaturam? &c. Vides, opinor, quàm longe differant *Epicurea in vacuo atomus*. & *Monas Leibnitiana*?

§. 154. "Anima *Julii Cæſaris* eſt ſubſtantia, cui unitas competit, ſi propriè loqui velis. Vis, qua producere ideas poteſt, ex Leibnitiano Syſtemate eſt proprietas naturæ ipſius. Potentiam vero iſtam, quatenus eam & poſſidet & exercet, à Deo acceptam habet. Quodſi (15.) jam prima, quam in ſe concitat, *idea voluptatis* eſt, dici non poteſt, *cur non & altera* talis exiſtat; quoniam enim totalis cauſſa actionis eadem manet, oportet & actionem atque effectum eſſe eundem. Sed anima iſta ſecundo exiſtentiæ momento non aliam cogitandi vim acquirit, quàm primo habuit,

ve-

verum retinet eandem; neque secundo momento externarum rerum concursui vel adminiculo magis subjecta est, quàm primo: Igitur altero momento eandem illa ideam producet, quam primo excitavit. *Sin objicias*, animam esse debere in statu variationis, eum vero præsenti casu non obtentum iri: responderi potest, mutationem ejus fore similem (16.) mutationi Atomi. Atomus enim rectilineo progressu mota, omni momento alium occupat locum, aut positionem aliam habet, sed priori similem: Igitur ut & anima persistat in statu suo variationis, sufficit, ut novam in se ideam producat, etsi similem priori,,.

§. 155. *Eleganter* vero ista *omnia*, nisi quod *ex falsa hypothesi*. (15.) *Videtur Belius* hoc supponere: Deum concreare animæ vim cogitandi indeterminatam, hanc deinceps ipsam in se excitare primam aliquam ideam, deinde secundam, & sic porro. Quodsi id vellet Leibnitianum Systema, ultra Bælianas difficultates, nova accederet: Scilicet *non saltim* secundo momento caussa nulla foret, quare animæ vis adhuc eadem & indeterminata aliam à priori ideam excitaret, *sed nec* caussa foret, quare primitus excitaret ideam voluptatis vel doloris determinatè. Verum ista non est mens nostra. *Primo* statim *momento* creatur anima determinate rerum repræsentativa: *Secundi momenti* conceptus non derivantur amplius immediate ex vi cogitandi generali, sed per primi mo-

momenti cogitationes jam determinata, atque certis appetituum legibus accommoda. Appetitus verò animæ est actio principii illius interni, qua transit ab una perceptione ad aliam. Itaque hic non manet *caussa* perceptionum antecedentium & consequentium, ut ille loquitur, *totalis*: Manet saltim *generalis*, h. e. manet vis primitiva; manet id, quod in virtute repræsentativa verè reale & adeo perdurans est; manet id, quod in ea concipi potest, ut indeterminatum & generale: Sed non manet vis derivativa, ut præcise his vel illis repræsentationibus determinata est & limitata, idque ob internum mutationis principium, appetitum, non ob externas aliarum substantiarum actiones in animam. *Cogita* animam tuam nunc repræsentare tibi statum, quo felix fores; & esse in te principium novas repræsentationes appetens, sive voluntatem, quam in Te definio conatum ad producendas novas sensationes sub ratione boni a Te approbatas: Facile intelliges, quomodo ex hisce duabus suppositionibus, conjuncta lege appetituum, quæ media dirigit ad fines suos, in te exoritura sit mediorum repræsentatio, conatus ad eorum sensationem, sensatio mediorum, & hinc sensatio finis &c. atque adeo, *unde diversitas* repræsentationum scaturiat, videbis. (16.) Etiam hæc est *ingeniosa responsio*, sed *ex falso* tamen *supposito*. Objectionem non facimus nostram *ita generaliter* conceptam, ut cum atomis

atomis conferri poteſt. Volumus variationem, non quamcunque, ſed *determinatam* ex ſtatu antecedenti, ſecundum Leges Monadum, & ſpeciatim ſpirituum. Faceſſant igitur hic atomi, in quarum antecedenti ſtatu quocunque nulla eſt varietas, ſed perfecta ſemper uniformitas: In ſtatu monadis quocunque eſt multitudo & varietas, quarum unaquæque pro legum ſuarum tenore influit in ſtatum conſequentem; inde diverſitas. *Si quid* tamen *corporei* velis conferre animæ hujusmodi, ob internam diverſitatem, diverſas ideas conſequentes habentem, absque influxu rerum externarum: ſume *columbam artificis Norici*, eandemque in vacuo euntem atque redeuntem, ſi id videatur fieri poſſe, concipe. Ibi enim externum nihil erit. Elateres tamen interni dabunt diverſitatem, pro natura unusquisque ſua, & legibus motus generalibus.

§ 156. "Verum *remittamus* nonnihil *à rigore*, „atque concedamus Leibnitio mutationem aut „metamorphoſin cogitationum. Illud ſaltim *erit neceſſarium, ut progreſſus* ab una repræſentatione ad alteram *ſervet* aliquam *proportionem*, aut rationem affinitatis. Poſito, animam Julii Cæſaris aliquo momento videre arborem, foliis & floribus armatam, poſſum concipere, (ſuppoſito ſcilicet, in ſpiritibus finitis eſſe vim idearum excitativam, quantumcunque id incomprehenſibile videatur,) quod in continenti geſtiat videre arborem ſolis præditam ſi

mox aliam floribus tantum conſpicuam, atque adeo, quod ſucceſſive alias ſibi ideas formare poſſit, ex quarum ſingulis iterum enaſcantur aliæ. *Illud* autem *concipi non poteſt*, quomodo fieri poſſint *alboris in nigrum*, *affirmationisque in negationem* miræ converſiones, quomodo fieri animæ *ſaltus ex terra in Cœlum* ſtupendi, quos tamen experimur quotidie. Incomprehenſibile eſt, Deum animæ Cæſaris potuiſſe principium indere ejus mutationis, quam nunc allegabo. Sine dubio id plus vice ſimplici accidit, ut, *uberibus maternis adhærens*, *aciculæ punctionem* perſenſerit. Igitur ex ea, quam hic examinamus, hypotheſi, oportet animam ipſius immediate à dulciculis materni lactis ſenſationibus aliquot momentorum intervallo continuatis, tranſiiſſe ad moleſtas ſibi doloris perceptiones. Quonam illa elatere commota eſt, ad interrumpendam voluptatem, atque excitandum in ſe ſenſum doloris, cùm nihil fuerit, quod de præparatione ad iſtam mutationem facienda monuerit quicquam, & nihil in ejus ſubſtantia novi acciderit? Quodſi vitam ejus Imperatoris placeat percurrere, ſingulæ actiones ſuppeditabunt difficultates noſtra hac majores „.

§. 157. Amo Te, Bæli; ita eleganter & ingenioſe *omnes ordine* difficultates commemoras. Etiam nos concedimus; imo vero *urgemus*, *rationem affinitatis* ſervandam eſſe in progreſſu & ſucceſſione perceptionum: *Negamus* atque pernegamus, *fieri* poſſe *ſaltum* in

na-

atura, five de corporum motu fermo fit, ve de Monadum perceptionibus (z). Itaque ecesse est, fuisse & hujus novæ ideæ ante- :daneas in anima dispositiones, ex quibus ı consecuta est. Hic autem *distinguas* elim *perceptiones* animæ *distinctas*, qua- ım ita fibi conscia est, ut & notas allegare offit, quibus unam ab altera distinguit, & *aras, sed confusas tamen*, quarum fibi ita est onfcia, ut eas quidem dignofcere poffit; fed otas difcriminis tamen edifferere nequeat, *obscuris*, quarum fibi non adeo confcia eft, : eas poffit à fe invicem dignofcere. Cer- ım eft, fi anima nonnifi diftinctas aut cla- s rerum ideas haberet, eo, quem Bælius di- t, vel fimili modo altera ex altera nafce- tur, fic ut & nobis liceret eam affinitatis oportionem & confecutionis rationem ex- icare. Verum *alia res eft*, ubi *de obfcuris* fer- o fuerit; perceptionum enim obfcurarum :mo fibi confcius effe poteft, per ea, quæ r. *Wolfius* docet in Metaphyficis, §. 729. - - - 35. Neque adeo illarum differentias conve- entiasque, atque fic confecutionis modum :et exponere. *Generalis* tamen expofitio non :ficit: Cum enim anima nobis dicatur fub- antia Univerfi repræfentativa pro fitu corpo-

 ris

(z) *Leibnitius* in Epl. ad *Remondum* 11. Febr. 1715. De tels *fauts* (loquitur de abfolutis) ne *font* pas feulement *defendus* dans les mouvemens, mais encore *dans tout ordre* des chofes, ou verités. Vid. Recueil T. II. p. 186.

ris nostri in Universo, inde consequitur, plurimas res, quæ debilem è longinquo impressionem aut relationem habent ad corpus nostrum, eadem ratione in animo repræsentari; quod si res eædem propinquiores aut extantiores factæ majorem ad corpus relationem habeant, etiam sensibilior earum repræsentatio erit, eodem ordine ex prioribus enata, quo & impressio rerum in corpus successive aucta est: Quodsi illa tandem præ cæteris fortior sit, ut eam à confusa multitudine obscurarum liceat discernere, tum demum clara, vel omnino distincta fiet, sic ut illius ideæ quoque conscii simus. *Exemplum hoc esto*, dum nostra attente legis, circumvolant & vespæ & muscæ: Tu Bælianas objectiones meditaris, & momento dolorem sentis, vespæ aculeo manui tuæ fortius impresso, ut videtur, genitum. *Quæ connexio* Bælianarum meditationum, & doloris memorati? *Scilicet hæc*, dum Bæliana meditaris distincte; atque adeo ejus rei conscius es: alarum vespæ susurrus illabitur in aures tuas, verum minus fortiter, ut adeo, dum aliis animum rebus attendis, ejus perceptionis obscuræ tibi conscius non sis. Sin punctio accedat dolor, ut arbitraris, momento, & quod dici solet, *ex abrupto* mentem occupat. *Nequaquam* vero! Sed prout ex volatu, & ambientium corporum, vespæque, & tuo statu, consequebatur ipsius approximatio, & in corpore per aculeum solutio continui, effectus adeo

adeo, tui corporis ratione, ante reliquos considerabilior: Ita ex perceptionibus, quantumvis obſcuris, antecedanei illius ſtatus conſecuta eſt perceptio quoque conſequentis, reſpectu tui corporis ſenſibilioris, adeoque ſic enata eſt ordine & convenienter illa ſenſatio. Dic *eadem* omnia *de Cæſare lactente*: Ceſſabit etiam hic, niſi fallor, omnis difficultas: Aliæ enim perceptiones fuerunt, ex quib⁹ dolor enatus eſt, quam illæ voluptatis ex lactatu matris. Ceterum *neque* id eſt *omnino abſonum*, ex antecedanea voluptate dolorem conſequi, ſecundum illud *Socratis* apud *Platonem*: *Extrema gaudii luctus occupat* (a).

§. 158. " Poſſent iſta concipi aliquatenus, " ſi ſupponeres, *animam* humanam non *eſſe ſpi-* " *ritum*, ſed *legionem ſpirituum*, quorum ſingulis ſint ſuæ functiones, incipientes ea, atque finem iterum conſequentes, iſto exacte tempore, quo id corporis ſtatus requireret. Ita dici poſſet, eſſe aliquid, quod ſpirituum iſtorum operationes dato tempore excitaret, atque denuo ſopiret, ſimile cuidam pro noſtri corpo-

a) Leibnitius in Replique aux Reflex. de Mr. Bayle. T. II. du Rec. p. 407. Au reſte, comme *Socrate* a remarqué dans le *Phedon* de *Platon*, parlant d'un homme qui ſe *gratte*, ſouvent du plaiſir à la douleur il n'y a qu'un pas, *extrema gaudii luctus occupat*. De ſorte, qu'il ne ſe faut point étonner de ce paſſage: Il ſemble quelque fois, que le *plaiſir* n'eſt, qu'un *compoſé de petites perceptions*, dont *chacune* ſeroit une douleur, ſi elle étoit grande.

ris mutationibus accommodato apparatui r
tarum, elaterum, fermentorumve. Ista ve
ratione non una & simplex *foret* substanti
sed *ens per aggregationem*, cumulus substant
rum, qualem in rebus materialibus deprehe
dimus. Unam hic substantiam anquirimu
quæ modo voluptatem, mox dolorem &
producat: Non plures, quarum altera v
luptatem excitet, alia dolorem, desperati
nem alia, & sic porro. *Annotationes*, quas *ha
tenus* legis, habebis *loco amplificationis* earur
„quarum examine *Leibnitius* me honorav
„Nunc responsa ejus considerabimus„.

§. 159. *Optime* verò id *Bælius recusat*, si ar
mam facias ens per aggregationem: Ita eni
interitus & dispersionis capax fieret. Sed no
opus est pro diversitate effectuum explica
da, ut substantiarum multitudinem afferamu
Sufficit in una substantia modificationum, lim
tationum, determinationum, graduum, repr
sentationum *multitudo*, & *varietas* rerum r
præsentatarum. Singulæ enim perception
sua conferunt ad novas, & prioribus succ
daneas. Sive illæ distinctæ sint, sive conf
sæ saltim, sive claræ sint, sive obscuræ ta
tum; eo saltim *discrimine*, quod priorum, a
que adeo consecutionis inde pendentis co
scii simus, posteriorum, atque evolution
earundem conscii non simus.

§. 160. " Asserit, *legem variationum*, quam f
„quatur substantia animata, *ita* esse *compar*
ta

tam, ut ejus ope ipso illo momento, quo fit solutio continui in corpore, ex voluptate transferatur ad dolorem; quoniam in eo consistat lex substantiæ indivisibilis in creaturis animatis, ut repræsentet non solum id, quod in corpore accidit eo modo, quo id experimur, verum omnes quoque Universi mutationes, ea ratione & relatione, quam habeant ad mutationes nostri corporis. Continetur his verbis apta *expositio ejus, quo* tanquam *fundamento* id Systema nititur; est hæc illius analysis, atque ad id intelligendum clavis: Est verò simul & *scopus*, quo collineare debent obje„ ctiones eorum, qui hypothesin hancce novam „ habent pro impossibili „.

§. 161. "*Lex*, quæ hic allegatur, *præsupponit* „ aliquod *DEI Decretum*, eoque ostendit, in quo „ conveniat huic Systemati cum altero caussarum occasionalium. *Consentit utrumque* in eo capite, quod leges (17.) sint, secundum quas anima repræsentet id, quod in corpore accidit, eoque modo, quem experti novimus. Qua vero ratione legum istarum executio obtineatur, in eo *discrepant* illa duo Systemata. *Cartesiani* faciunt DEUM decreti sui executorem: *Leibnitii* mens est, animam ipsam exsequi leges istas. Jam vero, quantumcunque infinitæ sint divina scientia & potentia; non potest ille tamen *mediante* (18.) *machina*, alicubi *deficiente*, id perficere, quod partis hujus deficientis concursum postulat. Necessum enim

foret, ut defectum istum *suppleret*; atque adeo ipse effectum præstaret, non machina. *Animæ* vero (19.) *deesse media* & instrumenta, quibus ad legem ante dictam executioni mandandam „opus est, commonstrabimus, atque in eum „finem sequens exemplum allegabimus „.

§. 162. *Generaliter* (17.) quidem utrumque leges supponit: Differunt tamen eo, quod hic consideretur ut insita; Cartesianis ut lata. Non dicam nunc de aliis quoque differentiis: Hanc *unam* clarius eloquar. Lex illa, quam sequuntur animæ, *Leibnitio* non est decretum solum divinum, res ipsas tantum extrinsecus denominans; sed est decreti effectus & apotelesma, res intrinsece efficiens. Non enim ordinem solum machinæ DEUS suo Decreto præscribit, sed simul & structuram ei talem largitur, & vim imprimit, quarum ope effectus debiti consequantur. Hoc primum discrimen est, ex quo deinceps illud exsurgit, quod *Bælius* agnovit. (18.) *Recte* ista, neque adversamur. Pugnat enim, illa machinæ subsidio fieri, quæ partem postularent in machina desideratam: Ut, si dentes desint, & rotæ tamen cursus idem supponeretur, qui dentibus obtineri solet, dicendum esset, occasione rotæ non dentatæ, adeoque effectui præstando non accommodæ, fieri motum ab artifice, qualem dentes determinarent. (*19.*) Atqui vero *allegavimus media* ista, repræsentationum multitudinem, gradus, varietatem &c. Sed audiamus *Simile Bælianum,* §. 163.

§. 163. " Concipiamus animi gratia (20.) „*creaturam* animatam, à DEO conditam, & „*cantui destinatam*. Dubium non est, quin jugiter cantatura sit; quodsi autem DEUS certos illi nomos musicos (une certaine tablature) destinet, absolute id necessarium est, ut eosdem *vel* ante oculos constituat, *vel* memoriæ illius imprimat, *vel* eam musculorum texturam atque connexionem faciat, quæ per ipsas motus leges constanter & exacte determinatos illos ordine suo sonos producat. Neque intelligo ejusmodi creaturam musicam, si nihil horum supposueris, sequi posse notas sibi præscriptas. *Applicemus nunc typum* istum ad animam humanam. Vult *Leibnitius*, illam à DEO accepisse potentiam non solum excitandi in se ideas, sed & ordinem in iis servandi eum, qui mutationibus corporis sese consequentibus congruat. Hic idearum ordo respondet nomo, quem supposuimus, animali musico præscriptum esse. Nonne hic necessum est, ut anima, quo singulis momentis modificationes suas pro isto idearum nomo determinare possit, ordinem notarum intelligat, (21.) atque ad eundem attendat. Sed experientia cognovimus, illam esse istius rei penitus ignaram. Saltim ubi illa deest notitia, oportet in ipsa contineri ordinem quendam (22.) instrumentorum, quorum singula sint istarum idearum caussæ efficientes necessariæ. Nonne illa sic disponi oporteret, ut exacte

alterum poſt alterum agat, idque pro harmonia inter animæ ideas, & motus corporis, præſtituta? Atqui id eſt longe certiſſimum, ſubſtantiam immaterialem, ſimplicem, & indiviſibilem non eſſe compoſitam iſto inſtrumentorum, dictà prius lege diſpoſitorum, apparatu. „ Fieri igitur non poteſt, ut anima humana „ iſtam legem exequatur „.

§. 164. Placet vero & hic *ingenioſa Belii comparatio*: Sed *nervus* argumenti *idem* eſt, quem vidimus in antecedentibus. Sequamur *notas Leibnitii*, quæ hic ampliores ſunt, quam reſponſiones alteræ & anteriores, quas ſæpe citata collectio exhibet. (20.) Non opus eſt, ut id *fingas*, quod harmonia noſtra ipſo facto continet. Hujusmodi *muſicum ens* eſt anima cantoris cujuscunque: Agit aſpectus notarum muſicarum in corpus quidem, atque adeo hactenus aliquid confert: Quid autem anima? Externum nihil eſt, quod in eam agat: Igitur, dum & illa canit, *canit*, ut ſic dicam, *memoriter*, vel quaſi memoriter hactenus, ut determinationis ratio efficiens ſit in ipſa. *Quomodo id fiat*, quæris? Accipe ſequentia. Concedes, opinor, eas notas, melos exprimentes noſtrum, latuiſſe in cauſſis ſuis, ante, quam fuerint ita inter ſe compoſitæ. Nunc ſi anima ſit Univerſi repræſentativa, etiam earundem notarum repræſentatio fuit incluſa virtualiter in repræſentationibus earundem cauſſarum. Quemadmodum ergo in illis rebus materia-

terialibus ſat cauſſæ fuit, ut ita inter ſe jungantur: Ita & in repræſentationibus earum ſat cauſſæ fuit, ut eodem ipſo tempore ſic junctæ repræſententur. (21.) Non vero id diſtincte anima percipit, dum illæ perceptiones, tot aliis perceptionibus obſcuris, obſcuræ & ipſæ intermixtæ ſunt; donec illæ evolvantur, quod quoniam ordine fit, ſimili cum illo, quo & in corporibus phænomena ſibi ſuccedunt, hinc eodem tempore fieri oportet. Itaque *nihil* hic *officit, quod anima* ejus rei *conſcia non ſit*, quando argumentis novimus eſſe in anima noſtra, & fieri ab eadem plurima, quæ experientia ſola, ſola obſervatione, conſcientia ſola adeſſe non cognovimus. Ita ſi muſicam de ſonis harmonicis & disharmonicis theoriam recipias, memineris conſonare aut diſſonare ſonos, prout eorum vibrationes & percuſſiones frequentius conveniant & ſæpius, vel rarius tantum: Id cum anima percipiat atque diſtinguat, neceſſe eſt, occultam illi arithmeticam ineſſe, qua vibrationes convenientes inſenſibiliter numeret. Sed quotusquisque eſt, qui aſſerere auſit, iſtius celerrimæ annumerationis ſe ſibi conſcium eſſe poſſe, quantumcunque etiam rebus ſuis attenderit? (22.) Negamus autem, ſi cognitio & conſcientia deſit animæ iſtarum rerum, *neceſſarium* fore *inſtrumentorum* multiformem *apparatum*: Sufficiunt iſti rei perceptiones obſcuræ, innumeræ profecto, & ordinatim ſeſe evolventes ſuis legibus. Fieri igitur

poteſt, ut id omne præſtet anima humana, quod hic ſuppoſuimus.

§. 165. " *Sumit Leibnitius*, (23.) animam non „diſtincte cognoſcere ſenſationes futuras, ſed „confuſe ſaltim percipere, in unaquaque vero ſubſtantia eſſe *quædam veſtigia* & eorum, quæ ipſi acciderunt, & eorum, quæ accident: Infinitam vero iſtam ſenſationum multitudinem impedire, quo minus evolute diſtingui poſſint. Verum, quod medium concipiendi *ve-* „*ſtigia* (24.) *in* ſubſtantiis indiviſibilibus, ſimpli- „cibus & *immaterialibus*„.

§. 166. Imo (23.) vero *non ſumit* id ſaltim Leibnitius: Sed *alterum* experientia edoctus aſſerit, *alterum* argumentis. Senſationes *futuras* ne clare quidem percipimus, multo minus diſtincte: Percipimus autem non confuſe quidem, quod claras rerum repræſentationes poſtulat in Philoſophia Leibnitiana, ſed obſcure ſaltim, uti plerasque etiam præſentes: Eſſe autem ejusmodi perceptiones in anima probant multa. Quis dubitat, ubi colorem percipio, percipere me figuras, motus, ſitus partium &c. ſed obſcure profecto, quoniam illas dignoſcere non poſſum. Numerum vibrationum percipimus in ſono, ſed obſcure: Et quæ ſunt ejusmodi infinita. (24.) Præteritorum autem & futurorum *veſtigia, immaterialia* ſcilicet, *relationibus* ſcilicet & *reſpectibus* repræſentationum mutuis conſtantia, hactenus animæ tribuimus, quatenus, qui omnem ejus ſtatum præſentem

per-

pernoverit, præteritum hinc intelligere posset & futurum; ibi si discursiva cognitio foret, inferendo ab effectibus ad caussas, hic à caussis pergendo ad effectus. Et quis est, qui *memoriam* possit animæ nostræ asserere, *sine hujusmodi vestigiis præteritorum*? Quis *providentiam* ejus asseverare *sine indiciis futurorum*? Atque hic velim conferri, quæ *Wolfius* docet de utraque illa facultate reminiscendi præteritorum & prospiciendi in futurum §. 809.

§. 167. *Excipit* vero ipse sibi *Bælius* sequentia Leibnitii: " Præsens status cujusque animæ ,, est naturalis consecutio antecedentis, - - - - ,, Quantumvis igitur *simplex* sit anima, semper tamen ideam habet *pluribus* sensationibus simul constantem, quod nostro fini perinde subservit, atque si machina foret, diversis contexta partibus. Unaquæque enim antecedens perceptio influit in sequentem, secundum legem quandam ordinis, quæ non minus in perceptionibus obtinet, quam in motibus - - - Quoniam sensationes, quæ sunt eodem tempore in anima, infinitam minutiorum atque indiscernibilium cogitationum, ordine & successione demum evolvendam, multitudinem complectuntur: Inde mira non erit infinita varietas eorum, quæ successive hinc resultare atque evolvi possunt. Consequuntur ista omnia ex natura animæ repræsentativa, qua non solum illa exprimuntur, quæ fiunt & futura sunt in corpore, sed propter exactam

omnia

omnium in univerſo rerum inter ſe connexionem, etiam *ſuo modo* iſta omnia, quæ in aliis futura ſunt corporibus „.

§. 168. Habes *verba Leibnitii* a Bælio allegata & ſuis objectionibus inſerta, quibus hoc vult *Leibnitius*: *Primo*, in diſtinctis animæ ideis comprehendi plurima; id experiuntur, quicunque ſuas ideas reſolvunt (b.) atque ad ſimplicia reducere principia moliuntur: *Secundo*, majorem eſſe adhuc multitudinem ſenſationum, non diſtincte cognitarum; id intelligent illi, qui alteri poſt alterum ſenſui attendunt, atque recogitant v. g. quot ſint objecta, unico oculi obtutu conſpecta &c. *Tertio* maximam eſſe copiam perceptionum obſcurarum, quarum nobis conſcii non ſimus; id norunt illi, qui v. g. microſcopiorum ope in minutiſſimis, teleſcopiorum opera in remotiſſimis, plurima clare ſentiunt, quæ & antea perceperunt, dum rebus attenderent, ſed obſcure ſaltim, ſine conſcientia. (c) Quoniam vero iſta *omnia* conſtanter

b) Quomodo *reſolvi ideæ* debeant, & poſſint, Logici eſt exponere; ſupponendum hoc loco. *Specimina rei* videas in Logica *Wolfiana* de Viribus Intellectus c. 1. §. 18. & locis ibi allegatis, in Editione quidem tertia Anni 1722.

c) Idem eleganter in *Newtoniana Colorum* theoria deprehendes, qua conſtat, colores iridis eſſe primitivos, à radiis inter ſeſe heterogeneis productos, ita quidem, ut ſui compoſitione vel mixtos colores, vel lumen producant, prout illi inter ſeſe commixti fuerint, vel aliqui vel omnes. Et quis eſt tamen, qui colores illos in lumine ſeorſim videat & diſtincte, antequam ope priſmatis

er obversentur animæ, quatenus illa est Uni-
ersi suo modo, (hoc est, pro situ alicujus cor-
oris organici in Universo,) repræsentativa; *at-
ue singula* ad mutationes, ab interno substan-
iæ simplicis principio pendentes, sua ratione,
ro legibus monadum, aliquid conferant:
nde satis esse vestigiorum pro præteritis atque fu-
uris, inter sese comparandis, satis caussæ pro
liversitate præceptionum obtinenda, satis etiam
ationis pro servando ordine.

§. 169. Unicum addo, quid sit illud: *Pro situ
orporis organici in Universo*, quibus ego vocibus
Leibnitianum, *suo modo*, explicui. Scilicet id
acile omnes deprehendimus, non repræsentari
obis, dum cogitamus, res ipsas omni modo,
eque pro illa ratione vel respectu, quem ha-
ent ad res alias præcise & immediate, v. g. ad
cor-

trigoni vitrei, vel alia ratione, separati fuerint? Quis in *albo pariete* distinguit obversa illi objecta, dum conclave illustratum est diversis partibus? Discernimus illa tamen, cum obscuratum est; non sane, quod nunc demum in illo species rerum externarum depingi incipiant, sed quod seorsim singulæ pingantur, radiis aliunde illapsis, imaginem non interturbantibus. Vidimus igitur sane radios eosdem à pariete reflexos (sive obscuratum conclave fuerit, sive illustratum undique,) mixtos autem alienis non distinximus, eoque nec figuram imaginis, nec colores discrevimus, obscuras rerum perceptiones nacti tantum, non claras neque distinctas. *Similia* vero *de omnibus* facile *sensibus* Tuis deprehendes, quod si animum isti considerationi advertere volueris. Mihi viam in uno indicasse sufficerit.

corpus equi vel bovis: Verum repræſentari illas ab anima quacunque, prout illæ reſpiciunt certa quædam corporis cujusdam organa, quæ ſenſoria vocantur, & fortiorem à corporibus externis impreſſionem recipiunt ob texturæ ſuæ rationem, aut majorem cum illis connexionem dicunt. Itaque dum anima repræſentat ſtatum corporis unumquemque ſucceſſive, exhibet illum modificatum pro relatione corporum ambientium, eorumque determinationibus, quæ & ipſæ denuo pendent à relationibus, quas habent ad corpora ſibi circumpoſita: *Eaque re efficitur*, ut, quoniam ſic tandem omnia mutuo cohærent, & mutuo ſeſe determinant, ut, inquam, anima noſtra, dum corpus repræſentat ſuum, eo ipſo repræſentet univerſum mundi ſtatum, ſed ſuo modo, hoc eſt, quatenus inde pendent determinationes rerum in noſtro corpore. Atqui vero illa connexio eſt vehementer mediata, valde remota, admodum debilis in corporibus plerisque, ſive minutioribus, ſive remotioribus. Igitur & perceptiones illi reſpondentes erunt admodum tenues, imbecillæ, debiles, inter ſe implicitæ, verbo, obſcuræ; veræ tamen, atque in conſequentes perceptionum ſtatus non minus influentes, quam ipſæ illæ rerum determinationes mutuo concurrunt ad ſtatum Univerſi conſequentem. Iſta prolixius, etiam hoc loco, expoſui, quoniam in eo videtur acquieſcere velle *Bælius*. Ita enim ille.

§. 169.

§. 170. *Non multa* habeo, quæ opponam di-ctis: id saltim addo, hanc Leibnitii hypothesin, *si satis evoluta* atque explicata præstetur, verum esse medium tollendis è medio difficultatibus. *Leibnitius* pro summi sui ingenii perspicacia omnem objectionis comprehensionem atque vim complexus, fontem detexit, qui tollendis inconvenientiis medium præbere possit. Persuasum habeo, ipsum id, quod maxime difforme esse potest in ipsius systemate, in optimam formam redacturum, & de natura spirituum excellentia producturum esse. Nemo est, qui vel felicius vel tutius versari & progredi possit in mundo intelligibili, atque Regno veritatum. Spemque concipio, omnes impossibilitates, phantasiæ meæ inerrantes, ipsius declaratione dissipatum, & difficultates solide solutum iri, tum meas, tum illas quoque, quas R. P. *Franc. Lamius Tr. II. de la Connoissance de soy-même*, opposuit. Eoque spes fecit, ut sine verborum pompa dicere potuerim, *Systema ejus tanquam præstantem Philosophiæ accessionem esse considerandam.*

§. 171. Ego vero tum ex hoc paragrapho, tum ex eo quoque, quod nulla objectionum supplementa deprehenderim in *recentissima* Dictionarii Editione, colligo, *Bælium* Leibnitianis responsionibus *non parum* tribuisse, atque non sine caussa facilem videri Leibnitio, ad objectiones suas dimittendas; de quo tamen cum nemine velim contendere. Vidimus autem

hucusque *Belium Leibnitii* Antagoniſtam: Nunc ecce & *Apologetam*; ita enim concludit hunc articulum.

§. 172. Eam vero difficultatem non urgebis, quod, cum in ſententia Carteſianorum *unica lex* omnibus conjunctionibus ſpirituum cum corporibus ſuis ſufficiat, Leibnitiana hypotheſis id poſtulet, ut Deus *unicuique ſpiritui propriam* imprimat; ex quo videtur conſequi, primitivam cujusque conſtitutionem ab altero ſpecifice diverſam fuiſſe. Nunquam ſunt duo quicunque homines, qui, non dicam integro menſe, ſed ne quidem duobus ſucceſſive momentis, easdem plane ideas habeant. Vis igitur cogitandi in unoquoque differet regula ſpeciali, & natura ſua, Nonne & *Thomiſtæ* concedunt, in natura angelica eſſe tot ſpecies, quot ſint individua?

§. 173. Atqui neque hoc neceſſum eſt: Manet etiam in Leibnitiano Syſtemate *lex ſpirituum una* atque eadem, *generalis*; ſed diverſimode determinata in ſingulis: Eodem modo, quo & corporum leges ſunt eædem, ſed in ſingulis diverſimode agentes. Non itaque à nobis requiritur, ut *ſpecifice* (d) inter ſe *differant* ani-

d) Conſtat eſſe Philoſophos, quibus abſurdum non eſt, *homines* differre *Specie*. Tabulam an Fabulam prædicamentalem vulgarem ſcio hominem facere ſpeciem ſpecialiſſimam. Verum illa ineptiis quibusdam aliis auctoritatem ſibi omnem detraxit, Vid. J. P. de *Crouſaz* Syſteme des Reflexions P. I. S. III. C. V. Tom. I. p. 956.

animæ humanæ: Sufficit, ut numerice, hoc est, determinationibus hujusmodi, quales essentiam rei in se non ingrediuntur. Ceterum id verum est, nunquam dari in Universo res duas perfecte similes, quod & *Leibnitius* monuit aliquoties, præcipue in Epistolis ad Cel. *Clarkium*, & *Wolfius* à priori deduxit in Metaphysica §. 586. 587. Ita verò arbitror, extricavimus nos *laqueis Bælianis*, & quæ tanto ingenio difficilia, vel & impossibilia videbantur, nonnihil explicuimus.

§. 174. Succedat Bælio R. P. *Dn. Franciscus Lamy*, (e) Benedictinus, Cartesianna secutus placita, qui plura huic Systemati opposuit argumenta, quorum tamen *alia* sunt Leibnitiano & reliquis *communia*, *aliqua* vero etiam *propria*. Non contigit mihi ita esse felici, ut libelli istius copiam nancisci potuerim: Vidi *Leibnitianas* (f) saltim *responsiones*. Itaque neque verba hic ejus exhibere possum, quæ præterea & prolixiora forent, neque id mihi tanquam studiose factum imputari velim, si quam ejus *ex-*

957. & P. II. c. VIII. Tom. III. p. 1107. Edit. A. 1720. *Liticula est* inanis & *ridicula*, non definitis vocibus: Definitis distincte terminis est brevissima, & inter intelligentes, opinor, *nulla*. Idem dixero de *angelis Thomistarum*; salvis dissentientium honoribus?

e) De la Connoissance de soy-même Tr. II. p. 225. - 343.
f) In Journ. des Sçav. 1709. Suppl. du Juin edit. Batav. T. II. p. 593. - 603.

ceptionem argumentis principalibus *intercurrentem* ſilentio præterierim. Dabo tamen operam, ut, quæ is argumenta tangit ſuis difficultatibus, illa, quantum noſtri inſtituti ratio tulerit, explanata præſtem.

§. 175. *Primo* autem contendit hoc Syſtema cum altero cauſſarum occaſionalium. " Si duæ „ illæ ſubſtantiæ conſpirantes etiam hic factæ „ ſunt altera pro altera: Non *multum* hæc hypo„theſis differt ab hypotheſi occaſionalium „. Atqui *differunt* 1. *ipſis legibus, earumque fundamento*, *Carteſiani* indifferentes volunt atque omnino arbitrarias: Neque aliam huic quæſtioni: *Quare* ad hunc motũ hæc ſenſatio conſequatur? Reſponſionem habent, præter unicum atque omnino indifferens DEI beneplacitum. Negat id *Leibnitius*, qui ſubſtantias illas ita convenire tradit, ut altera alteram repræſentet, hoc eſt, ut perceptiones motui cöexiſtentes reſpondeant etiam, & *conveniant* rebus ipſis. Itaque alter à *voluntate* illas *unice* derivat: Alter & *ſapientiæ* aliquam *in electione* partem fuiſſe propugnat.

§. 176. Si *diſcrimen* illud *parvipendas*, reſponde *Bælio* (g) quærenti, *quare* DEUS potius ita legem iſtam determinaverit, ut vulnera corporis dolorem excitarent in anima, cum potuiſſet ſic inflectere, ut nihil excitarent, niſi ideam remedii, vividumque, ſed jucundum, id

g) Conf. hic *Leibnitium* in Theodicæa. §. 354. - 357. & *Bælium* ibidem allegatum, Reponſe aux queſtions d'un Provincial. Ch. 84. 166. T. 2.

l applicandi appetitum? Cur non effecit, ut
um corpus aliud in hominem irruit, quod
unc mortem infert, potius excitet ideam de-
linandi corpus aut partem ejus, ne feriat la-
is, globus &c.? *Leibnitio* quidem responsio-
es non desunt. Repræsentatio, nisi conve-
iat repræsentato, *justa* non est, aut exacta: Si
ulmus, corpori inimicum, animæ gratam at-
ue amicam debuisset ideam excitare, neutrum
lteri respondisset. Sin omnino velis, ut so-
itio continui, ut vulnus in anima repræsen-
itum aliquid boni atque grati sit, fac prius,
t corpori aliquam perfectionem afferat, qua-
s foret, si per eam solutionem aliqua diffi-
ultate agendi liberaretur, cujusmodi est, cum
istrictæ funibus manus solvuntur &c. Atqui
oc secus est in *nostro* corpore.

§. 177. Differunt igitur ista, quæ diximus
. 174. Differunt autem 1. *legum istarum executio-*
e. *Cartesiani* activum nihil, virtutis nihil admit-
unt in creaturis (h). DEUM faciunt unicum
mnis actionis, motus, perceptionis & sensatio-
is Auctorem. *Leibnitius* DEO principium tran-
cribit & originem omnis actionis, quatenus ille
im rebus activam sua voluntate & potentia
npressit; Rebus autem ipsis tribuit actiones

M 3 ab

(h) Nisi quod actiones animæ immanentes eidem subjiciunt;
magis, ut videtur, propter difficultates quasdam ita
facilius declinabiles, quam propter distinctam à priori
differentiam; de quo tamen hoc loco amplius disserere
non licet.

ab iſta virtute communicata prodeuntes. It
que *principium* omnium actionum *Carteſianis* e
externum rebus & ſupernaturale : *Leibnitio* e
internum & naturale : Quemadmodum in S
ſtemate Influxus eſt *externum naturale* (i).

§. 178. *Quanta autem* hæc differentia ſit,
eo colligas, quod Carreſiani, ipſeque etiam *L*
mius tanto ardore pugnent contra vim reb
inditam & communicatam : Ex adverſo *Le*
nitius tantopere adverſetur perpetuis illis mir
culis, quæ occaſionales cauſſæ rebus natural
bus explicandis admovent, de quo ſupra.

§. 179. Differunt 3. *Legum iſtarum ordine*
perſeverantia. Diximus antea *turbari* (k) leg
naturæ etiam in Syſtemate occaſionali : Si
enim DEUS ad volitionem animæ aliquid co
poribus intrudat novi motus, ſive ipſa id e
ficiat ſua virtute anima, hactenus perinde e

i) Neſcio, an pace Lectoris ex iſta obſervatione *præro*
tivam ſententiæ *Leibnitianæ* aliquam aſſerere lice
Uti enim naturale principium in actionibus creatu
rum ordinariis, ſpecialiter explicandis, videtur con
nientius eſſe ſupernaturali : Ita internum præſtare
terno videtur; ſaltim iis caſibus, ubi diverſa rerum
nera, ſpiritus & corpora, invicem conferuntur.

k) *Ordinarie* nimirum, vel turbari ſaltim poſſe; idque
voluntate *creaturarum*. Moneo id, *ne exiſtimes*, in S
ſtemate Leibnitiano aſſeri immutabilitatem abſolutam,
neque *miraculis* derogare *DEus* aut velit, aut poſſit. Di
mus id in antecedentibus ſane: Sed repeti eam pro
ſtationem, repetitæ aliorum ſive quæſtiones, ſive i
putationes poſtulant.

.tqui in Leibnitiano Systemate *maneant* omnia
ı corporibus suo ordine, in spiritibus suo,
ulla alterius per alterum turbatione facta;
deoque conservantur sartæ tectæque utrius-
ue leges. Ut de aliis *non dicam*, v. g quod
aussarum occasionalium quidam Patroni, ipse
amius, Leibnitianam hypothesin modo im-
ossibilem, modo indignam DEO &c. credi-
erint, adeoque satis profecto discriminis aut
lmiserint aut obtruserint.

§. 186. Interim non diffitemur, *convenire*
iam *utrique* Systemati in non paucis: *Quod*
ıima & corpus non agant in se mutuo; *Quod*
ɔnnexio rerum illarum diversissimarum pen-
eat ab ordine divinitus statuto; *Quod* actio-
es animæ immanentes habeant principium
ı anima internum &c. Imo *addam* & hoc *cum*
eibnitio (l): Transitum à Systemate occasio-

 nali

v. Recueil T. II. p. 157. 158. Ubi *Leibnitius* in Epistola ad *Remondum*. " Je ne trouve pas, que les sentimens du R. P. Malebranche soient trop eloignés des miens. Le *passage* de causses occasionelles à l'harmonie preétablie, ne paroit pas fort difficile. Un certain *M. Parent*, qui est de l'Academie Royale des Sciences, & qui a voulu me refuter par-ci par-la, veut faire croire, que je n'ai rien ajouté à la doctrine des causses occasionelles. Mais il ne paroit point avoir consideré, que selon moy les loix des corps ne sont point derangées, ni par Dieu, ni par l'ame. Le R. P. Dom. *François Lami*, Benedictin a aussi voulû me refuter dans son livre de la connoissance de soi-même. Il ne m'avoit point entendu, comme il falloit, & je crois, que ma reponse aura été mise dans un des Journaux de Paris". In ista vero

nali ad Harmoniam Præstabilitam non esse difficilem; neque id ægre laturum fuisse Virum Maximum, si Systema Occasionalium volueris in Harmoniam istam transformare.

§. 181. " *Secundo* autem loco existimat Vir „ doctissimus, *animam* nostro Systemate *non esse* „ *liberam*: Videturque libertatem etiam exten„dere velle ad sensationes promiscue; fert enim „ ægre, dici, quod non dependeat ab anima, ut „ sensationes, quæ placeant, in se possit producere (m)„. Repetam initio, quæ Leibnitius reposuit, deinceps addam nonnulla in *eorum* gratiam, quibus id *dubium* videtur *formidabile*. Li-

responsionibus, quas & antea allegavimus, ita inter cetera *Leibnitius*: En tout cas, si quelqu'un veut prendre le Systeme des occasionelles d'une maniere, qui le transforme au mien, je n'en serai point faché. Vid. p. 595. loco ante allegato in Journ. des Sçav.

m) Ita enim in Journ. des Sçav. l. c. *Leibnitius*: La seconde difficulté consiste dans une autre question, savoir: Si l'ame est *libre dans* la production de *ses sentimens*: Ou si elle ne l'est pas? - - - Et post pauca: Si j'ai dit, (comme il allegue) qu'il ne depend point de l'ame, de se donner des sentimens, qui lui plaisent, n'ai-je pas eu raison? Nimirum hoc nemo unquam asseruit, sensationes esse sub Imperio animæ, intellige directe & immediate, ut producere gratas ex arbitrio queat: Etsi mediantibus quibusdam actionibus imperatis, & sensationi præsuppositis, ab omni animæ imperio immunes non sint. Nescio tamen, annon forte *judicia* intellexerit *Lamius*, non *sensationes*: Constat vero etiam, quid de illis communiter, magno inter Philosophos consensu, tradatur,

Liberæ sunt actiones animæ voluntariæ, quarum distinctas ideas habet, & quæ pendent à ratione: Perceptiones confusæ, corpori attemperatæ, sive *sensationes*, oriuntur ex antecedentibus confusis, etsi anima eas distincte non velit, aut prævideat? Quis autem est, qui & istas unquam liberas dixerit.

§. 182. " Atqui status præsens cujusque „ substantiæ est *consequens naturale* antecedentis. „ Consequens naturale est consequens necessarium „. Nequaquam verò! *Naturale* est, quod naturæ rerum convenit: *Necessarium* est essentiale, neque immutari potest. Folia naturaliter erumpunt ex arboribus: Sed cadunt tamen. Naturale est, ut scelerati peccent: Necessarium non est. Naturale est habitui virtutis, bona opera perficere; An igitur libera non sunt?

§. 183. " Influunt tamen antecedaneæ per„ ceptiones in consequentes suas *secundum legem* „ *ordinis*, quæ in perceptionibus est, *ut* in mo„ tibus „. Ita est: Sed num lex ordinis jugulat libertatem? Nonne Deus eam legem constanter sequitur? Perceptiones confusæ reguntur, ut leges motuum, (n) quos repræsentant: Motus corporum explicantur per caussas efficientes; Sed in distinctis animæ perceptionibus, ubi libertas est, accedunt & caussæ fina-

 les.

n) Ut leges motuum, quatenus *ordinem* dicunt: In ceteris non parum differentiæ conspicitur, sæpius indicatæ.

les. Interim in utraque ſerie ordo eſt. Je ſuis un peu ſurpris, *ita hic finit Vir Illuſtris*, de ne rencontrer que des objections, qui n'en ont tout au plus, que l'apparence.

§. 184. Ne mireris, *Leibnitium* iſti objectioni fere *indignari*. Exiſtimavit enim, hanc eſſe prærogativam ſuæ ſententiæ, quod nulla alia libertatem hominis adeo extollat, atque hæc. Ita ille: (o) " Nec ſolum id non præjudicat „ libertati, ſed etiam maxime favet. Præterea cum juxta hoc Syſtema, quicquid in anima conſit, ab ipſa ſola pendeat, & ſtatus ſequens nonniſi ab ipſa & ſtatu ejus præſente oriatur, ſequitur hinc, tantam ejus eſſe independentiam, ut major eſſe non poſſit „. Idem etiam tenent *Trivultini* Librorum Critici Cenſores, *Jeſuitæ*, quos ita loquentes exhibet nuperus Theodiceæ interpres (p): Sed horum (quæ minus probamus) in numero ingenioſum Harmoniæ Præſtitutæ Syſtema minime profe-

o) v. Theod. §. 62. 63. Add. & Journ. des Sçav. 1695. 4. Juill. p. 419. Ubi de ſuo Syſtemate: Il s'y trouve ce *grand avantage*, qu'au lieu de dire, que nous *ne* ſommes *libres qu'en apparence*, & d'une maniere ſuffiſante à la pratique, comme *pluſieurs* perſonnes ont cru, il faut dire plûtôt, que nous *ne* ſommes *entrainés qu'en apparence*, & que *dans la rigueur* des expreſſions metaphyſiques nous ſommes dans une parfaite independence à l'egard de l'influence de toutes les autres creatures.

p) In *Monito*, quod ſuæ *verſioni* præmiſit. p.* 3. &* 4. de quibus vide infra §. 191.

fecto reponimus: Etsi enim illi systemati per omnia non assentiamur, at *certe*, id *libertati* humanæ *valde favere*, nobis est persuasissimum.

§. 185. Explicemus *primo* veritatem rei, *deinde* obviemus quoque objectionibus. Illud *agens* rationale *liberum est*, *in quo* deprehendimus cognitionem actionis suæ, in sese contingentis; *quod* ipsum, cum essentialiter & naturæ suæ necessitate ad alterutrum oppositorum determinatum non sit, ab externo etiam principio determinante immune est; & sese ipsum pro argumentis suadentibus, & appetitum sua bonitate (q) inclinantibus quidem, non vero necessitantibus, determinat ad agendum, vel non agendum, agendum hoc vel illud. Nimirum, *quatenus actio* in seipsa contingens; *motiva* actionis inclinantia quidem, sed non tamen necessitantia; & *agens ipsum* essentialiter ad alterutrum oppositorum determinatum non est: *Eatenus liberum* erit *à necessitate*, quam dicimus, *intrinseca*. *Quatenus principium* determinationis agenti est intrinsecum: *Eatenus* est liberum à necessitate, quam vocamus *extrinseca*, & coactione. *Quatenus cognita* est actio; & à *finalibus* caussis movendo, incli-

q) *Distincte*, vel *confuse*, vel & *obscure* cognita. Neque enim conscii semper sumus omnium argumentorum; quod in solis obtinet distinctis, & claris conceptibus: In obscuris, etsi moventibus, & ad communem effectum concurrentibus, non item. Caussas pete ex natura *conscientiæ* hujus distinctius explicanda.

clinandoque agenti persuasa: *eatenus* neque *mechanica* est, neque nude *spontanea*; quales sive in machinis, trudendo actis, ab efficientibus caussis, non pellectis, suadendo, à finalibus; sive in animalibus brutis, cognitione intellectuali simul, atque finalium caussarum consideratione destitutis, deprehendimus. Jam, si placet, *unum ille liber est*, qui inter plura absolute contingentia, eoque possibilia, potestatem in se habet eligendi & agendi id, quod maxime probat, quod maxime ipsi placet, quod optimum putat, quod maxime voluntatem allicit, & inclinat.

§. 186. Iterum dico *inclinat*: Non, *necessitat*, ut enim certum sit in *Philosophia Leibnitii*, voluntatem constanter & certissime selecturam esse illam partem, in quam inclinatur fortissime; vel, exquisitius loquendo (r), in quam pro-

r) Non diffiteor, *plerasque* de anima & spiritibus *locutiones* receptas esse rebus quidem ipsis parum, sed insinuandis tacite erroribus exquisite accommodas. Sic dum *inclinari* voluntatem *a motivis* dicimus, locutione a corporibus transsumta, animam quasi *bilancem* concipimus, ab accedentibus aliunde ponderibus, a se distinctis, inclinatam eo, ubi pressionis momentum fortius est. Atqui non sunt *externa* animæ motiva, sunt dispositiones ipsius animæ, sunt ipsius animæ perceptiones, atque in distincta cognitione intellectus judicia: Ita ut *æquipolleant locutiones, sive* dicas, motiva in hanc vel illam partem consideratis omnibus fortiora esse, aut fortis urgentia voluntatem, *sive*, animam hominis mage dispositam esse ad eligendam hanc vel illam par-

propendet maxime: *nullam* tamen ex eo *necessitatem* consequi existimo, *certitudinem* sequi facilis admitto, & urgeo (s). *Scilicet*, *motiva* voluntatem pellentia *nunquam tanta sunt*, ut positis illis *impossibile* sit, actionem non consequi; non sunt igitur necessitantia: *Ea tamen* est animæ natura, *ut nisi* alia in diversam partem argumenta prioribus opponantur, fortius mentem percellentia, *certissime* hanc actionem susceptura sit suo arbitrio. Ita intelligo verba

tem, magis illam propendere conniti impensius ad hanc vel illam sensationem producendam, quam aliam. Vide, si placet, amœbæa *Leibnitii* atque *Sam. Clarckii*, maxime in principiis Epl. v. & Resp. v. & in Annotat. Clariss. Viri *Lud. Phil. Thümmigii* ad ultimam Clarckii epistolam, §. statim 1. edit. German. p. 243. seq.

s) Amabo Te, Lector Benevole, si animam attendas ad *distinctionem*; pervulgatam profecto, sed vereor, ut satis explicatam communiter. *Negamus* sane, & optimo id quidem jure, *necessitatem* actionum futurarum; negamus indeterminationem quoque futurorum contingentium. *Illud* argumentis *moralibus*; *hoc* ducti *metaphysicis*, præcipue illis, quod, nisi determinata sit futuritio rerum, præscientia subsistere divina non possit. Jam, si placet, attende *determinationi futurorum*, quid illa sit? Unde pendeat? Quid à necessitate differat? Quid ab indeterminatione actus? Quomodo fundare præscientiam possit? Et cum libertate agentium conspirare? Et quænam futurorum determinatio id possit? Quæ non possit? Quæ sit objectiva rerum certitudo? Quod infallibilis & determinatæ DEI præscientiæ, in rebus ipsis, fundamentum? Et quæ sunt similia, de quibus hoc loco pluribus agere non convenit. Obiter tamen moneo, num forte existimes, Petretum cum

ba *Leibnitii* in Theod. §.371. " Jam vero caussæ omnes internæ externæque simul sumtæ faciunt, ut anima certo, sed non necessario se determinet: Non enim contradictionem implicaret, eam sese aliter determinare, cum voluntas inclinari possit, non necessitari ,,.

§. 187. Abstinui à voce *indifferentiæ*, nimium ambigua; cujus aliquem sensum negamus, retinemus alium. *Audi*, si placet, *Leibnitium*: "Stat itaque libertas contingentiæ, inquit in Theod. §. 46. vel etiam quodammodo indifferentiæ, si per indifferentiam intelligatur, nihil esse, quod ad alterutram partem nos necessitet, sed non datur indifferentia æquilibrii, i. e. talis, in qua omnia utrinque sint perfecte æqualia, nec major sit alterutram in partem inclinatio ,,. Quibus omnino verbis consentiunt, quæ suo olim præsidio dignatus est Cel. Jenensium Theologus, *Jo. Franc. Buddeus*, in ea quidem Dissertatione, quæ in Leibnitianas de Origine Mali sententias ex instituto conscripta est; capite enim III. §. XV. p. 90. ita lego. Equidem, quod dicitur libertatem voluntatis non id importare, ac si ad unum eadem ratione ac ad alterum inclinare-

Socinianis negare præscientiam saltim peccati; quoniam in absoluta, quam tuetur, voluntatis liberæ indeterminatione & indifferentia fundamentum præscientiæ nullum observaverit? Conf. in Theod. *Leibnitii* §. 369. eidemque contende dicta §. 364. *Utraque* per teipsum, ni grave sit, examina.

retur, imo contradictionem hoc involvere, cum *semper* ratio adsit, *cur* unum *præ* alio eligamus, *bene* se habet,„ Et gemina prioribus sunt verba Rintelensis quoque Theologi, *Frid. Guil. Bierlingii*, qui in Dissertatione de Origine Mali p. 10. adversus indifferentiam *Kingianam* inquit: « Istiusmodi libertas indifferentiæ est res imaginaria, &, dum homo eligit, voluntas inclinatur, *aut* per affectus, *aut* per rationes, quæ non semper æque sensibiliter percipiuntur, sed tamen „*semper* adsunt. vid. Annot. Illustr. Theod. „Autoris ad Librum de Origine Mali „. Sic ille.

§. 188. *Prolixa* sane *digressio* foret, si enumerare vellem omnia, quæ ad naturam libertatis explanandam utilia existimo (t). Generaliter hoc dico: *Tres* sunt mihi sententias de libertate humana *examinandi viæ*: *Prima*, ut investigem, num ea *omnia* & *sola* complectatur definitio, quæ per *experientiam*, circumspecte institutam, deprehendimus; *altera*, num ea comprehendat, quæ *sufficiant* consequentibus libertatis *moralibus*, præmiis, pœnis, consultationibus &c. fundandis atque tuendis; *tertia*, *num* quid intercedat, *veritatibus* aliun-

t) Erit alio *fortassis* loco & tempore facultas nobis, edisserendi ista prolixius; Atque ex illis obligationum, imputationumque & legum, præmiorum quoque & pœnarum conceptibus, quos & naturales & distinctos esse arbitramur, lucem negotio aliquam commodandi. Ceterum, si placet, expende dicta *Leibnitii* Theodic. §7. - §. 75.

aliunde cognitis, aliam theoreticis & generalibus, *adversum* & repugnans? Neque deprecor id examen, *quodcunque* eligas; puto sententiam nostram, dextre intellectam, & in universa compage spectatam, sustinere singula. Morales quidem considerationes, medio hic loco collocatas, evolvere inpræsentiarum non licet: Sed ne contemtum interpreteris silentium, accipe hanc sententiam. *Abstineat à Systemate Leibnitiano, quicunque noxium illud in practicis existimat: Malo, non possis tueri, & conciliare principia quædam theoretica, Systematis fulcra; quam ut fundamenta morum luxes, & maleferiatorum hominum licentiæ patrocineris!*

§. 189. *Objectiones*, quibus *hoc loco* attendendum reor, breviter has habe. Videtur inferre *necessitatem*, eoque extrudere rebus contingentiam, & mentibus exuere libertatem, quicunque statum consequentem ita ex antecedaneo derivat, ut *nihil* fiat *sine ratione* sui antecedanea *sufficienti*. *Præterea* in corporibus ferri omnia legibus mechanicis, eoque necessariis: Quodsi adeo & mutationum in anima consecutiones oriantur similibus, & consentientibus regulis, eandem quoque in anima necessitatem fore; *mechanismum* utrinque eundem, libertati è diametro adversum &c.

§. 190. *Speciose* ista, *donec evolvantur* distincte singula. Sed accipe summam rei. (1.) *Necessaria* illa actio actio *non est*, quæ ex statu ante-

tece-

tecedaneo *contingente*, legibus etiam necessariis consequitur: Est in seipsa contingens, ex contingenti oriunda; si necessariam dicere velis, est *hypothetica* tantum *necessitas*, ex *conditione* tamen antecedenti, sed *contingenter posita*. *Nulla* igitur propria *rebus* & *intrinseca* necessitas inferetur, etiamsi rationem illam sufficientem non solum, sed omnino necessitantem *Leibnitius* statueret, *quamdiu* sustinet, existentiam hujus mundi, & statum adeo primum, à quo ceteri consequuntur, esse contingentem; quod alium atque alium condere divina potentia mundum potuisset, nulla in ipsis rebus repugnantia obsistente. Sed neque necesse est, observationi illi insistere; nam (2.) *falsum* est, rationem *sufficientem esse necessitantem*, aut leges successionum *certas* esse simul *necessarias*. Ut id intelligas, attende, ex Leibnitiana mente, & §. nostro 185. rationes, quæ sufficientes sunt ad movendam voluntatem meam, dum aliæ fortiores ipsi non proponuntur, non tamen tantas esse, ut contradictionem involvat, positis illis non agere voluntatem: Esse tales tamen, ut, positis illis, neque oppositis aliis æqualibus, vel fortioribus, certum sit, illas animo actionem persuasuras esse. Unde (3) *nec hypotheticam* quidem *necessitatem* hic locum habere aliquem, perspicies. Namque positis licet præsentibus motivis omnibus, *necessarium* non est, ut anima illa sequatur; ut tamen fortiora sequatur, *naturale* est & con-

veniens. Recte Leibnitius in Theodicée §. 53. „ Quant à la liaison des causes avec les effets, „ elle incline seulement l'agent libre, sans le „ necessiter, ainsi qu'elle ne fait pas même une „ necessité hypothetique (u) „. Ut igitur *antecedanea* sit conditio, ex qua animæ determinatio præsens consequitur, est *intrinseca* primo; deinde & *inclinans* solum, non necessitans; ter-

u) Sunt *aliqua* hoc loco addita prioribus, in quibus hærere possis, aut accusare fidem nostram, nisi illa declarentur quoque. Ita enim lego: " Si non en joignant quelque chose de dehors, savoir cette maxime même, que l'inclination prévalente reüissit toujours „. Atqui adjungimus eam regulam: Ergo hypothetica locum habet necessitas! Hic vero *distinguas* velim *hypotheticam* alicujus *propositionis* necessitatem, quatenus conclusio est, & quatenus consideratur ut quæstio. Certum est, in bono syllogismo ex duabus præmissis, etsi contingentibus, *conclusionem* sequi *necessario*; non vero *necessariam*. Primum pertinet ad necessitatem *hypotheticam conclusionis*, quam Leibnitius admittit verbis ultimis: Secundum ad *hypotheticam quæstionis*, quam negat in prioribus. An illa *bona* sit *distinctio*, quære ex hominibus *Logicis*: Et meditare illud *Aristotelis* Analyt. Prior. L. I. c. XIV. ex distinctione Paciana. Ibi *Philosophus*: Cum A contingit omni B, & B. contingit omni C. syllogismus erit *perfectus*, quo *colligetur* A *contingere* omni C. „. Perfectus autem syllogismus infert conclusionem necessariò; Syllogismus ex contingentibus duobus infert contingentem, non vero necessariam: Illa necessitas ad *formam* pertinet; contingentia hæc ad *materiam*. Atque ita, nisi fallor, consentit sibi *Leibnitius*, neque tollit altera manu, quod priore posuerat.

tertio est *moraliter* & suasive *agens*, non pellens aut trudens mechanice.

§. 191. Nimirum quod *secundo* ad *Harmoniam* attinet, qua *corpori* connectitur: Ex antecedentibus memineris. (1.) Ipsas *leges mechanicas falso necessarias* supponi à Philosophis, sive incautis nonnihil, sive Spinosisticis. Esse & illas *contingentes*, neque ex essentia corporis, fonte necessario, profluas, *primus*, quod sciam, *Leibnitius* monuit & ostendit. (2.) Ut in corporibus *Mechanismum* recte urgeas; *in anima* consentiente *nullus* est: Est tamen id, quod in mechanismo pulcrum est; ordo nimirum consecutionis, formulam aliquam agendi generalem, motibusque corporum harmonicam exprimens. Quam in rem elegans est locus Leibnitii in Theod. §. 403. superius allegatus ad §. 155. eidemque consentiens alius. Recueil. T. II. p. 406. *Mechanismus* vero (3.) libertati *opponitur*, quatenus *cognitionem* negat, & bruto more, actam ab *extrinseco* pellente, substantiam indicat; talem in anima nullum unquam admiserit *Leibnitius*. Ut igitur consentiant mechanismo corporum externo actiones animæ, mechanicæ ea caussa non sunt (x).

x) Non possum non *indolere* recepti in Philosophia *defectui*, quo *vocabulis* judicia alligamus ea conditione, ut auditis vocibus iisdem, etsi *correctis*, & veneno per sapientiores exutis, eandem constanter sententiam pronunciemus. Fuerunt, qui *mechanicam* animæ necessita-

§. 192. *Diximus* illa *strictim*, quod enarratio plenior sit instituti alterius. *Sufficiunt* tamen, ut intelligas, non male *Trivultinos* Librorum Criticos Censores *Jesuitas*. Dum Jesuitas dico, liberi arbitrii defensores maximos dico. Ita illi loco ad §. 183. allegato inter alia: " Si *quæcunque* de infallibili electione optimi toto lucubrationis suæ decursu disseruit, unum in

tem imposuerunt ita, ut negarent esse spiritum, cogitationes ex materiæ motu & figuris derivaturi, Leges motuum ipsas, quibus istæ cogitationes a materia procedant, absolute necessarias rati, actionibus omnibus a principio externo, sed nobis ignoto, suspensis, sic, ut non mage mea sit actio, quod scribere velim, quam est lapidis, quod descendere nitatur, aut in Barometro Mercurii, quod aucta äeris gravitate, elevari incipiat. Recte enim vero *cohorreas ad ejusmodi mechanismum*, & internecionem libertatis Tuæ prævertas. Sed vero, expelle *vocabulo* illo, quæ *falsa* sunt, & ingratiis naturæ obtrusa, *necessitatem* brutam simul atque absolutam; deme principium pellens *externum*, cum de anima cogitaveris; Assere spiritualitatem, & relinque agenti *cognitionem* facti, concede *potestatem* determinandi seipsum; & adjunge id unum, sequi eas determinationes *ordinem*, sic ut ex una repræsentatione nascatur altera non minus ordinate, quam ex motu motus consequitur, etsi *diverso* operandi modo utrumque. Tum, si placet, *machinam* appella *spiritualem* id agens Tuum; dic, ejus mutationes *concordare* mutationibus corporum *mechanicis*; tuere, formulam *automati spiritualis*, in quo *eminenter* existat, quod in mechanismo elegans & pulcrum: *Nihil*, opinor, illos Tua locutione & sententia *offenderis*, qui ex sensu magis quam vocabulo pronunciant.

in conspectum colligantur omnia, comperietur nihil dixisse, quod *Theologos* libertatis arbitrii tuendæ *quantumvis* studiosos magnopere terrere debeat. Contendit ergo voluntatem *universim* ad ulterutram partem *nunquam* deflectere, *sine* ratione movente - - - - - At simul inculcat frequentissime, voluntatem *nulla vera* necessitate ad partem, quam amplectitur, adigi, posse affectui, genioque suo resistere, posse eundem expellere, atque in oppositam partem divertere, non rapi inclinationis suæ pondere, sed ei liberrime cedere„. Verum ex diverticulo in viam.

§. 193. Redeamus ad argumenta *Lamyana*: „*Tertium*, hoc est: “ Id Systema *non esse DEO dignum & sapiens.* Si vino se quis ingurgitet, „ut spirituum animalium ordo interrumpatur, „num id verosimile est, ejusmodi extravagatio- „nes non esse, nisi naturales animæ consecu- „tiones, & quod ea re sequatur ipsa leges „consecutionum à DEO sibi latas? Quam „id sapientiæ divinæ honorificum foret„? *Miror*, hæc opponi à *Cartesiano*. Num illud magis verisimile est, & sapientia divina dignum, ut & ille spirituum animalium turbam faciat, & animæ extravagationes producat? Num, in *Systemate vulgato*, id magis conveniens divinæ sapientiæ, ut animam influxui corporis subjiciat, quo fiat, ut nimio vini usu turbatis spiritibus animalibus, aut medicamento, vel aliis occasionibus irritatis iisdem, deinde turbetur

aut plane in furorem agatur anima? Nonne in noſtro Syſtemate antecedaneorum in corpore actuum repræſentationes confuſæ ſunt in anima quoque? Num igitur aliter fieri poteſt naturaliter, quam ut repræſentationes in illa tales conſequantur ex iisdem, quales in corpore motus conſequuntur ex motibus antecedentibus?

§. 194. " *An igitur ita ſequitur leges à DEO* „*ſibi latas*„? Audi *Leibnitium*: " Natura animæ „ & corporis eſt corrupta. Itaque dum naturam „ ſuam anima ſequitur, non ſemper ſe divinis legibus accommodat: *Corruptio* illa eſt *libertatis conſequens.* Atqui hoc non magis ad noſtrum Syſtema pertinet, quam ad cetera quoque omnia. *Caſſam mali* hic non inquirimus. Num pro *Manichæis* pugnabit *Lamyus*, quod confuſio divinis inducta operibus ſapientiam ipſius dedeceat? Nonne cum Auguſtino potius concedet, confuſionem adparentem eſſe majori ordine correctam „? Ita Leibnitius (y).

§. 195.

---

y) Supplem. du Journ. de Sçavans. Juin. 1709. p. 597. 598. Neſcio vero, num ambiguitas in voce *Legis* deliteſcat. Non ſane accommodat ſe anima divinis Legibus, cum peccat; ſanctæ nimirum illæ ſunt, & a ſcelenibus remotiſſimæ. Sed abutitur ea facultate, quam a divina voluntate accepit, examinandi motiva, & determinandi ſe in eam partem, quæ fortius ipſam afficit. Morem illum, in ſeipſo intaminatum, ſeligendi, quod fortius movet, aliquando Legem dicimus, quam ſequitur anima; non quomodo præceptum philoſophi legem vocant, ſed quo ſenſu ordinem quo-

§. 195. "*Non sunt* autem istæ Harmoniæ le-„ges *sapientes*. Entia quæcunque tendunt ad „sui conservationem: Atqui sunt corpora, pa-„pilionum v. g. quæ candelæ aut igni appro-„pinquant, dum comburantur: Sunt animæ, „quæ se præcipites dant in molestias. *Ridicu-„lam* vero *legem*, quæ faciat, ut anima bonam „deserat cogitationem, dum acu pungitur„! Atqui hoc commune est *omni Systemati! Quid* vero *ridiculum* in eo est, papilionem, dum calefieri appetit, igni propiorem factum, comburi? *Quid* in eo *mirum*, si ad appetitus inordinatos, quos assequi non possis, tristitia consequatur? *Quid* in eo *minus sapiens* aut indignum DEO, quod corporis mutationibus animæ repræsentationes respondeant & congruant? Num præstabilita Harmonia plus perfectionis animæ largiri debet, quam ipsa DEI immediata actio in Systemate Tuo? Ceterum *alio loco* id exponendum est, unde imperfectiones, & qua via in Systema mundanum irrepserint?

§. 196. Quartum est „ *DEUM non posse* facere automatum, quod sine ratione præstet „ id, quod homo facit cum ratione „. Atque hic sufficit Leibnitio, allegasse *automatum*

 divi-

que & consuetudinem. Sequitur igitur suæ naturæ consuetudinem anima, dum cedit motivis (non melioribus sane, sed) fortius appetitum urgentibus: In eo divinum transgreditur præceptum, quod meliora prioribus non opponit, attenditque, & examinatis obsequitur.

divinum *artificiosius* eo, quod postulat objectio. Id, inquit, quod *fœtum* format, artificium est, quod multo ea omnia exsuperat, quæ hominum ratio perficit: Neque illi comparari potest *pöema* elegantissimum, neque *discursus* quantumvis judiciosissimus. Agnosco sane, id fieri per divinam *præformationem*: Sed idem obtinet in Harmonia quoque præstabilita.

§. 197. Nescio quidem, num *specialia* hic *Lamius* alleget: Sunt autem illa, quæ hic maxime in considerationem venire possunt, *præcipue duo*: *Alterum*, quomodo in humani corporis machina repræsentari possint *propositiones generales*, quas anima format & cogitat; *alterum*, quomodo illa, nullo supposito animæ influxu, *Syllogismos* loqui & propositiones, sive id, quod propositionibus in corpore respondet, inter se conjungere queat? Ad quæstiones igitur istas generalem *Leibnitius* (z), sed elegantem atque determinatam acutissimus *Chr.*

z) v. Repliq. aux Reflex. de Mr. Bayle. Recueil T. II. p. 399. Le corps est fait en sorte, que l'ame ne prend jamais des resolutions, ou les mouvemens du corps ne s'accordent; les *raisonnemens* mêmes les plus *abstraits* y trouvant leur jeu, par le moyen des caracteres, qui les representent à l'imagination. En un mot, tout se fait dans le corps, à l'egard du detail des phenomenes, comme si la mauvaise doctrine de ceux, qui croient, que l'ame est materielle, suivant Epicure & Hobbes, etoit veritable: Ou comme si l'homme même n'etoit que corps, ou qu' automate, &c. *Wolfianas* vero explicationes ordine expositas v. Metaphys. §. 832. - 843.

Chr. Wolfius reſponſionem dedit, quam *compendio* expoſitam dabo, ne quam tranſiiſſe videar ex difficultatibus gravioribus, & publice motis.

§. 198. Scilicet, id *cognitum* ſuppono, quicquid rerum in Univerſo eſt, id eſſe ejusmodi, ut in quibusdam conveniat, in quibusdam differat: Atque adeo nonnulla ſint ejusdem ſpeciei, alia ſint ejusdem generis. *Sumo* etiam, id aliunde (a) lectoribus meis conſtare, quod *phantaſiæ* noſtræ is agendi modus ſit, ut ſi quas res in quibusdam tertiis convenire obſervaverimus, illa poſthac occaſione alterius ideæ alteram quoque reproducat; id quod in diſcurſibus familiaribus manifeſtum eſt ex tranſitu, quem facimus, à materia ad materiam. *Ubi* hoc factum fuerit, *memoriæ* beneficio ideam iſtam veterem denuo agnoſcimus. *Tum* vero veterem atque novam combinando, id, quo conveniunt, detegimus, atque ſic *ideas generales* atque univerſales formamus: Conceptui vero iſti *generali vocem* alligamus, cujus ope deinceps id, quod in rebus ſpecificum & generale eſt, deſignamus. Cognitio igitur *Univerſalis* juvatur, & propoſitiones abſtractæ pendent à *vocibus*, vel *generaliter ſignis* iſtis, quibus id, quod in rebus commune eſt, à pro-

N 5 prio

a) Ex Metaphyſica nimirum Wolfiana, vel & ex *attentione* ad rem præſentem, quæ veritates illas abunde docere poteſt illarum rerum curioſos, quos non omnia latent, quæ domi aguntur.

prio fecernimus. Itaque mirum non eft, repræfentari illas poffe fuo quoque *modo* in corpore. Sed progrediamur ad fpecialiora.

§. 199. Dum primo rem *præfentem percipimus*, notum eft, in cerebro motum oriri: Et continuari illum ad membra, loquelæ organa, atque ibi novum excitari motum. Id origo vocum probat: Nifi enim ex rerum afpectu conatus nafceretur ad producendum fonum, nunquam homines loqui incepiffent (b); fed neque infantes inciperent hodieque. Ille fonus auditus novum in cerebro motum producit: Ut adeo bini motus in cerebro conjungantur, alter ex fenfu rerum ortus, alter ex fenfu foni, feu vocis. Atque ita fit, ut alter in cerebro excitatus & alterum excitet: Namque & hic nihil video incommodi, quare fieri non poffit, ut duorum motuum femel combinatorum aut aliquid commune habentium, al-

b) *Obiter* moneo, ne ex ifto argumento incauti *fermonem naturalem* inferant. Falleretur, qui diceret: Quoniam ex afpectu rerum conatus ad producendum fonum aliquis in homine cooritur; ergo in omnibus idem oritur, ergo fonum omnes eundem edent ad confpectum rei ejusdem. Pendent illa fane ab infinita circumftantiarum in organis maxime auditui, & loquelæ aptatis, varietate. Neque facile plures iisdem rebus eosdem quoque fonos alligarent, nifi auditos antea ab aliis: Non funt igitur certi a natura foni rebus deftinati, & hominibus, etiamfi attenderent, obfervabiles. Cetera de fermone philofophiam, ideft, *Grammaticam univerfalem*, numeramus in *defideratis*: Prima difciplinæ ftamina vid. in Metaphyf. Wolfiana §. 291. - 315.

altero excitato excitetur alter quoque. *Istis vero præmissis*, omnia obtinuimus *in corpore*, quæ *necessaria* sunt cognitioni *generali*, *suo modo* repræsentandæ.

§. 200. *Excitatur* sensu rerum præsentium in corpore, & cerebro meo, *motus*: *Habet* hic aliquid *commune* cum alio, qui olim excitatus fuit: Itaque & *ille excitatur*. Jam in motu cerebri præsenti habes & id, quod *utrique commune* est, & id quod proprium: Habes igitur & id, quod *ideæ generali respondet*. *Motus ille cerebri*, qui utrique hic *communis* est, non minus *influit* suo modo *in organa* loquelæ, atque singuli hi motus rebus respondentes: Itaque & ille conjungitur voci & *sono peculiari* atque adeo & novo in cerebro motui. Ita oritur *vox* aliquid *commune significans*, ad quam producendam *toties* in corpore conatus est, *quoties* vel objectorum præsentium vel phantasiæ opera motus ille producitur in cerebro: Et quæ ipsa etiam, quoties audita motum, sono respondentem, cerebro imprimit, alterum illum motum, olim voci conjunctum, reproducit. *Id igitur est*, quod *in corpore* accidit, dum vel generales perceptiones eloquimur, vel propositiones generales audimus atque intelligimus.

§. 201. Existimo, non facile quemquam ista negaturum esse, *si attenderit* ad cognitionem suam generalem & abstractam: *Vocibus* enim conceptis nos meditari quis nescit? Imo esse etiam, dum meditamur, dum ego hic scribo,

ali-

aliquem in organis loquelæ *conatum ad voces* iſtas ediſſerendas, id ſatis *diſtincte* in me *experior*. Ne vero quis exiſtimet, favere iſtam deductionem hominibus aliquando profanis, aliquando minus profunde philoſophantibus, qui cogitantem in nobis ſubſtantiam vertunt in *automatum corporeum*: Iſti quidem rei deinceps adhibebimus remedia §. 220. Nunc ad Syllogiſmos pergemus.

§. 202. *In Syllogiſmis* poſt antecedentia res eſt facilior. Quicunque attendunt animæ ſuæ operationibus, illi deprehendunt, ubi *Syllogiſmum* cogitare contingat; incipere ſe ut plurimum à *ſenſatione*, quæ *minorem* conſtituat Syllogiſmi, ita audio nunc horam undecimam. Quin corpori locus ſit in hac propoſitione repræſentanda nemo dubitaverit; campanæ enim ſonitus ipſo nunc actu aliquam in aure primum, deinde cerebro meo mutationem facit. Iſta vero prior propoſitio, per legem *phantaſiæ* §. 197. allegatam, aliam mihi ideam revocat, priori olim conjunctam, atque adeo cum illa nonnihil commune habentem, ideam prandii. Inde *major* propoſitio: Hora undecima prandendum eſt. Sed neque hic quicquam eſt, quod non poſſit repræſentari in corpore ſine animæ influxu: Quis enim dubitet, motum iſtum ſoni cum motu prandii præparatorio ſæpius conjunctum, etiam nunc poſſe iſtam excitare in cerebro, atque adeo nunc

cum

cum illo conjungi ; quod ipſum repræſentat *concluſionem*: Ergo nunc prandendum eſt.

§. 203. Idemque dicas de *aliis* ratiocinationum *formis* ; ſic in Enthymemate eadem omnia adeſſe, hinc inferas, quoniam de veritate illius nunquam *certus* es, niſi omnes illas propoſitiones ſibi conjungas: Id vero hic diſcrimen eſt, quod altera propoſitio non adeo diſtinčte atque evolute attendatur, ut *ſaltus* videri poſſit, qui revera non eſt ; ſaltim non *eo* tempore, *quo* primum eam rem intelligimus. De *elocutione* exiſtimo nihil hic amplius neceſſarium eſſe, poſtquam circa propoſitiones generales monui, quod motus ille organorum loquelæ, ſine animæ interveniente opera, deduci poſſit à motu cerebri, propoſitionibus reſpondente. Ita autem, opinor, expedivimus, quæ ſunt in corpore difficillima.

§. 204. Ultimum Cel. *Lamii* hoc eſt: Non poſſe tribui creaturis *vim agentem*, à divina potentia „diſtinčtam. "Atqui nos contrariû obtinuimus „in antecedentibus, atque in eo ſequimur Phi„loſophos, ſi à Carteſianis diſceſſero, commu„niter omnes. Addam ſaltim *tria Leibnitii* verba „: Si nous agiſſons, nous avons la puiſſance d'agir. Si nous n'agiſſons pas „nous ne pechons pas non plus . Aut, ſi placet, redde rationem, quare illas anima cogitationes producere poſſit, quas immanentes vocamus, & non tamen habeat *potentiam agendi*,

ſal-

ſaltim *in ſe*, qualem *Leibnitius* poſtulat. De altera conſequentia conſentiunt, niſi fallor, Auctores; *ideo* quippe immanentes animæ actiones, volitionesque liberas relinquunt, ut peccati rationem invenire poſſint in anima. Atque *iſta* quidem *ad objectiones Lamii*, earumque occaſione dicta ſufficiant!

§. 205. *Succedat* nunc, quem & ſuperius audivimus, R. P. *Tourneminius.* Ille *duo* potiſſimum opponit Leibnitio atque Carteſianis; neque enim Leibnitiana impugnat, quatenus à Carteſianis diſtincta, etſi Carteſiana pluribus urgeat. *Primo experientiam* putat teſtari influxum, teſtari actionem animæ, qualem ipſe concedit. Verum de illo videas diſputata ſuperius, primo *in genere.* §. 27. ſeq. Deinde & *in ſpecie* adverſus Tourneminium §. 45.

§. 206. *Alterum* eſt, quod ille, velut ex Leibnitiana mente, Carteſianis opponit, & deinceps convertit quoque in Leibnitium: *Harmoniam* quamcunque *non efficere unionem* realem atque effectivam. Deſtrui adeo noſtra quoque ſententia unionem animæ & corporis. Ego autem concedo quidem, deſtrui *Phyſicam* illam, influxu nixam: Sed nego, deſtrui *Metaphyſicam*, qua fit, ut ex anima & corpore correſpondentibus fiat *unum per ſe*, unum ſuppoſitum, una perſona. Audi, ſi placet, Leibni-

nitium (c): Admitto nihilominus unionem veram inter corpus & animam, quæ ex duobus illis faciat suppositum. Sed unio ista Metaphysica est; unio vero influxus Physica esset. Atque iterum: Multi Recentiores nullam inter animam & corpus communicationem Physicam agnoverunt, quamvis subsistat semper communicatio Metaphysica, qua fit, ut anima & corpus ponant unum suppositum, quod persona dicitur. Et alibi: Sauve l'union Metaphysique de l'ame & de son corps, qui les fait composer unum per se, un animal, un vivant.

§. 207. Nimirum, ut Harmonia respondentium exacte horologiorum non sufficiat ad unionem veram, aut ad unitatem alicujus suppositi fundandam; quod rectissime Eruditi monuerunt: Existimo tamen, id non officere nobis in hoc negotio, quo non externam tan-

c) Locus *prior* est in Discursu de Conf. Rat. & Fid. §. 55. *Alter* in Theod. §. 59. Edit. Gall. & 58. latinæ. *Tertius* in Epistola ad Remondum T. II. du Recueil p. 330. Quibus omnino conferas Cel. Dn. *Crousaz* Systeme de Logique P. III. c. II. p. 1160. Nimirum inter exempla petitionis principii suo quodam *jure* collocat sequentia: " Si l'union de l'ame avec le corps ne consiste, que dans une simple concomitance des pensées & des mouvemens, c'est correspondance plûtot, qu'Union. Or l'ame est veritablement unie au corps. Il faut donc y chercher quelque chose de plus &c. On suppose, dit il, ce qui est en question, en *supposant* dans cette union, *plus* qu'on n'y apperçoit.

tantum in aliqua parte conſpirationem tuemur, ſed eam utriusque rei Harmoniam facimus, qua ſimiliter in utraque determinatum ſit, quicquid in illis unquam deprehendi aut diſtingui poſſit. Cum enim *individuum* ſit, quod ex omni parte determinatum eſt: Neſcio, quid præpediat, quo minus unum illud individuum compoſitum dixero, ubi duarum rerum, quarum altera ad alteram ordinata eſt, determinationes in Univerſum omnes conſentiant, ſic ut in neutro poſſis quicquam deprehendere, cujus ſimile non obtineas in altero. Dabimus igitur ſane, non omnem Harmoniam facere unionem veram, aut arguere unitatem ſuppoſiti: Illud tuebimur, Harmoniam, qualem diximus, plenariam ſufficere unitati individui alicujus compoſiti. *Cetera* de unione, quæ *præſentiam* poſtulat localem, & *actionem* requirit Phyſicam, Tua, ſi fieri poteſt, pace ſervabimus, dum diſtinctos mage actionis illius & in ſpiritibus præſentiæ conceptus vigere inter Philoſophos contigerit (d).

§. 208.

d) Addo *unicum* tamen. Accepimus, eſſe Philoſophos, quibus videatur, *unius* ejusdemque *hominis animam* poſſe eſſe Pariſiis, dum Conſtantinopoli *corpus* exiſtat. Manifeſtum eſt, unitatem eo caſu omnem abſolvi harmonia rerum: Sed & *noſtro* Syſtemate id obtinere diximus, neque localem aliquam animæ in corpore adeſſentiam poſtulavimus. Igitur quæſitum eſt, num *in Leibnitiana* quoque *ſententia* ejusdem hominis *anima* eſſe *alibi* locorum queat, & alibi *corpus* exiſtere? Neque videntur illam declinare conſequentiam poſſe philoſophi;

nihil enim animæ natura immutatur, sive in hac, sive illa spatii parte existat; potest utroque loco consentire suis repræsentationibus cum corpore, & organorum motibus. *Recte* id quidem consequitur, *si spatium* tuearis *absolutum*, & a rebus ipsis distinctum, receptaculum quasi aliquod in seipso indeterminatum, & independenter a rebus existens: Neque enim intelligo, quid eo casu impediat, quo minus altera hominis pars in eo spatio absoluto existat, cui Lutetias inexistere supponimus, altera in eo, quod Constantinopoli repletum hodie admittimus. Verum alia est rerum facies in Philosophia Leibnitii, quem constat abnegare spatium absolutum, & a rebus locatis omnino distinctum; cum enim *Leibnitio Spatium* nihil aliud *sit*, quam *ordo coexistentium*, & spatium adeoque neque a corporibus sejunctum detur, neque ordo coexistenti sine rebus coexistentibus esse aut cogitari debeat: Inde *translatæ* in *sermonem Leibnitianum* quæstioni hic sensus est. An eadem illa anima, cujus distinctæ & claræ repræsentationes sequuntur statum corporis organici ut Constantinopoli existentis, possit eodem tempore & simul suis illis repræsentationibus exhibere statum corporis, ut existentis Lutetiis? *Quatenus* enim supponitur anima & corpus *ejusdem* hominis, supponuntur inter se harmonica: *quatenus corpus* Constantinopoli supponitur ob harmoniam animæ repræsentationes exhibebunt mutationes, quæ fiunt in corpore, ab ambientibus Constantinopoli corporibus: *Quatenus anima* supponitur Lutetiæ, repræsentationes ejus exhibebunt statum Lutetiarum; ita enim consuevimus judicare. Eo sane loco dicimus existere animam nostram, cujus illa statum exprimit suis sensationibus; adeo quidem, ut in somnio, cum sensatione imaginationem non discernimus, eo quoque loco existere nobis videamur, quem Phantasiæ lusus exprimit. *Leibnitiana* igitur in Universo suo complexu *sententia Paradoxum* illud Philoso-

ſitare non licet, quod de illis mihi nihil innotuerit, præter iſta Leibnitii, exhibita ad §. 120. Eandem vero mentem ſuſpicor fuiſſe & Domino *de Maiſeaux*, ex reſponſione Leibnitiana (e): Imo & aliis quibusdam Viris doctis, ex recenſione ejusdem Leibnitii (f). Verum illa expoſuimus occaſione per *Lamium* facta §. 16. ſeqq.

§. 209. Accedamus ad *Iſaacum Newtonum*, Maximum illud Anglicæ Gentis Decus atque Ornamentum. Illius hæc ſunt de Leibnitio „verba (g): “ Poſſet oſtendi, Harmoniam „ipſius Præſtabilitam eſſe *verum miraculum*, „eandemque *contrariam experientiæ* omnium ho-

phicum *non admittit*: *Admitteret fortaſſis* recepto de ſpatiis conceptui copulata. Verum hic locus *de ſpatio* Commentarium non capit.

e) Ita enim ille in Epiſtola ad eundem 8. Jul. 1711. ſcri„pta. “ Au reſte, vous avés raiſon, Monſieur, de „m'attribuer dans ce fragment, *un reſte de Carteſianiſ„me*. Car j'avoüe, d'approuver une partie de la do„ctrine des Carteſiens. Mais mon ſentiment ſur le „commerce de l'ame & du corps a des fondemens „reçus generalement, avant la naiſſance du Carteſianiſ„me „. Vide Recueil. T. II. p. 387.

f) Vid. eadem Collectio T. II. p. 416. “ *Quelques autres* „ ont dit, qu'il entendoient ainſi l'hypotheſe des cauſes „occaſionelles, & ne la diſtinguoient point de la mien„ne, dont je ſuis *bien aiſe* „.

g) Vid. Epiſtola *Newtoni* ad Reverendiſſimum Abbatem „*Contium*, edita in Collect. ſæpe citata, T. II. p. 18.

„ hominum; cum unumquodque individuum „ habeat in se potentiam videndi suis oculis, „ & movendi corpus suum pro arbitrio „. Durum est profecto, adversari Newtono, incomparabili Viro, cujus in Mathesin merita universus Eruditorum orbis impense veneratur. Utinam ille eandem rebus quoque *Metaphysicis* operam impendisset, idemque in his judicium exercuisset; credo, & in hisce *Ipsi* atque *Leibnitio*, eadem aut *similia* ut proferrent, per utriusque sagacitatem contigisset.

§. 210. Interim, dum id optare magis licet, Philosophiæ bono, quam in tanto Viri Maximi senio sperare, nihil, opinor, in ejus merita peccabitur, quod si honorem præfati ad argumenta, præsertim inter indignationes nata, breviter respondeamus. Harmoniam Præstabilitam esse *miraculum*, sensu vocis Leibnitiano (h), negamus; esse effectum aut Corollarium miraculi (i) naturale, concedimus. Scilicet in universa rerum natura non

h) Leibnitius Epl. ad Abbatem eundem: l. c. p. 55. " J'appelle miracle tout evenement, qui ne peut être „ arrivé, que par la puissance du Createur, sa raison „ n'étant pas dans la nature des creatures „.

i) Vid. Leibnit. Epl. V. ad Clarkium §. 89. " L'Harmo„nie ou correspondance entre l'ame & le corps, n'est „ pas un miracle perpetuel, mais l'effet ou suite d'un „ miracle primigene, fait dans la creation des choses. „ Il est vray que c'est une merveille perpetuelle, com„me sont beaucoup de choses naturelles „. Vid. Rec. T. I. p. 131.

est satis caussæ, quæ efficiat, ut res istæ diversissimæ inter se conspirent: Itaque si de *prima* illarum consonantia quæras, non minus hæc à divina unice potentia pendet, quam ipsa in universum natura. Sin illas semel à DEO concordes factas atque legibus suis pergentes, contempleris; omnes *consecutivi* status ex prioribus nascuntur naturaliter, hoc est, secundum illum ordinem, quem DEUS rebus convenientem judicavit præ aliis, atque vi rebus initio insita exequitur.

§. 211. Quare id recte dicatur, quod *homo videat suis oculis*, consequitur ex §. 206. 207. Hoc enim, quod de supposito, de persona enunciatur, necessario consequitur ex unione illa Metaphysica, quæ suppositum, quæ personam, quæ unum aliquod per se efficit. Physicam autem unionem, itemque motum ab anima effective pendentem, ab experientia concludi posse non video. Et doleo sane, aut me prorsus caligare, aut similes vel Newtono Viros posse falli in consequentiis, qualibus quotidie uti oportet in omni Philosophia. Quid enim, aut unde cognoscimus communiter, nisi per experientiam? Existimo vero, *Newtonum*, si voluisset eandem hisce rebus perspicaciam applicare, quam & potuit, & aliis adhibuit, facile istam objectionem fuisse neglecturum, & daturum excellentia in hoc etiam negotio.

§. 212. *Samuelem Clarkium*, magnum eruditione, dignitate, fama & meritis virum, tanto

to nunc lubentius loquentem faciemus, quanto ille plus operæ posuit in defendendis Philosophiæ Newtonianæ capitibus, & quanto illa fuit illustrior concertatio, quam sub oculis *SERENISSIMÆ WALLIÆ PRINCIPIS, GUILIELMINÆ CHARLOTTÆ* depugnarunt *Ipse* & *Leibnitius* (k). Ita autem ille (l), "Si anima non ageret in corpus, corpus autem simplici materiæ motu mechanico, se nihilominus conformaret voluntati animæ, in infinita motuum spontaneorum varietate, id *miraculum* foret *perpetuum*." Equidem *sensu Clarkiano* non datur miraculum perpetuum, vocat

k) Scripserat *Leibnitius* nonnulla A. 1715. Nov. ad *Serenissimam Walliæ Principem*, quibus Philosophiæ *Newtoniana* & *Lockiana* quædam capita tangebantur, communicata deinceps à *Serenissima Principe* cum *Sam. Clarkio* Theol. Doct. & Ecclesiæ ad D. Jacobum Rectore, in aula Britannica Viro gratioso, qui *responsionem* illi literarum excerpto opposuit; *continuatio* deinde mutuis utriusque magni Viri ad eandem *Seren. Principem exceptionibus* & responsionibus, dum *Leibnitius* A. 1716. negotio immoreretur, post cujus fata libellus, *Anglice* & *Gallico* editus, haud ita pridem & *Germanice* versus est ab *Henr. Kæhlero*, & *Gallice* denuo impressus nuperrime in citata sæpius Collectione *Demasai*. Germanicam editionem commendat *Præfatio* Eruditissimi *Christiani Wolfii*, & *responsio* Clar. Viri, *Lud. Phil. Thümmigii* ad quintam *Clarkii* epistolam facta pro *Leibnitio*, nec parum dilaudata in *Actis Erud.* A. 1720. Dec. p. 544. seqq.

l) Vid. in citat. Epistolis, Epl. IV. *Clarkii* §. 31. 32. in Recueil T. I. p. 75.

enim id miraculum, quod insolitum est & extraordinarium, nequaquam id, quod constans & ordinarium deprehendimus. Nolim tamen id Viro doctissimo responderi; loquitur enim sine dubio adversus Leibnitium ex *definitione Leibnitiana.* Responsionem igitur sume ex §. 209. Non est hoc *miraculum perpetuum*, sed est *perpetua consecutio* illius *miraculi*, quo natura rerum à DEO constituta est; modò creationem velis (m) miraculum dicere. Si id, quod ex miraculo *consequitur*, velis miraculum dicere; hoc sensu nihil naturale erit. Ex primitivo enim illo creationis miraculo consequuntur omnia: Sed, ubi consequuntur *pro rerum* creatarum *natura*, ita, ut ex hisce possit ratio effectus dari; tum *naturales* vocare istos effectus in *usu* est.

§. 213. " Harmonia Præstabilita est vox so-„lum, & *terminus technicus*, neque usui esse pot-„est ad explicandam caussam effectus adeo „miraculosi„. Hæreo hic de mente oppositionis. Neque enim credidero, *Clarkium* id sibi de *Leibnitio* persuadere, quod hic pro caussa effectus vocem vendere velit: Neque illud à me impetrare possum, ut *Clarkio* tribuam, istum hoc rejicere, ut novæ effectus explicationi nova vox, novusque terminus technicus im-

m) Impropria enim locutio est, quia miraculum præsupponit naturam; Convenit creationi tamen in eo cum miraculis, quod sola & immediata DEI operatione constant, nulla intercurrente caussa secunda.

imponatur. Fortasse hoc voluit (n): Nullum esse determinatum istius termini sensum, neque respondere huic voci rem, quæ effectui aut phænomeno præsenti explicando sufficiat. Id ubi voluerit, provoco ad §. 90. & seqq.

§. 214. " Supponere, quod in motu corpo-„ ris spontaneo, anima non det novum ma-„ teriæ motum, novamve impressionem, & „ quod omnes motus spontanei producantur „ impulsione mechanica materiæ; est reduce-„ re omnia ad *fatum & necessitatem* „. Siquidem leges illæ mechanicæ sint absolute & geometrice necessariæ, quod veterum nonnulli supposuerunt, alii diserte docuerunt: Concedo fatum sequi in illis motibus, sequi necessitatem. Sin illæ sint, quod aliquoties diximus, absolute loquendo contingentes, si sapienter electæ inter plures possibiles, si adeo fundatæ, non in necessitate quadam bruta, & rebus aut materiæ intrinseca, sed in electione Entis summe intelligentis, pro sua libertate, & sapientia, ex plu-

n) Imo *fortassis hoc* voluit. Solenne est, ut *Philosophis* quibusdam *Anglis*, corporum phænomena specialia ex attractionibus corporum omnium mutuis explicare instituentibus, alii inculcent, *vocem* dari, aut *qualitatem scholasticam* allegari, non reddi caussas phænomenorum naturales. Quo id jure fiat, non disputo. Quid si nostros *talione* quadam repercutere in mentem Cel. *Clarkio* venisset? Tum vero redderem illi, quæ rectissime *ex Newtono Ipse* circa gravitatem monet atque attractionem: *Phænomenon* hac voce appellari a *Leibnitio*, *caussa* aliunde peti.

pluribus aliis mage hasce seligentis, quam alias: Tum cessat fatum omne, *evanescit* omnis motuum *necessitas,* proprie & absolute dicta, & sola *Clarkio* pro necessitate habita, v. Rec. T. I. p. 154.

§. 215. Alter & prolixior VIRI Doctissimi „ hic locus est (o): " Illud rationi magis ad„versatur, nolle admittere gravitationem vel „attractionem - - - - - & postulare simul, ut nos admittamus hypothesin *adeo alienam*, atque illa est de Harmonia Præstabilita, secundum quam anima & corpus hominis *non plus influxus* habent alterum in alterum, *quam duo* „ *horologia* æqualiter bene mota, quantumcun„que sint à se mutuo dissita, & licet nulla sit „inter eadem actio reciproca „. Non id ægre fero, quod hypothesin adeo *alienam* vocat hanc nostram: Intelligit id sine dubio, *sensibus*, & judiciis primis, qualia ferre solemus ex sensuum testimonio, re nondum mature pensitata. Sin & *rationi alienam* putet, in eo dissensum nostrum haud gravate feret. Comparationem cum *horologiis* de *influxu* concedimus: Cetera credimus *hic plus* esse mutuæ relationis, destinationis, atque unionis Metaphysicæ; Anima enim & corpus faciunt unum *per se*, rem vivam, animal, suppositum, personam, quod non dicimus de horologiis, quantumvis bene conspirantibus.

§. 215.

o) In Respons. V. ad Leibnit. ad §. 110. - 116. T. I. du *Recueil.* p. 191. seq.

§. 216. " Equidem Auctor dicit, DEUM
" prævidentem inclinationes animæ cujusque,
" ab initio sic formasse Universi machinam, ut
" simplicis mechanismi legibus corpora hu-
mana convenientes motus recipiant, tanquam
illius magnæ machinæ partes. Verum *an id
est possibile*, ut ejusmodi motus, & tantum va-
" riati, atque sunt motus humani corporis, pro-
" ducantur puro mechanismo, etsi voluntas &
" spiritus non agant in corpora " ? Puto id es-
se *omnino* possibile, Sed DEO. Volitiones istæ
sunt limitatæ & *finitæ gradibus* & *numero*, sunt-
que à DEO *prævisæ* : Quidni possint motus il-
lis respondentes (p), artificiosa machinæ stru-
ctura obtineri ab eo, qui utrumque pernovit,
& cujus potentiæ atque sapientiæ fines non
sunt? Variant sane mirum in modum appeti-
tus : Sed variant non minus organa nostri
corporis, atque corpora, quibus cingimur, &
que agunt in nostra organa. Cedemus
tamen, si quam Vir Doctissimus nostræ hy-
potheseos *repugnantiam* demonstraverit.

§. 217. An id est *credibile*, quod, si quis ho-
" mo decernat, atque adeo integro mense
" præsciat, quid sit hoc die, hac hora actu-
" rus ? An id, inquam, est credibile, quod
" corpus, virtute puri mechanismi, ab initio
" creationis in mundo corporeo producti, ex-

O 5 actis-

p) Dum *non repugnent* mutuo; *quales* neque voluntatis & spirituum opera præstari posse, facilis, opinor, admi- *seris.*

„ actissime istis spiritus humani decretis sese „ accommodaturum sit tempore destinato„? Non diffiteor, terrere quæstiones hujusmodi: Sed an *impossibilitatem* simul evincunt? Ego autem non dubito, quemadmodum in præsenti mundi repræsentatione satis caussæ fuit, ut id desiderium vel decretum in anima inde enatum sit; atque in consequenti satis argumentorum, ut pristinum decretum iterum in mentem redierit; Ita in præsenti mundi facie satis rationis esse, ut producantur in corpore motus decreto illi respondentes (q); atque in consequenti satis caussæ, ut prior motus redeat, atque novum deinceps, sed priori succenturiatum, & consentaneum producat.

§. 218. " Secundum hanc hypothesin, „ omnes *Philosophicæ ratiocinationes*, phænome- „ nis & experientia fundatæ, *fiunt inutiles* „. Atqui hoc liberalius illatum videtur. *Ratiocinationes factis nixæ.* v. g. radiorum luminis natura heterogenea, experimentis conclusa Newtonianis, atque infinita hujusmodi, constanter subsistunt. Quodsi autem in *judicio* plus dicas

q) Dico: Motus *decreto* respondentes; non, executionem decreti. Namque & *huic* in *mente* propositioni, quod *propediem suscipienda sit actio*, *suus* in *corpore* motus respondet: Alius illi, cum jam jam eo connititur anima, ut sensationem illam in sese producat, tum enim in corpore respondet motus quoque, quo *executio* perficitur decreti, non *destinatio* tantum, a & certo tempore suspensio.

dicas, quam est in *facto*, id & inutile est, & noxium. Utinam illa penitus aboleri possent (r). Ego *gratias Cartesio & Cartesianis* habeo, atque omnibus illis, qui docent, experientiam ponderare circumspectius. Si quis eam *inutilem* reddit, facessat ille ex circo Philosophorum! Sed audiamus.

§. 219. " Quodsi enim vera est Harmonia
" Præstabilita, homo *nec videt*, nec audit, nec
" sentit quicquam, neque movet corpus suum:
" *Imaginatur* sibi *tantum*, se videre, audire, sen-
" tire & movere corpus suum ". Si *cum Idealistis* rem haberet *Clarkius*, negarent illi, quod experientiæ contrarium sit, si dicas, *videri* id saltim nobis, quod sentiamus, quod moveamus corpora: Sed bene est, quod nos *ipsa quæstione* nostra *utrumque* admittamus, & *videri* id nobis, & *fieri* illud quoque. Illud non intelligo, quomodo id Harmoniæ Præstabilitæ adversetur, ut dicam, *videre hominem*, audire, & sentire

r) Atque utinam Doctiss. *Clarkius* ubique *æqualem* rebus attentionem adhibere dignatus esset! Ita recte idem disserit similia nostris, quando ad *Collinsii* argumentum aliquod ita respondet in animadversionibus. " De ce,
" qu'un homme fait *toujours* ce, qu'il juge raisonnable,
" il ne s'ensuit pas, que l'experience prouve, qu'il y
" a de la *necessité*, qu'il le fasse. *La concomitance* ici
" *n'est* nullement une preuve, qu'il y a *une liaison phy-*
" *sique* ". Vid. Recueil T. I. p. 382. Verum, quid aliud est, quod nostra dicit, aut supponit sententia, quam, quod *etiam hic* concomitantia rerum non sit *physicæ* connexionis indicium.

tire, & movere corpus ſuum. Ad *ſenſum* pertinet in *corpore* motus, in *anima* perceptio: Utrumque habet *homo* in Harmonia Præſtabilita; namque etiam hic eſt *compoſitum* quid ex anima & corpore: Itaque ſentit homo. Eodemque modo dicendum eſt, *hominem movere* corpus ſuum: Sed, *animam* movere corpus, propriiſſime non dicimus; at neque id experientiam poſtulare oſtenderis.

§. 220. " Et, ſi homines perſuaſi eſſent, „ quod corpus ipſorum nihil ſit præter ma- „chinam, & quod omnes ejus motus, qui „ voluntarii videntur, producantur legibus ne- „ ceſſariis mechaniſmi materialis, ſine omni in- „ fluxu vel operatione animæ in corpus: *Fa-* „ *cile inferrent*, hanc machinam eſſe integrum „ hominem, atque animam Harmonicam in Sy- „ ſtemate Harmoniæ Præſtabilitæ nudum eſſe „ figmentum atque vanum phantaſma „. *Iſti* quidem *rei cautum eſt* alibi ſufficienter. Animam enim in homine immaterialem atque ſpiritualem ex *conſcientia*, ex *modo* repræſentationis mundi, qui fit ab anima, &c. cum *Carteſio*, *Leibnitio* & *Chr. Wolfio* ſatis manifeſte defendimus, ut ab iſta hominum præcipitatione nihil metuamus: Quod enim fit in corpore, quodque ipſi ſupra plenius de corpore oſtendimus, ſatis adhuc à perceptione, reflexione, conſcientia & modo repræſentationis animæ diſtare, facile deprehenditur ab intelligenti-

bus

bus (s). Neque tamen indignamur isti *cautelæ Clarkianæ*, quoniam illi majus periculum est à discipulis Metaphysicæ *Lockianæ*, qua dubium relinquitur, *num* fieri non possit, saltim divina accedente opera, ut materia possit *cogitare*?

§. 221. " Porro : Quam *difficultatem* evitamus „ hypothesi adeo singulari ? Nullam scilicet, „ præter eam, quod concipi non possit, quo„ modo substantia immaterialis agat in mate„ riam „? Evitamus illam sane : Sed non tamen negamus, posse spiritum agere in corpora. Quare hæsitemus de anima, *aliam* supra caussam allegavimus, *quam generaliter* naturam spiritus. Quales autem, & quantas de cetero difficultates ea hypothesi declinemus, id legas licet in §. 126. &c.

§. 222. " Deinde an *difficilius est concipere*, „ quod substantia immaterialis agat in mate„ riam, quam concipere, quod materia in ma„ teriam „? Ita videtur sane ! Concedes Tu quidem, corpus posse concipi pellere aliud, percutere, contingere, adeoque impetum à reactione limitatum imprimere, potest vis impressa alicujus corporis concipi à concursu aliorum varie modificata, determinata, directa : De substantia immateriali nihil simile possum concipere. Cetera notum est, quid *Leibnitius*

s) Conferas tamen, si placet, *Chr. Wolfium* in Metaphysica, qui distincte rem omnem explicuit §. 738. seqq. Itemque Illustr. *Leibnitium* in Principiis Philosophiæ §. 17. & passim alibi.

tius de *communicatione motus* corporum cenſuerit.

§. 223. "Annon *eadem facilitas* eſt concipi-„endi, *quod* certæ materiæ portiones poſſint eſ-„ſe obligatæ, (ita Gallus interpres: Peuvent étre obligées; Germanicus: veranlaſſet; Anglicanum vero Clarkii diſcurſum videre non „licuit) ut ſequantur motus, & inclinationes „animæ, ſine impreſſione corporea; *quam*, „*quod* certæ materiæ portiones obligatæ ſint „ad ſequendos motus ſuos reciprocos, vi unio-„nis aut *adhæſionis* ſuarum partium, quam *nullo* „*mechaniſmo* explicare licet: Aut quod radii „luminis reflectantur regulariter à *ſuperficie*, „quam *nunquam contingunt*? Cujus quidem rei „plura ipſis oculis experimenta exhibuit in „*Optica* ſua *Iſaacus Newtonus*.

§. 224. Ego vero *non concipio*, quomodo corpus ſequi poſſit inclinationes animæ *ſine impreſſione* in corpus facta, aut ſine organis in corpore aptatis, quorum ope, mechanica conſecutione, motus ſuccedant. *Præſtaret* vero *rem laude digniſſimam*, qui res hujusmodi faceret intelligibiles, ſi fieri tales poſſint. Num *adhæſio* particularum in corporibus nullo poſſit mechaniſmo explicari, id fortaſſe liberalius dictum eſt. in re *nondum* deducta ad liquidum. Neq, puto, impoſſibilitatem deducendi ex rationibus mechanicis firmitatem, unionem & adhæſionem corporum ſive demonſtratam, ſive demonſtratu facilem eſſe in poſterũ. Sin hiſtorice di-

ictum est, de nostris artibus, quatenus hucusq;
l sufficienter & exquisite nemo præstitum de-
it; Omnino id fatendum puto. Illud autem
: *actione in distans*, per *Newtonum* (t) Philo-
phiæ restituta, *Leibnitio* hactenus opponi non
oteſt, qui suum in ea re dissensum (u) antea te-
atus fuit. Neque illa sine omni exceptione ex-
erimenta putem, si isti rei inhærere liceat (x).

§. 225. Atque ista quidem breviter dicta
into ad argumenta magni in Anglia Theologi
que Philosophi, quæ tanto specialius hic edis-
rere placuit, quod nuperus *Leibnitii* defensor,
ir Clar. *Ludov. Phil. Thümmigius* generali ad
Volfianas Methaphysicæ Institutiones provoca-
one hic acquieverit, atque *alias* potius Clar-
ianæ responsionis partes examinaverit. Ce-
ra non miror, maximis illis atque illustribus
iris, *Leibnitio* hinc, atque illinc *Newtono* &
larkio convenire in *theorematis* Metaphysicis
on potuisse; dissident enim in *principiis*.

§. 226. Idemque accidit eidem *Leibnitio*,
uando *Animadversiones* fecit *in Theoriam medi-*
cam

(t) In *Optica* sua p. 392. 474. 526. 534. 565. edit. Gallicæ Amstelodamensis A. 1720.

(u) Discours sur la conformité de la Raison & de la Foi §. 19.

(x) *Inflexionem* sane *Luminis* a Franc. Maria *Grimaldo* observatam primo, deinde amplius ab Illustr. *Newtono* confirmatam, & *pluribus* hodie Philosophis, nupertime etiam *Chr. Wolfio* in Exper. Phys. T. II. p. 487. seqq. probatam, non negavero: Neque tamen, eo facto demonstratam corporum *in distans* actionem, aut attractionem mutuam, concessero.

cam veram, iisdemque suam de Harmonia Præstabilita sententiam immiscuit. Videas enim, Viros Doctissimos, *Leibnitium* atque *Stahlium* tantopere in principiis discordare, ut aliquoties uterque fateatur, se non intelligere, *quid* alter *velit*? Ut sæpe numero uterque *miretur*, qui fiat, ut hæc talia alter eloquatur? Ego quidem videor mihi intelligere *Leibnitiana*: De *Stahlianis* idem non dixero asseverate; nihil ægre laturus, si quis, Stahlianæ Philosophiæ innutritus, contrariam meæ declarationem publicaverit; gratias etiam habiturus, ubi illam de motu theoriam tradiderit explicite.

§. 227. *Leibnitius* quidem in Animadversio-„nibus suis Nro. 26. ait. "Ad quæstionem, „quidnam sub actionum vitalium organicarum „administratione tribuendum sit animæ, *ex* „*meo* Harmoniæ Præstabilitæ *Systemate* respon-„debitur, *tribuenda* ei *omnia*, si corporis obse-„quium ex consensu spectes: Tribuendum „vero *nihil*, si quid reluctanti imperaretur. „Miraculi quoddam genus foret, si anima in „corpore aliquid efficeret *præter* ejus naturam. „Unius hoc DEI proprium est, aliquid rebus „inducere posse, præter earum leges „.

§. 228. Ad ista Vir Doctissimus in Enodationibus suis p. 115. "Quantum ex iis, quæ „hic afferuntur, hariolari possum, puto *Har-*„*moniam Præstabilitam* nihil aliud esse, nisi *na-*„*turam* illo sensu acceptam, quo de lege quasi „positiva divina accipi solet, *secundum quam*

omnia

„*omnia fiant*, *uti fiunt* „. In consequentibus hinc infert, considerationem illius *nullam* patere *nisi à posteriori*: Magnum vero esse postulatum & nullam excusationem admittens, veram harmoniam à posteriori ad priora formare velle &c. *Iterumque* rem ita concipit, quasi aut hoc diceret *Leibnitius*, aut hoc saltim intenderet, esse harmoniam inter agens & patiens, quatenus agens agat *secundum receptivitatem* patientis.

§. 229. Equidem non est hæc *mens Leibnitii* in verbis allegatis, quod anima agere possit in corpore, quæ non excedant receptivitatem corporis, cetera autem non possit: Quem Viro Doctissimo *conceptum ex eo subnatum* esse suspicor, quod *Leibnitius* contrarium suæ decisionis miraculum dixerit, atque id DEO soli adscripserit. In Philosophia enim *Stahliana*, cum anima possit agere in corpus, sed proportionaliter, ut ille vult, dispositioni corporis atque functionibus ejus: Verbo, secundum receptivitatem ejusdem naturalem; hinc illi id unum est miraculum DEO proprium, si ultra receptivitatem corporis naturalem aliquid fiat. Sed meminisse poterat, in Philosophia *Leibnitiana* rem secus habere.

§. 230. Verba itaque Leibnitiana hoc dicunt, animæ *omnes* corporis actiones vitales organicas posse tribui, si respectum saltim illum Metaphysicum attendas, qui ad mutuas & harmonicas corporis & animæ determinationes per-

tineat, quatenus corporis mechanismus, ita, non aliter, à DEO dispositus est, ut animæ suis motibus consentiat. *Nihil* posse tribui, si influxum Physicum, si realem actionem intelligas, cujus principium activum & productivum non ante fuerit in ipso corpore. Quid utrumque hoc sibi velit, puto manifestum esse ex antecedentibus.

§. 231. *Unde* autem *harmoniam* istam *intelligamus*, non difficile est ostendere: Harmoniam motuum voluntariorum cum perceptionibus distinctis, affectuum corporeorum cum confusis, *experientia* cognoscimus; Quis enim est, qui non in se deprehendat, moveri brachium, cum id cogitat, æstuare sanguinem, cum irascitur? Ceterorum in corpore motuum cum perceptionibus animæ obscuris harmoniam colligimus *ratione*. Sed non repetam ista denuo: Vide, si placet §. 94. 95. & passim.

§. 232. *Pergit* porro *Vir* Doctissimus: "Cum „autem *liberum* agens etiam *possit*, si non per„ficere, tamen *audere*, quod fieri *non possit*: „Et hoc maxime familiare sit *humanæ* animæ, „ita uti hodie est - - - - - - Ubi hic manet *harmonia* illa *præstabilita* unice à *posteriori ad prius*? An ergo illa, quæ fiunt cum summa contentione (licet effectu non potiantur) *non fiunt, non existunt, non vere sunt*? Aut est aliquid, imo plurimum, quod sit & fiat, nihil obstante *ulla harmonia præstabilita*, sed *extra ipsam*; *ab* alio plane *principio* & *secundum* plane aliud, & quo-

nam

nam referendum? An ad positivam *dis-har-*
„*moniam*, *etiam præstabilitam*? Certe enim &
„hoc, aut *ab* alio principio, aut *secundum* aliud
„principium, *contrariæ harmoniæ* fieri necesse
„est„.

§. 233. Posses mirari, quid Vir doctus impugnet, nisi ex ante dictis constaret, *ipsum sic intelligere Leibnitium*, quasi à posteriori voluisset concludere, tantam esse inter animam & corpus harmoniam, ut in actione animæ in corpus *illa nunquam agat*, *neque agere moliatur ultra receptivitatem* corporis. Isti sane sententiæ opponi possunt conatus ejusmodi, quæ intentum finem atque effectum non consequuntur. Verum illa non dicimus: Neque adeo nobis ista possunt objici.

§. 234. Si tamen forte quæsieris, quomodo in *conatibus*, ejusmodi, quos vocamus (y), *irritis*, inter se anima & corpus consentiant? Breviter ita habe: In corpore v. g. Besnierii, Bernoini, & aliorum est impetus volandi, resistunt au-

y) Dico: *Vocamus*. Proprie enim, & *philosophice* loquendo, nullus *conatus irritus* est: Quoniam unicuique caussæ actioni respondet effectus æquipollens viribus ad eum præstandum adhibitis, etsi vires aliquando minores esse possint, quam ut resistentiæ omni superandæ sufficiant, eoque destinatum a Te effectum (sed viribus majorem) obtinere possint; quo sensu *communiter* conatus irritos vocamus, qui insufficientes sunt effectui, cui destinantur, obtinendo, etsi effectum sibi æquipollentem semper obtineant. Verum de illo nolim hic anxie disserere.

tem iſti conatui niſus corporum ambientium contrarii, eoque fit, quoad hunc effectum viribus adhibitis majorem, irritus: In anima eſt niſus ad repræſentationem ſive ſenſationem iſtam volatus; reſiſtunt autem iſti appetitui repræſentationes contrariæ, reſpondentes iſti corporum ambientium niſui contrario: Itaque fit, ut appetitus ille ad novam hanc repræſentationem careat hoc ſuo effectu. Ita vides, quomodo & *in hoc caſu* maneat animæ & corporis *harmonia.* Memineris vero, me, dum repræſentationes dico, aut perceptiones niſus contrarii in corporibus ambientibus, *non* loqui *de* perceptionibns *diſtinctis*, *neque* de *claris*, quarum poſſumus eſſe conſcii: *Sed* de *obſcuris*, quarum etſi conſcii non ſimus, exiſtentiam in anima ſuperius adſtruximus, & facile pluribus oſtendere poſſemus.

§. 235. Neque nunc erit difficilis reſponſio „ad *Quæſtiones Viri Celeb.* “ Velim tamen, in„quit, ut monſtretur, *annon anima* multa *poſſit*, „ imo *ſoleat tentare, machinari, moliri, contendere*, maxime omnium autem velle, & ſperare, *ultra receptivitatem corporis* & rerum corporearum? An *auſus hi*, appetitus, tentamina etiam organica, *nihil ſint*; licet *effectu inania ſint*? *Unde* hoc *habeat corpus*, *ut animæ multum*, imo *plurimum* etiam pro *talibus* auſibus *obſequatur*, citra ullam realem *proportionem* ad propoſitos *im*„*poſſibiles fines*? An etiam *hoc obſequium* corporis

„ poris ab *harmonia* aliqua *praestabilita injunctum*
„ & inditum sit, ut *frustra* obsequatur „ ?

§. 236. Supponunt etiam haec interpretationem priorem: Sed *respondeamus* tamen ex *vero Systemate.* Velle animam multa, quae fieri non possint, compertum est. Ausus & appetitus isti, sunt aliquid in anima: Sunt etiam aliquid in corpore, quatenus & in illo conatus quidam illis respondent; non consentirent alioquin anima & corpus. *Non carent* tamen *omni effectu*: Etsi enim non consequantur effectum omnem intentum; eatenus tamen in subsequentes animae & corporis determinationes coinfluunt, quatenus aliquoties diximus, statum utriusque consequentem determinari ex antecedente: *Unde hoc habeat corpus*, ut & in illo sit aliquis conatus, etsi ille perfici non possit, facile determinabitur. Habet eum conatum *ex illis* in mundo corporeo caussis, ex quarum repraesentatione in anima enata est illa voluntas, spes aut appetitus. Denique is in corpore conatus, neque, ut diximus, omnino est frustraneus, etsi respectu hujus praecise intenti finis sit frustraneus; neque id corpori *magis incongruum* est, esse in illo impetus, quibus resistitur, quam animae, ut appetat ista, quae non possit assequi. *Nihil* igitur in *hisce quaestionibus* solvendis requiritur, quod harmoniae praestabilitae, rectius intellectae, advertetur.

§. 237. *Alter Viri Celeberrimi locus*, quem fateor *mihi* adhuc *obscuriorem* visum fuisse, continetur in responsione ejus ad Exceptionem Leibnitii quartam p. 143. 144. de quo, ut faciliorem illum Lectori exhibeam, ita mihi videtur, *opponi* hic Harmoniæ Præstabilitæ, sive legibus naturæ *duo* potissimum; excludi istis *ortum* rerum omnium à *prima* quadam *caussa*, & directionem atque *providentiam* divinam. Audiamus Verba illius. " Quod *Harmoniam* „ illam *Præstabilitam* attinet, quibus vocabulis, „ seu mero sono variante Dom. Auctor nominat illud, quod alii sive diserte vocabulis, sive discrete sensu locutionum, *leges naturæ* vocaverunt, aut supposuerunt; secundum quas, cum omnia, & quidem *immutabiliter*, & perpetuo fieri & impetrari Dn. Autor cum asseclis harum opinionum credi velit, quid aliud expectare potest, quam ut in infinitum procurrenti atque nullum finem habenti, *numero* corporum; & pariter infinito, nullum finem habenti *numero*, activarum incorporearum motricium facultatum, seu entelechiarum, etiam responderi possit *infinitas* ortus, seu nullus terminus *præstabiliendæ* suæ *Harmoniæ*, unde *inceperint*. Quemadmodum infra, in exceptione vigesima prima, etiam edicitur, quod entelechiæ illæ etiam *nunquam cessaturæ sint*, aut abolitum iri, credi debeant. Ex quibus omnibus implicationibus, nunquam certe ulterius, nedum fortius, mens humana, vera ali-

aliqua scientia pertingere poterit ad apodictice stabiliendum *primæ caussæ* actum, pro ortu harum rerum *undique* infinitarum „.

§. 238. Velim autem hic notes (1.), Harmoniam Præstabilitam *non esse idem* cum legibus naturæ; *leges* vero *naturæ esse medium* id, quo DEUS Harmoniam illam obtineat. (2.) fieri omnia secundum leges naturæ *non immutabiliter*; namque & *ipsæ* sunt DEO *mutabiles*. Sin hoc saltim velis, omnia, quæ à natura fiant, fieri secundum illas leges, id adeo certum est, ut oppositum involvat contradictionem. (3.) Opponere hic Virum Doctissimum *non soli Leibnitio*, sed *omnibus Philosophis non Epicureis*, hoc est, qui leges naturæ statuunt, quibus mundum DEUS regat: Quicunque enim *casus* negant, illi *leges* naturæ tenent. Si quis eorum statuat *leges immutabiles* atque necessarias, transigat ille cum Viro Celeberrimo. A Leibnitiana Philosophia id adeo alienum est, ut potius ille primus fuerit, qui veram legum illarum originem detexerit, non consistere in necessitate aliqua bruta & immutabili, verum in electione entis summe intelligentis libera & sapienti? Neque consequi illas ex eo, quod Geometricum est in corpore, sed pendere a principio altiori (z).

P 4 §. 238.

(z) *Quoties* id jam inculcavimus? Confer tamen, si placet, elegantem locum, quem, nescio, num ante allegaverim? Est epistola *Leibnitii* in hanc rem scripta in Journal des Sçavans 1691, 18. Juin p. 386. seqq. Ram. Sc.

§. 239. Quod ad rem ipſam attinet, obſerves (5.), dum Leibnitius *infinita numero corpora* in Univerſo admittit, id eo valere, quod in reſolutione & diviſione corporum non liceat devenire ad ultima, adeoque mundus complectatur corpora infinite multa. Infinitatem ortus vero (6.) eo ſenſu, quod *præſtabiliendæ* ſuæ Harmoniæ, *nullus* unquam *terminus* fuerit, is nunquam dixit. Pertinet hæc quæſtio ad *æternitatem* mundi, (ſic ipſe Vir Clar. p. 243.) de qua ille longe diverſum loquitur in Epiſtolis ad Clarkium. Audi Virum in ep. „ V. §. 56. " Abſolute loquendo poteſt conci„pi, Univerſum cœpiſſe prius, quam revera „ cœpit „: Et paulo poſt: " Sed an id ra„tioni & ſapientiæ divinæ conveniens, alia „ quæſtio foret &c. „. Idemque (7.) dicit ibidem

finit p. 390. & 391. Vir Illuſtris : " Cette *conſideration* „ me paroit *importante*, non ſeulement pour connoitre „ la Nature de la ſubſtance étendue, mais auſſi pour „ ne pas mépriſer dans la Phyſique les Principes ſupe- rieurs, & immateriels, au prejudice de la pieté. Car, quoique je ſois perſuadé, que *tout* ſe fait *mécaniquement* dans la nature corporelle, je ne laiſſe pas de croire auſſi, que *les Principes* mêmes *de Mécanique*, c'eſt à dire, les premieres *loix du mouvement*, ont une origine plus ſublime, que celle, que les pures Mathematiques peuvent fournir. Et je m'imagine, que ſi cela étoit plus connû, ou mieux conſideré, bien des *perſonnes de pieté* n'auroient pas ſi mauvaiſe opinion de la Philoſo„phie *Corpuſculaire*, & les Philoſophes Modernes join„droient mieux la connoiſſance de la Nature à celle de „ ſon Auteur „.

dem de *fine*, posse concipi prius terminatum, si quid fini ejus demere volueris, non autem esse rationabilem eam imminutionem.

§. 240. Itaque (8.) satis patet, quam id *ortui rerum* & dependentiæ à prima caussa *non repugnet*, quod de infinito rerum, etiam præsentium, numero Leibnitius edixit. Quomodo autem (9.) ipsa hæc *Harmonia Præstabilita*, omnibus illis, qui eandem tuentur, fortissimam *primæ caussæ*, *Deique demonstrationem exhibeat*, id deinceps succincte docebo Sectione Dissertationis septima seq.

§. 241. Alterum Cel. *Stablii* argumentum „hoc est: "Si vero quidquam minimo minus „esse potest, eadem illa mensura, nempe in „nihilum nulla, ex his tricis, admittere, nedum eruere poterit, *primæ illius caussæ* adhuc *perpetuum influxum*, adeoque verum *providentiæ* supremæ indesinentem concursum, gubernationem atque *directionem*; præsertim si *Harmonia* illa *Præstabilita*, non aliquid simplicissime Metaphysicum, abstractum, sit habendum; „sed aliquid reale, *modum* & *mensuram activita-* „*tis* illius *motoriæ* entelechialis, in ordinem in- „violabilem *cogens*, aut intra illum *cöercens*„.

§. 242. Nescio vero ego, quid *hic* in mentem venerit *Viro Clarissimo*, aut quomodo id ex nostris consequi sententiis vel videri possit. (1.) Harmonia Præstabilita est aliquid *Metaphysicum*: Sed obtinetur *legibus naturæ*, quæ sunt aliquid reale. (2.) Realia omnia pendent à

DEO, idque in fieri, esse, & conservari. Leibnitius in Theod. §. 377. " Jam supra „ statuimus divinum concursum in eo consi- „ stere, quod ipse nobis assidue largiatur, *quic-* „ *quid* in nobis & actibus nostris est *reale*, qua- „ tenus id perfectionem aliquam involvit „. Habes *concursum*: (3.) Audi & *providentiam* & gubernationem & directionem. Idem in Epl. „ II. ad Clarkium §. 8. 9. " Non dixi, mun- „ dum corporeum esse machinam aut auto- „ matum, quod sine DEI *interpositione* progre- diatur, ego urgeo satis, quod creaturæ illius *continuo influxu* opus habeant. Ea sententia non excludit *providentiam* aut *gubernationem* DEI, ex adverso illam perficit. Vera DEI pro- videntia requirit *perfectam provisionem*; sed ul- „ terius requirit, non solum ut perfecte *prævi-* „ *derit*, sed ut etiam omnibus *providerit*, me- „ diis convenientibus præordinatis „. Atque ea res (4.) est adeo manifesta, ut Vir Doctis- simus *Sam. Clarkius*, post acceptas illas respon- siones objectione sua cesserit (a), quantumvis ce-

a) Ita enim ille Resp. II. §. 11. p. 26. " Quand on dit, que Dieu „ conserve les choses ; si l'on veut dire par là, qu'il „ agit actuellement sur elles, & qu'il les gouverne en „ conservant & en continuant leurs, êtres leurs forces, „ leurs arrangemens, & leurs mouvemens; c'est præci- „ sement ce que je soutiens. Cui confer. Resp. Leibni- „ tii III. §. 16. p. 37. Je n'ai jamais donné sujet de „ douter, que la conservation de Dieu est un préserva- „ tion, & continuation actuelle des êtres, pouvoirs, „ ordres, dispositions & motions, & je crois peut-être

cetera adversatus fuerit opinionibus Leibnitianis. Si plura in eam rem & explicatiora postules, potes (5.) Wolfianas Methaphysicæ Institutiones consulere §. 1054. seq. Illud obiter addo, (6.) ordinem in fine paragraphi *inviolabilem* dici, scilicet *naturæ*: Non *DEO.* Conf. §. 238. in antecedentibus.

§. 243. Dixi autem ista prolixius, quoniam *Leibnitius* in suis Exceptionibus ad priorem locum *tria solum* verba reddidit, posteriorem vero in Replicationibus non vidit, editum demum A. 1720. Ita enim ille in Exceptionibus p. 221. "Quid sit Harmonia Præstabilita, nunc „demum ex iis credo intelligetur, quæ dicta „sunt ad num. 21. Itaque quæ hic contra dis„seruntur, *scopum non feriunt*„. Fefellit autem spes illa Virum Illustrem: Ita enim Cel. *Stahlius* subjicit. " Quid aliud sit Harmonia „Præstabilita, quàm quod ego recte & ordine „conjeci; unde quæso intelligere potuissem, „ex omnibus aut singulis, quæ exceptione „21. dicta sunt, ne quidem *nomine* hujus „harmoniæ *serio* repetito: Tantum abest, ut „scopum sibi propositum ferire potuisset„.

§. 244. Atqui & *nomen* est eodem, quo semper, sensu, in dicta Exceptione 21. art. 2. & *explicatio* Harmoniæ Præstabilitæ plenis-

„l'avoir mieux expliqué, que beaucoup d'autres „. Neque posthac plura vel opposuit, vel desideravit in hoc negotio *Clarkius*, etsi nondum statione decesserit, & duas adhuc responsorias Leibnitio opposuerit.

nissima continetur art. 1 - 7. pag. 175. seqq. Patebit id, si cum nostra hac exercitatione velis locum componere. Verum ista de *Stahlianis* sufficiant, dicta *salvis*, quos maxima Viri in Rem Medicam merita postulant, *honoribus*!

§. 245. *Superest*, ut *spicilegii loco* subjiciam, quæ interdum ex me quæri memini, aut Systemati huic obverti: Sunt illa hujusmodi: "Si animæ cogitationes à corpore non pen„dent, sed suo ordine & legibus pro animæ „natura mutuo consequuntur: *Cur illæ non pergunt* corpore utcunque affecto? Cur *cerebro* læso turbantur? Cur in *turbinem* acti, nesciunt, quid agant? An iste corporis in gyrum & turbinans motus cogitationum animæ consecutionem turbare potest? Aut quid hic rei agitur? Cur *cerebrum* mage sequuntur animæ repræsentationes, quàm aliam quamcunque corporis partem? Si ex animæ fundo omnia, cui bono *institutiones*, *libri*, collegia, auditoria? Expectemus securi, otiosi, &, si placet, dormientes, dum illæ se ideæ evolvant, quas Magistri aliis instillant, aut librorum lectio ingenerat? Si ordine sibi perceptiones succedunt, unde subitaneæ immutationes hominum, & *morum epochæ*? ut, quæ hactenus virtutem se„quitur anima, mox tota vitiis abripiatur? & „quæ sunt plura hujusmodi„.

§. 246. *Non pergunt* ideæ corpore aliter affecto, quoniam animæ prior status, tanquam corpori harmonicus atque Universi repræsentativus,

tivus non minus in se habuit repræsentationem illius caussæ, qua corpus aliter affectum est, quàm prior corporum Status eam caussam fuit complexus. Itaque ex repræsentatione ista priori non potest nasci alia repræsentatio, quàm qualis convenit statui corporis posteriori, qui nascitur à priori. Vides *unde* sit *perceptionum turba*, ab antecedanea perceptione *ejus*, *quod* motuum turbas produxit.

§. 247. *In turbinem acti* nesciunt, quid agant? *Dico caussam*: In turbinem si corpus agatur tuum, variantur impressiones corporum in organa sensus tua mirifice, sic ut, brevissimo tempore, & veluti momento, plurima, sed minus fortiter, in illa agant. Jam anima ex nostris institutionibus repræsentat Universum pro situ sui corporis in eo, itaque momento quasi temporis, plurimas, sed debiliores, & minus à se invicem secernendas rerum plurimarum repræsentationes, atque idearum successiones, hoc est, perceptiones obscuras habet, paucissimis intermixtis clarioribus & distinctioribus. Itaque nescit ferè, quid ipsa agat, dum sensim iterum sibi fiat conscia; ad conscientiam enim requiri temporis aliquem tractum majorem minoremve, pro circumstantiarum, aut ingeniorum ratione, discas ex Metaphysica *Chr. Wolfii* §. 736.

§. 248. Cur *cerebrum* sequatur *magis* animæ perceptio, quàm partes alias? facilis est ratio: Repræsentat anima Universum pro situ corporis

ris *organici*, hoc eſt, ſenſuum organis præditi (b). Atqui ſenſuum organa confluunt in cerebro; hoc enim eſt quaſi receptaculum, & ſcaturigo motuum omnium, quatenus ab objectis impreſſorum atque in corpus diffundendorum. Hoc mediante motus ex aure vel oculis in pedem tranſit aut manum meam: Ut *communiter* docemus. Igitur, cum cerebri ſint præcipuæ in motu partes: Id præcipue ſequi oportet motuum perceptiones.

§. 249. Illa autem ſuppoſitio de ideis *ex animæ fundo* prodituris iisdem, *ſive media* ſcientiarum *adhibeas, ſive negligas, de moribus iisdem, ſive leges* ſint poſitæ, ſive non ſint: *Contradictionem*

b) Elegans in eam rem obſervatio eſt *Jac. Bernoullii* in Epiſtola ad Auctorem Diarii Pariſini, du Journal des Sçavans 1685. 19. Nov. p. 499. Ubi, recenſita methodo cœcos docendi Mathematica, de *Coeca* quadam *Virgine Genevenſi*, ipſo magiſtro litteras exarare docta, memorat, eam nonniſi talia ſomniaſſe, qualia interdiu agitaverat; imagines rerum, quippe non viſarum, nullas unquam concepiſſe. "Demandant quelque fois à cette *fille*, ſi elle ne *reſvoit* point en dormant, comme nous, & s'ils ne luy paroiſſoient point *d'images* ou de phantoſmes: Elle luy reſpondoit, qu'elle ne ſavoit ce que c'etoit que ces ſortes d'images; mais que quelquefois en dormant, il luy ſembloit, qu'elle manioit les objets, de même qu'elle faiſoit en veillant". Adeo ſequitur anima ſtatum corporis, eidemque conſentit, ut neque in ſomno ideas producat, quales conſtitutioni organorum naturali adverſentur. Eadem dixeris de illis, qui *inter urſos* educati rudes rerum pæne omnium, & ſtupidi fuerunt immaniter.

ctionem involvit; Ideoque mirum non eſt, abſurda conſequi. Dum enim animæ ideas dicimus reſpondere ſitui corporis in Univerſo: Si diverſos corporum ſitus ſuppono, ſuppono & diverſas inter ſe animas, illis reſpondentes; aut, ſi hoc malis, diverſos ejusdem ſubjecti ſtatus. Itaque inferri non poteſt: Si ideæ ſcientiarum evolvuntur in me, dum frequens adſum docentibus, ſi mores mei ſunt compoſiti, dum leges intelligo in eam rem latas eſſe: Ergo ſi ego abſim, ſi leges deſint (*hoc eſt*, ſi alia ſit prioris loco anima, ſive ejusdem animæ ſtatus à priori diverſus) eædem hæ ideæ, iidem appetitus conſequuntur ex ſuis antecedentibus. Scilicet, ſi *data* differunt; differunt & *quæſita*: Si *antecedentia* diſcrepant; diſcrepant & inde *conſequentia* (c).

§. 250.

c) Neſciunt igitur ſane, quid vellicent, quicunque ex natura animæ, quatenus mundi pro *ſitu corporis* repræſentativa dicitur, hiante omnino conſequentia inferunt, animam, *ſibi Pariſiis* attendentem, dignoſcere, & tanquam in *ſpeculo* advertere, quæ in Vaticano *Romæ*, Conſtantinopoli in Gynecæo fiant? Quis illa *ſerio* opponere queat rerum peritis? Quis velit? Nimirum, *ex pumice aquam* poſtulas! Ex repræſentatione ſtatus rerum Pariſienſium, ut talium, clara & diſtincta, hoc eſt, ex ſtatu animæ Lutetiæ exiſtentis, immediate deduci vis repræſentationem rerum Romanarum claram vel diſtinctam, non tranſeundo per repræſentationes intermedias, ſed *per ſaltum*, eundemque abſolutum, non corpori magis quam animæ contrarium, & naturæ omnino univerſæ inimicum.

motus ad *motum*; ſi *motus* ad *motum*, ut *appetitus* ad *appetitum*: *Conſentiunt* utique mutationes utriusque ſubſtantiæ *in ſuis* perceptionum & motuum, appetituum & molitionum *ſucceſſionibus*. Facio hic, quod *Geometræ* ſolent, cum v. g. *in motu* corporum æquabili *ſpatium* exprimunt, *facto Celeritatis* & *Temporis*: Neque, opinor, *harmoniam* negaveris inter ſpatium motu æquali decurſum, & factum ex Celeritate in Tempus. *An* igitur *tempori ſpatium* comparamus? res omnino heterogeneas? Non ſane. Novimus hoc velle geometras; cum duo corpora ferantur æquabili motu, *ſpatium unius* eſſe ad *ſpatium alterius* in ratione compoſita directa *celeritatum* & *temporum unius* ad alterum. Igitur aut fallor ego, aut *ad harmoniam ſufficit*, ſucceſſiones repræſentationum inter ſe, & motuum inter ſe comparatas, ſervare eandem utrobique rationem. *Conſentiunt* illæ meo judicio, ſi ad motum corpori *inimicum ingrata* menti perceptio, ad amicum vero & *utilem grata* oriatur: Ad *duplum* prioris *dupla* (e), & ſic deinceps.

Quodſi

e) Erunt fortaſſis, quibus non ſufficiat, ad duplum ſequi duplam, ſed qui *abſoluta* æſtimatione *primum* gradum *primo* æquipollentem & proportionalem poſtulent. Nihil impedio, ſi poſſis: *Abſolutas* ego *quantitates* nullas concipio; quascunque autem concipio, menſuris intelligo, id eſt, rebus ejusdem generis aliis, ad menſurandam quantitatem applicabilibus. v. ſi placet. §. 41. p. 39. not. l. Neque id *ſapientiæ* adverſum foret, aliqua initio determinare pro arbitrio, cetera deinde legibus & ordine ſtato deducere e ſimplicibus libere aſ-

Quodſi idem applicare ad influxum liceat, cedam univerſa heterogeneitatis objeƈtione. Alia vero in illo quidem caſu comparatio eſt.

§. 252. Atque ita *tandem exegimus institutum* noſtrum, quatenus illud *ad* ſolvendas Celeberrimorum Virorum *objeƈtiones* pertinet. Non dubito *eſſe plures*, hinc inde obvias, & interſperſas aliisScriptionum argumentis; *fore* etiam *plures*, poſtquam id Syſtematis ex aliquo tempore incipit invaleſcere: Confido autem, *novas* fieri difficultates *paucas* poſſe; *plerasque* aut diſerte ſolutas eſſe, aut *occupatas* ſaltim; *ceteras* ex univerſa ſententiarum compage *ſolubiles* ſpero. Et *malo* ſane *alioquin*, *caveri* objeƈtionum *effeƈtus* in Leƈtorum Auditorumve animis, diſtinƈta ſententiarum expoſitione, & demonſtratione, cum fieri poteſt, dilucida & plena: *Quam* teri tempus, onerari memoriam, affeƈtari polyhiſtoriam, & ſuffocari diſtinƈtos rerum conceptus, per quæſitas objeƈtionum plurimarum, atque obiter ſolutarum *condenſationes*. Subtiliſſimas quidem limitando reſolvimus communiter: Limitatione oſtendimus, ſequi aliud, quam nos tueamur; aut ſumi

Q 2 aliud

ſumtis: Ea quidem methodo, quam in *arte charaƈteriſtica* uſurpant intelligentes, ut *ſimplicia* quidem exprimant ſimplicibus, & arbitrarie eleƈtis, verum ita commode tamen, atque adeo ſapienter determinatis charaƈteribus, ut *compoſitorum* charaƈteres idonei poſſint e ſimplicibus compingi; non enim illud ſtatim indifferens eſt, quod arbitrarium dicimus.

aliud, quam concedamus: Igitur determinata sententiæ & *distincta cognitio*, cum attenderis negotio, *sufficiet*. Sed vero hanc viam sequamur *alias*: *Primam* placuit commentationem accommodare ingenio multitudinis; ita factum est, ut rem eandem, non sane volentes, sæpenumero diversis enunciare locis, & quæ minus necessaria videbantur nobis, diducere coacti simus. Finiamus aliquando sermonem, &, quæ supersunt, pauca *pressius* persequamur.

SECTIO SEPTIMA,

De

Consectariis hujus Systematis Utilitatibus.

§. 253.

DUm consectarias *ex* Systemate *nostro Utilitates* advoco, *non* sane *generaliter* enumerabo, quæ sint *Unionis* inter Animam & Corpus mutuæ *commoda* simul & *incommoda*. Accedant Cel. *Laminum*, si qui ejus rei curiosi fuerint. De illo enim accepimus (f), enumerare Virum Doctissimum inter *incommoda* Animi, ex unione pendula, quod spiritus, pre-

f) v. Journ. des Sçavans 1694. 13. Sept. p. 707. ex ejusdem Tract. II. de la Connoissance de soi-même, ou l'on examine l'homme selon son être *Naturel*.

pretiosissimarum veritatum contemplationi aptatus, transferre attentionem cogatur ad terrena, corpori quidem sustentando necessaria, itemque quod doloribus & erroribus, a sensatione rerum fluentibus, fiat obnoxius: *Commoda* istum ex adverso illa enarrare, quod mediante sermone societatum capax hominum animus colere artes & scientias possit, satisfacere sua patientia divinæ etiam justitiæ, & mereri præmia, divinitus promissa. „ Ut enim *de ipsis*, quæ allegantur, commodis sive incommodis hic *nihil* dicam: *Non* sunt illa nostro *propria* Systemati; sed *neque vim* aut *lucem* ex Harmonia Præstituta *majorem* acquirunt. Dicamus *eorum aliqua*, *quæ* in nostro hoc Unionis Systemate *illustriora* sunt: De DEO alterum, alterum de *Anima humana*.

§. 254. In utroque *usum* ostensurus, *necessitatem* non assero. Neque igitur hoc ago, ut *oblique* illos pungam, qui dissident suis sententiis. Scio, *alios* quoque (g) ex illa Animi & Corporis Unione scalas ad divinitatem applicuisse, & elevato, ut philosophos decet, animo, mirandi illius artificii scaturiginem in DEO

 quæ-

g) Præter R. P. *Lamium*, modo allegatum, l. c. p. 700 & p. 701. succurrit nunc exemplum Dn. Abbatis *Dangeau*, in Dialogis quatuor, de immortalitate animæ, existentia DEI, providentia, & religione, editis Lutetiæ Parisiorum, sine nomine suo, & recensitis Bælio in Nouvelles de la Republique des Lettres 1684 T. II. p. 57. De *Occasionalistis*, in universum omnibus, notius id est, quiam ut inculcari debeat.

quæsivisse. Neque detraho argumentis Virorum: Illud, nisi grave sit, attende, *num eadem* idearum & perfectionum *fœcunditate* id in omnibus fiat? Et num *nostra aliquid* singulare habeat, & *illustrius*? Cetera memineris, ipsos etiam hujus sententiæ Artifices, *Leibnitium* atque *Wolfium*, *alias* de divinitate demonstrationes dedisse, ex motu illum, istum ex consideratione mundi philosophica (h). Sed vide, *quid*, *admissa* illa, quam exponimus, *Harmonia* olim *præstituta*, legitime & necessario *consequatur*?

§. 255. Nimirum *duas* in hoc Systemate *substantias* agnoscimus, alteram corpoream, spiritualem alteram; *diversissimas* adeo illas: *Utramque* autem in existentia & mutationibus suis *contingentem*; adeoque & aliter possibilem: Utramque in seipsa conspicuam *varietate* mirifica; organis illam, & motibus, istam perceptionibus atque appetitibus: Utramque in tanta rerum & modorum varietate *conspirantem* amicissime.

h) *Argumentum* est vel ideo *venerabile*, *quod* sacri codicis auctoritate approbatum est; *quod* rigorem demonstrationis præ ceteris optime sustinet; *quod* & attributis DEI cognoscendis accommodum est; *quod* fœcundam Corollariis, etiam practicis, DEI notitiam animo ingenerat. Vid. omnino *Cogitationes Rationales* de DEO, Mundo & Anima, cap. VI. integro. Collatis *Cogitationibus Ration. de Hominum Actionibus & Moribus* P. III. c. I. - VI. De *Leibnitio* vid. Præfat. Artis combinatoriæ, quam juvenis ediderat, recusam Francofurti 1690.

sime. *Consensus* igitur illius oportet *caussam* inveniri: Dic ubi? *quam?* qualem? & quantam?

§. 256. Principio *non* est illa *in rebus*: Sunt enim contingentes; eoque esse possunt aliæ atque aliæ. In *necessariis* sane, quorum oppositum in seipso involvit repugnantiam, eoque existere non potest, satis est in rebus ipsis caussæ, quare hoc, non alio, existant modo; oppositum enim a seipso excluditur ex regno veritatum & rerum. *Secus* est *in contingentibus*, quæ neque excluduntur ab existentia, neque ponuntur inter existentia, ipsa sui Natura; eoque caussam sui extrinsecam postulant ponenda, posita supponunt atque arguunt (i). *Harmoniæ* igitur inter res *contingentes* contingentiæ *caussam in rebus ipsis frustra* sane quæsieris.

§. 257. Sed *neque in mundo* illam, *aut* ea, quam nonnulli in subsidium vocant, *natura* deprehenderis. Sunt ex nostro Systemate plures in sese mundi possibiles; est noster contingens (k); regitur ipse legibus, ut sæpe di-

 xi,

i) Obiter moneo, post *Chr. Wolfium*, hac adhibita distinctione *rectificari* argumenta quædam frequentius adhibita, cum v. g. ex ordine effectuum quorundam arguimus ad ordinantem caussam a rebus ipsis distinctam. Valent ista sane, cum ordo contingens est: Ubi necessarius supponitur, non item. Neque adeo *plene* rem suam illi exequuntur, qui solo ordine nituntur: *Absolvent* vero, ubi contingentiam illius simul adjunxerint.

k) Dabimus fortassis *alio loco*, quæ ad demonstrandam mundi præsentis contingentiam pertinent. Nunc illa illa indice digito ostendisse sufficiat.

xi, contingentibus; si vocabulo Naturæ sensus est, dicit ordinem illum, quo sese omnes res corporeæ & spirituales, unaquæque suo more, mutuo excipiunt, ponunt, tollunt, antecedunt, aut producunt; obtinetur ille Legibus, sive formulis motuum & appetituum, illis Physico-Mechanicis, his Ethico-Logicis, utrisque non unicis, sed ex pluribus possibilibus divina optione selectis. Non est igitur in ipsa per sese Natura aut mundo satis caussæ, cur hæc potius rerum facies, ordo, consensus & Harmonia obtineat. Inferendi nervus est, qui modo fuerat, antecedenti proxime paragrapho: Quærenda igitur *extra mundum* Harmoniæ *caussa* est, & *ultra Naturam* invenienda est sublimior.

§. 258. Obtinuimus caussam Harmoniæ *ultra mundum*, & *extra contingentium seriem* existere: *Necessariam* adeo in *existentia* sua, & in *operationibus*, quod optione contingentia determinaverit, & ex indeterminata plurium possibilitate determinatam alicui existentiam dederit, *liberam. Num eo facto* divini, quale veneramur, Numinis existentiam asseruerimus, illico *intelliges*, *ubi* attenderis ad sequentia illius caussæ attributa, eademque cum divinis perfectionibus contuleris.

§. 259. Qui e diversi generis possibilibus illa novit seligere, & in actum deducere, quæ mutationibus suis consentiant; Eum oportet *intelligentem* esse. Si immensa rerum varietas con-

consentiat: Oportet *infinite* (l) *intelligentem* esse. Si machinas novit præparare futuris casibus, ut exquisite illis respondeant: Oportet *futurorum* esse *præscium*. Si præparet: *Providentem*. Si ordine illa obtineat, & successione mediorum atque finium sibi subordinet: *Sapientem*. *Potentem* vero, qui infinitas in corpore nostro atque Universo machinas consentientes, animasque ista omnia, suo quasque & varianti modo, exprimentes vel repræsentantes fecit.

§. 260. Habes igitur *Auctoris Harmoniæ* nostræ *existentiam* in seipso *necessariam*: Habes Eminentiam, & *ab Universo independentiam*: Habes *dependentiam Universi ab ipso*: Habes *intellectum* ejus *infinitum*: Habes *voluntatem libere* e pluribus eligentem: Habes *præscientiam futurorum*: Habes *providentiam*: *Sapientiam* habes: Habes denique hic *potentiam* ejus *infinitam*. *Satis* id profecto *characterum* est, ut optimum maximum DEUM istis criteriis agnoscas, Universi conditorem & arbitrum. *Neque* illi quidem *illationi quicquam* liceat *obvertere*.

l) De *Notione Intellectus infiniti* ex consideratione rerum, pro respectu *temporis* & *spatii* variantium, & variabilium, conf. elegantem dissertationem, quæ *Chr. Wolfio* Præside habita est Halæ Magdeb. *Titulo* Speciminis Physicæ ad Theologiam Naturalem applicatæ, quod sistit notionem Intellectus divini per opera Naturæ illustratam.

§. 261. Vides Harmoniam *deducere ad* DEUM, non extorquendo ſolum exiſtentiæ confeſſionem, ſed *illuſtrando perfectiones* quoque. Non applaudo omnibus promiſcue *& æqualiter* argumentis: Amo illa, quæ *ideam* divinitatis *minime ſterilem* generant, ſed qualem hanc exiſtimo, perfectionibus ſimul, atque eminentiſſimis undique attributis prægnantem. Atque hic verto in rem meam, quæ ſuperius oppoſuerunt Eruditi, *Bælius*, *Lamius*, *Clarkius*, alii; quando tantam Harmoniæ præſtituendæ ſapientiam atque vim neceſſariam judicarunt, ut neque divina ſufficiat omnipotentia & ſcientia. Nimirum, evicta, quod fecimus, rei poſſibilitate, non probat ſapientiam ſolum id Syſtema, & potentiam, ſed *plane extollit.* Quam autem ea ſit *Philoſopho digna* hypotheſis, qua divinum in Natura artificium, quantum fieri poteſt, maximam divinitatis ultra finitum omne admirationem venerationemque animo ingenerat: Id notius eſſe debet philoſophantibus, quam ut inculcari denuo neceſſum ſit.

§. 262. Illud non adeo commune *argumentum* eſt, quo *Leibnitium* tamen aliquoties (m) uſum eſſe

m) *Exemplum* videas Journ. des Sçav. 1696. 18. Nov. p. 709. 710. Ubi recenſita breviter ſententia, nudeque expoſita, pergit: Aprés cela je ne crois pas, que j'aye beſoin de rien prouver, ſi ce n'eſt qu'on veuille, que je prouve, que Dieu a tout ce qu'il faut pour ſe ſervir de cet artifice prevenant, dont nous voyons même des echantillons parmi les hommes, à meſure, qu'ils ſont

esse vidimus, cum ex ipsa illa divinorum attributorum manifestatione existentiam sui Systematis intulit Vir Illustris. Sufficit profecto, possibilem Harmoniam esse, & excellentius divina exprimere perfectionum in rebus vestigia, quam oppositas illi sententias; sufficit inquam eo, ut existere adeo illam omnes ii colligant, qui perfectissimas DEO operationes tribuunt, eoque inter possibilia plura inæqualiter perfecta optimum ab illo seligi infallibiliter, defendunt. Sed vero difficile & *specificum* examen in *comparatione* (n), utrum e duobus sit sapientiæ honorificentius? *Generaliter* id apertum puto, majorem in nostro, quam ceteris Systematis, artem demonstrari. Atque hoc sufficit,

habiles gens. Et, *supposé* qu'il le puisse; *on voit bien*, que c'est la plus belle voye, & la plus digne de lui. Il est vray, que j'en ai encore *d'autres preuves*, mais elles sont plus profundes, & il n'est pas necessaire de les alleguer ici. Et antea in Journ des Sçav. 1695. 4. Juill. p. 459. Dés qu'on voit la possibilité de cette hypothese des Acords, on voit aussi qu'elle est la plus raisonnable & qu'elle donne une merveilleuse idée de l'Harmonie de l'Univers, & de la perfection des ouvrages de Dieu.

n) Dico, specificum & in comparatione. Sunt enim casus, ubi *absoluta* disquisitio, an hoc vel illud sit sapientiæ conveniens? facilior est quam *comparativa*, utrum sit convenientius? Et comparativa *generalis*, sine dubio facilior est *specifica*; saltim iis casibus, ubi circumstantias omnes pernosse & contendere non datur hominibus,

ficit, ut intelligas, *divinam nostra* sententia *gloriam eminenter illustrari*.

§. 263. *Alterum*, quod allegari convenit, Systematis Harmonici commodum, in *asserenda* aut illustranda Animæ Humanæ a rebus externis *independentia*, & consequente illam *immortalitate*, atque in actionibus suis spontaneitate perfecta consistit. De *spontaneitate* locum exhibui §. 184. Neque illud in vulgato Systemate dubium leve puto, quod multi inimicum libertati opinantur, ab externis adeo vehementer affici an rapi? rebus. De *immortalitate* verba Viri illustris pauca dabimus hoc loco. Ita autem ille de Harmonia sua (o): Ce qui met encore dans un jour merveilleux l'immortalité de nôtre Ame, & la *conservation* toujours *uniforme* de nôtre *individu*, parfaitement bien reglée par sa propre nature, à l'abri de tous les accidens de dehors, quelque apparence qu'il y ait du contraire. Jamais Systeme n'a mis nôtre elevation dans une plus grande évidence. *Tout esprit* étant comme un *monde à part*, suffisant à lui même, independant de toute autre creature, envelopant l'infini, exprimant l' univers; id est *aussi durable*, aussi subsistant & aussi absolu, *que l' Univers* lui-même des Creatures. Ainsi on doit juger, qu' il y doit toujours faire figure de la maniere *la plus propre* à contribuer *à la perfection* de

o) Journ. des Sçav. 1695. p. 460. edit. Batav.

de la ſocieté de tous les eſprits, qui fait leur union morale dans la Cité de Dieu.

§. 264. *Iſta* quidem *facile* intelliguntur. Si enim ex antecedentibus Anima eſt ſubſtantia ſimplex, quæ, niſi annihilari, non poſſit; in quam nulla corporum impreſſio eſt, nulla creaturarum vera, realis, & tranſitiva actio; quæ ſolius Dei operationibus ſubjecta, ceterum ſibi habet res ſuas, ſuis recte Legibus, divinitus menti inſitis: Tum ſane *nihil* eſt, quod *interitum* minari poſſit; *nihil*, quod *interturbare ideas* & *confundere*; *nihil*, quod *interrumpere* illas, *ne* cum præſentibus *cohæreant*, easdemque in animo reproducant; nihil adeo, quod *præteritorum memoriam* & *perſonalitatis* ſtatum intervertere valeat (p). Ex adverſo *uniformem* individui *conſervationem* ſive *ſuadet*, ſive *demonſtrat*, *dependentia* ſtatuum conſequentium ab antecedenti-

p) Ne plura hoc loco, quam neceſſarium ſit, cumulari exiſtimes, evolve Cl. Viri, *Lud. Phil. Thummigii*, Reg. Boruſſ. Societ. Scient. Sodalis, diſſertationem Halæ Magdeb. habitam 1721. d. 12. Dec. Tit. Demonſtratio Immortalitatis Animæ ex intima ejus Natura deducta; cujus Sect. I. diſtinctam *immortalitatis* notionem exhibet, complexam 1. *perennitatem* ejus. 2. *Perſeverantiam* in ſtatu idearum *diſtinctarum*, 3. *memoriam præteritorum*, quam cum Leibnitio Theod. §. 89. individualitatem moralem, & cum Chr. Wolfio Metaph. §. 924. perſonalitatem vocat. Eandem opinor *Leibnitii* mentem eſſe verbis modo exhibitis, cum *uniformem individui* conſervationem, & *ſocietatem* urget *ſpirituum*; quorum, ſi placet, definitionem pete ex §. 896. Inſtitutionum Metaphyſices Wolfianarum.

dentibus, conjuncta *consuetudini* Naturæ, qua augeri perfectionibus, non minui res Naturæ, aut ire in deterius videntur. Saltim *illud omne* ab anima nostra *abest* quam longissime, quicquid maleferiata profanorum hominum ingenia eidem affricare connisi sunt: neque enim dependet a materia, aut in esse, aut fieri, aut operari; quod *ultimum* saltim in vulgato influxus Systemate difficulter abnegaveris (q). *Unicæ* igitur divinæ *voluntati*, & *potentiæ* relinquitur, ut possit *ista*, & an velit *illa* annihilare animam? *Sed* neque hujus rei suspicionem aut metum patitur philosophia verior.

§. 265. Sunt *alia* quoque, quibus *usum* commendare liceat expositi hucusque Systematis. Sic idem, qui antea, *Leibnitius* l. c. p. 461. Ces considerations quelques metaphysiques quel-

q) Est *Vir Eruditissimus*, qui influxum immortalitati adversum diserte pronuntiat: Non divinabimus argumenta rei, quoniam consulto premere illa constituit. Illud obiter monebo, si qui *adversus* nostram sententiam allegare *definitionem* animæ *Wolfianam* instituant, &, quoniam anima sit mundi pro situ corporis alicujus organici repræsentativa, inferre, nitantur, destructo hoc corpore nullam ejus repræsentationem fore: Impingere illos in methodum; *meminisse* enim debuerant, ex Philosophia Leibnitiana nunquam deesse spiritibus finitis corpora, quorum respectu limitentur Universi repræsentationes. *Quo* eam sententiam *fonte* derivet VIR Illustris, id breviter indicatum videas in Theodic. §. 124. Quod enim in Principiis Philosophiæ §. 79. itemque in Journ. des Sçav. 1695. p. 449. & 450. memorat, argumentum esse paucissimi admittent.

quelles paroiſſent, ont encore un merveilleux uſage *dans la Phyſique*, pour établir les Loix du mouvement, comme nos *Dynamiques* pourront faire connoitre. Intelligo iſta non de ipſa inter corpus atque animam harmonia: Sed de antecedentibus ejus, & principiis, quæ liberali manu præmiſerat citato loco Leibnitius. Illud inter *commoda ipſius ſententiæ* refero, quod v. g. intelligi noſtro Syſtemate poſſit, quid ſit illud barbaricum: *Eſſe animam in toto* corpore totam & totam impartibiliter in qualibet parte; quid ſit illud, *eſſe* in aliqua *principaliter* parte, aut ſede; & *quare capiti* eam prærogativam concedamus communiter. Sequuntur illa non difficulter, ubi *diſtinctam* ex experientia Tua notionem *præſentiæ* animi in corpore & mundo erueris, neque figmentis illam contaminaveris.

§. 266. Obiter illud moneo, *evitari* noſtra ſententia illos *Unionis* Animæ & Corporis *hiatus*, quos in utraque altera ſententia obvios ſpecialiter enumeravit R. P. *Lamius*, Vir doctiſſimus (r). Exiſtimat *ſpiritum* eſſe *unitum toti* cor-

r) v. Journ. des Sçavans 1694. 13. Sept. p. 701. 702. Ubi enumeratis ante ſpeciebus unionis inter animam & corpus, ita concluditur: Ainſi l'Eſprit eſt uni paſſivement à tout le corps; & le corps n'eſt pas uni paſſivement à tout l'Eſprit: Et au contraire le corps eſt uni activement à tout l'Eſprit; & l'Eſprit n'eſt pas uni activement à tout le corps. De là il paroit, que le *corps agit plus ſur l'Eſprit*, que l'Eſprit n'agit ſur le corps; puisque le corps agit de lui méme ſur tout l'Eſprit, & que l'Eſprit n'agit, que par une partie de lui même, ſur une partie du corps.

corpori *passive*; quacunque enim corporis parte affecta patitur spiritus: *Non toti active;* non enim agit suo imperio aut operatione in omnes corporis partes: Ex adverso, corpus esse *unitum toti* spiritui *active;* dum enim in spiritum agit, in totum agit: *Non toti passive*; Multæ enim sunt operationes spiritus, a quibus nihil patitur corpus nostrum. Fateor id incommodum videri; saltim *relationem* in hujusmodi Systematis *non tantam* esse, quantam in nostro deprehendimus, ubi omnia concordant omnibus; corporis quoque potestatem videri majorem esse in spiritus, quam viceversa. Verum de istis facile transegero, si expedita cetera forent; pro *curiositate* enim ista potius, quam pro *necessitate* allegavimus.

§. 267. Possent plura ejus generis Corollaria subjungi, si id animo constitutum esset. Sed *finiamus* aliquando; ne omnem simul sapientiam effundere velle videamur. *Patientiam, Erudite Lector*, Tuam, si ista omnia quietus expendisti, veneramur; *avaritiam*, si plura etiamnum desideres, non incusaturi; habituri *gratias* quoque, si quos forte errores negotio intercurrentes benevole expunxeris; aut rectiora hæsitantem docueris.

Iterum Vale!

DE ORIGINE ET PERMISSIONE MALI,

PRÆCIPUE MORALIS, COMMENTATIO PHILOSOPHICA.

Sectio *Prima* Cautelas dijudicandæ rei neceſſarias; *Secunda* Definitiones, fundamenta Syſtematis, & objectionum occupationes; *Tertia* expoſitionem Originis & Permiſſionis ipſam; *Quarta* uſus doctrinæ morales: *Epilogus* Univerſam in compendio tractationem exhibet.

OPERA

GEORGII BERNHARDI BÜLFFINGERI

Francofurti & Lipſiæ.

Apud THEODORUM MEZLERUM,

CIↃ IↃCCXXIV.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

PRincipio constitutum erat, *nihil* hoc loco *præfari*: Et enim *Prima* Sectio instar præfaminis; non minus *intentione* mea, quam *facto* rei. Postmodum è re visum est, admonere Lectorem *aliqua* in limine, non tam ipsi debita argumento, quam scriptori & circumstantiis. Pauca igitur & *brevissime* dicam.

Difficile negotium est, si quis in enarranda mali origine & per-

missione operam ponat suam: Igitur sollicite *limitibus* laborem suis circumscripsimus: non polliciti plura, quàm præstare liceat. *Promissum* prima exhibet sectio: putem, illud *explere* ceteras, præcipue tertiam. Neque igitur plura requisieris, quam suscepimus exhibere.

Argumenta dictorum ipsa *divinis* deducere *perfectionibus* studui. Puto, illa cohærere. Viderint Lectores tamen, *quo* id *jure* existimem? *Postulo* illud, *nisi* fallaciam in argumento detexerint meo, ut sententiam non rejiciant argumento illo deductam. Ita, *si* certum est, Deum in consilio suo universum spectare quoad omnes suas determinationes; *si* certum est, Deum ex consilio suo non eligere

im-

imperfectius præ meliori: *firmum* illud & *innoxium* esto, quod prioribus infertur, mundum præsentem divinitus electum, quoad omnes suas determinationes conjunctim spectatum, esse præ ceteris possibilibus optimum.

Videor mihi aut diserte solvisse aut occupasse *objectiones*, quæ nasci possunt ex consequentibus hujus & ceterarum forte assertionum. Si quam earum *non* attendi, (& quis existimet, omnia uni sibi obversari, in negotiis præsertim adeo compositis?) *æquitati* illud suæ Lectores dabunt, ut de conciliationibus ipsi circumspiciant, aut *veritati* tantum tribuent, ut neutram alteri contradicere reipsa arbitrentur. Eoque *si*

meam *legitimè* ſententiam ſuis derivavero fontibus, ut illam ceteris concordare veritatibus eo ipſo agnoſcant.

Sæpe illa animum conjectura ſubiit, aut ſuſpicio, *cauſam, quare* hoc *difficile* argumentum ſit, inter ceteras hanc eſſe, quod *à poſteriori* ſententias ſolum attendere Eruditi ſoleant, ubi plurima mutuo innexa negotium ſine dubio faceſſere debent. *Faciliorem* à priori viam puto: Igitur illam *hic* ingredior, & præcipuè commendo ſuper alteram. Num ſupponere non licet, innoxium eſſe, quod verum eſt? verum eſſe, quod evidentibus principiis legitimè deducitur? §. 9. & 40.

Tum

Tum verò & illud commendavero, ut, ſi qua durior argumenti concluſio videatur, *contradictoriam* quoque illius *poſitionem* ad divina examines attributa: Sic *verbi gratia* attendes, an divina dignum ſit bonitate & ſapientia, ut, ſi quæ rerum coordinatio poſſit melior exiſtere, illam tamen non procuret *omni* opera, etiam extraordinaria, & præcurrente voluntatem creaturæ, cum neceſſe fuerit? An ille *ſerio* omnia velit bona, qui cum poſſet plura facere, non facit tamen? ſub cujus cura imperfectius *undecunque* redditur opus in toto ſpectatum, quam id fieri aut procurari poſſet?

Nimirum illud *ambo* tuebimur, quod judicabimus Deo digniſſi-

mum. *Hanc* ſummam inveſtigationis Legem ſtatuemus: *Huic* intenti erimus. *Quicquid* illi *concordat*, ſanctum eſto: *Si quid* reipſa *contrarium* intercurrat, indictum habetur.

Potui non pauca firmare *Auctoritatibus diverſi* generis. Abſtinui illis, & parciſſime teſtimonia adhibui. Nolim *ego* teſtimoniis urgeri; argumentis perſuaderi philoſophicum eſt. Similiter de *ceteris* judico. Igitur *admonui*, ſi quando verba recitavero Auctorum, non me argumentis fidem ex teſtimonio, ſed Auctorum dictis ex argumento aſſenſum quærere. §. 267.

Cetera nihil intercedo, ſi *viam* argumento teſtimonium paret:

ret: momentum causæ vero nolim illi superstruere. Atque hinc est, quod prolixas *de* Virorum *mente* controversias ingredi aut admittere non collubeat. *Si quem* intellexi *aliter*, quam debueram, nullibi erratur facilius, quam hac parte: igitur nullibi facilius impetrari venia debet. *Pertinet* excusatio tamen *ad eos* casus, quibus *approbatur* Viri sententia; *non*, quibus *refellitur*.

Sed vero & inde est, quod ad *cetera* Virorum dicta sive admittenda, sive propugnanda nolim teneri. *Quam illa incompleta* est & contra Logicam *inductio?* Approbavit *Titius* unam, duas, tres & si placet decem, aut centum *Sempronii* sententias; igitur *o-*

mnes probat *positiones* ejus, probat vel ipsas enunciandi *formulas*, probat *argumenta* sententiarum, probat *momenta* sententiis adjudicata, probat *responsiones* omnes, probat *accessoria*. Utinam aliquando liceret, non esse sectarium!

Veneremur Antecessores Magnos Viros: eosdemque sequamur, sed *oculati* tamen, non *auriti* solum. Metiamur vero unumquemque *ex seipso*, non ex Malebranchio Leibnitium, & vice versa. Num alter alteri *juravit*, si aliquando propius accessit? Si interpretatus est? Si approbavit sententiam ejus aliquam?

Videbunt Lectores, meam *in illo* operam fuisse positam, *ut* Syste-

ſtema recentius oppoſitum Bælio *explanem*, *receptis* communiter theſibus *accommodem*, iisdem ipſis *deducam*, & locutiones aut ſententias duriores aliquando viſas, interpretatione congrua *emolliam*, omnia autem *divinis* à priori perfectionibus *connectam*.

Accidit *alicubi* vero, ut, dum ego *uni* alicui incommodo cavendo univerſam attentionem applicui, non animadverſa phraſeos ambiguitate inciderim in *aliud*. Locus eſt §. 95. Ibi oſtendendum fuerat, non obſtante, quod in optimo individualiter mundo malum ſit in partibus, non tamen ipſum illud malum efficere perfectionem: Lo-

cu-

cutionem adeo, quod malum *in partibus* obvium *pertineat* ad perfectionem *totius*, id ſolum innuere, quod in optimo individuo impediri ſapienter non potuerit. Dixi igitur illud *inevitabile*. *Poſſet* hoc, ſi ad hominem aut creaturam referatur, *neceſſitatem* innuere. Id cavendum eſt. Puto *ultima* ejus periodi verba, ubi *indeclinabile* dicitur *artifici*, poſſe mentem declarare meam. *Malui* tamen, ubi incommodum vocabuli ſolitarie poſiti intellexeram, *diſertam* ejus rei *explicationem* operi interſerere. Illam §. 273. Lectores invenerint, opinor, ſufficientem.

Simile priori *alterum* adjungo, quod obſervavi poſtmodum.

Vox

Vox est §. 97. pag. 53. lin. 2. à fine, quæ *eodem* pertinere videri posset: neque pertinet tamen. Nanciscitur illa sensum suum ex §. 83. seqq. 295. 371. 372. Nimirum *hoc dicere* animus erat, malum inter creaturas non omnino omne evitari posse. Id facile §. 245. deduxeris: & modo allegatis locis illatum conspexeris.

Potest accidisse, ut *plura* ejusmodi *invito* exciderint, sua fortassis ambiguitate animum rebus intentum deludentia. Quis enim aut nescit, aut negat, omnia hucusque vocabula fuisse pluribus obnoxia significatibus? Spero tamen, *paucissima* ejusmodi dicta deprehensum iri, atque illa ipsa ex ceteris determinatio-

nem

nem nancisci suam. Facio *ego* hanc *omnibus* gratiam, ut, *si fieri possit*, verba eorum fortassis ambigua intelligam ex ceteris eorundem sententiis: Igitur *idem* quoque postulo; sin id gravius dictum videbitur, *expecto* saltim ab aliis.

Si plura animo succurrerent: *admonerem* illa *diserte*. Quandoquidem de novo *omnia* pensitare *vocabula* non licet, aliis occupato negotiis: *generale* hoc remedium placuit Parhermeniis opponere.

De *Partibus* instituti *singulis* nihil attinet iterum exponere: nisi quod *externa* quædam admonere placeat.

Se-

Sectionem *secundam* feci, ceteris *prolixiorem*: duplici causa. In *principiis* malo operosior esse quam in conclusionibus liberalior. Puto etiam, ubi principia distincte evolveris, facilius consequi conclusiones, quam ut illis quoque diutius immorari necessum sit. Tum vero illud Ill. *Verulamii*, sed alia occasione, dictum subinde aures vellicat: „*Hominum ingeniis non plumas aut „ alas, sed plumbum & pondera „ addimus.* „ Festinare in conclusionibus faciendis plerique ipsi solent: igitur in ea parte *freno* opus est. Non id ille adhibet, qui nimium ipse infert. *Si quis* plura ex antecedentibus legitime deduxerit, non impedio. *Qualiacunque* autem illa sint, si *mea*

pu-

putes, *de consequentia* & *mihi* integrum esto statuere, qualem eam in meo examine deprehenderim.

Alteram prolixitatis causam hanc habe, quod *occupare* objectiones, aut publice dudum factas, aut animo meo undecunque obversantes, ea sectione constitui. Nosti, *quam* diversa varii possint & soleant postulare, si negotiis ejusmodi compositis. *Alter* negat, Deum potuisse malum impedire, etiam adhibito in eam rem miraculo: *alter* ait id fieri salva etiam libertate potuisse: *tertius* potuisse, sed non sine dispendio libertatis. *Alter* ad libertatem præcipuè attendit: *alter* ad bonitatem: *tertius* ad sa-

ſapientiam. *Alter* hanc, *alter* iſtam de neceſſitate, poſſibilitate, determinatione, voluntate &c. ſententiam ampleƈtitur. Et quæ ſunt infinita hujusmodi: quibus ſi occurrere *omnibus applicate* conſtitueres, nunquam finires; ſi *præcipuis* ſolum, abſolves operam, ſed non breviſſime.

Initio Seƈtionis ſecundæ incepi *verba* exhibere *Diſſertationi* Leibnitio *adhuc* ſuperſtite, à Viro *tum* Juvene doƈtiſſimo oppoſitæ, & Jlluſtri Viro ad reſpondendum commendatæ ab illius Præſide Magno itidem Viro, & ex quam plurimis lu-

ſtris celebratiſſimo. Talia deprehendas §. 54. & ſeqq. Sed vero illud inſtitutum placuit *interrumpere* diverſis è cauſis: quas obtinere *omnes* non licet, ubi ſingulatim eas enumeravero; Licebit *forte*, ſi nihil præter jam dicta addidero.

Excuſavi, ni fallor, ſecunda Sectionis magnitudinem, atqu universi libri *prolixitatem*: Se *emendavi* illam quoque. Nam que in *Epilogo* ſummam rei col lectam licebit deprehendere. Qu *breviter* abſolvere lectionem ge ſtiunt, illi meo conſilio *Epilo gum* evolvant: Namque *talen*

il

ım feci, ut poſſit *inſtar* eſſe
'*ſſertatiuncula*,& præcipuè *or*-
ıem dictorum exhibeat lucu-
tius. *Si qua* deinceps parte
rent, antecedentem illius diſ-
ſionem, niſi grave eſt, ade-
: *ſi minus*, facient, uti pla-
, alterutrum, & vel conjun-
ıt cetera, vel tranſilient.

Ꝺuænam *mea* in hoc labore
tes fuerint, quæ *ſupplementa*
eſſerint antiquis, & quæ ſunt
era ejus generis : De illo
ıditi ſtatuent, & rerum intel-
:ntes. Nihil amici *gratia* de-
int : Nihil adverſarii *invi*-

Errores operi aliquos, abſente præſertim Auctore excuſo, obrepſiſſe nemo indignabitur. Quæ *in Grammaticam* aliquoties typothetæ peccaverint, admonere nihil attinet. Si quæ *ſenſum* aut turbare aut impedire poſſe errata exiſtimem, illa é transmiſſis plagulis collecta indicabo; Præcipua *italicis* literis deſignaturus. *Tale* ex omnibus illud eſt, primo loco corrigendum, quando p. 247. §. 291. lin. 10. *ex DEO fonte remoto* impreſſum eſt, vice ejus, quod ego ſcripſeram, *ex illo fonte remoto*. Quæ reliqua ſunt, ſuo loco.

Ceterum ſolvo hic nomen in

Præfatione Commentationis *de Harmonia* Animi & corporis humani, maxime *Præstabilita*, ex mente Ill. Leibnitii, Hypotheticæ obstrictum publico ante hoc semestre: *Alterum* igitur hic *specimen* habes explicandæ Recentiori Doctissimorum quorundam Philosophiæ destinatum. *Primum* meum *non omnibus* ingratum fuisse laborem, intellexi *exterorum* testimoniis, privatis & publicis: Si *similiter* de præsenti opella Eruditi existimaverint, operæ aliquod pretium me fecisse judicabo.

Si quibus aliqua *redarguere* placuerit: Sciant, id *mea pace*

fieri. Memini ego *jurium*, quæ Lectoribus: meminerint illi *officiorum*, quæ competunt ſcriptoribus.

Ita *vale* & *res tuas* age *feliciter*. Ages vero, ubi ad Sectionem *quartam* exiges. Illam *utrique* nobis *commendatam* habebimus. Iterum *vale*!

Dabam M. Sept. 1723.

DE ORIGINE ET PERMISSIONE MALI

COMMENTATIONIS PHILOSOPHICÆ SECTIO PRIMA *CRITICA*,

Cautelas quasdam & diſtinctiones, *formando* de rebus *judicio* neceſſarias, complexa.

§. I.

TRagicum eſt, commentari *de malo*, quod humanum proh *pudor* genus inquinat, & proh *dolor* affligit. *Philoſophorum* tamen id negotium *eſt*, ut rerum *omnium Origines*, naturamque & rationes inquirant; &, quantum fieri poteſt, in eas ſeſe penetrent, aut penetrare allaborent. Igitur & *mali* Originem indagare, & permiſſionis divinæ rationes veſtigare, ex eorum officio erit.

§. 2. Nolim, id *arrogans* factum putes, aut divinæ *eminentiæ adversum*. *Primum* limites vetant, quibus id institutum *solertes Viri* circumscribunt, quos neque altiora humanis, neque suis majora viribus polliceri unquam videris.

§. 3. *Alterum*, nisi fallor, obvia, & facili attendentibus, *ambiguitate* nititur. Facessat, quicunque DEUM ausit rationes poscere facti sui, *quo sensu* id vulgo dicimus, cum dubias hominum rationes examinamus. Sed, *qui nihil aliud* agat, quam ut justissimas divinarum actionum caussas ipse etiam intelligat, quantum potest, & veneretur cognitas, atque imitetur; ut explicet non attendentibus, & vindicet adversus affectuum contumelias: is instituto suo abest a vitio, neque divinorum consiliorum temerarius scrutator argui potest.

§. 4. Illos initio expellimus e philosophorum circo, qui *luctuosam* rem obiter, aut *ludicre*, & quasi alienam agunt, quæ proxime omnes tangit, atque utinam non intime pervaderet! Non est hoc explicandis ingenii *luxuriationibus* argumentum conveniens: Sed neque exercendis Eruditorum *simultatibus* accommodum.

§. 5. Loquamur, *ut* illos *decet*, quos male habet, malis sibi mala arcessere, provocare erroribus & peccatis miseriam & pœnas, & nonnisi difficulter inter plurima, queis cingimur, mala eluctari, adjutos etiam divinitus.

§.6.

§. 6. Neque tamen ita *ad vocem* cohorrescamus, quasi contagium ex ideis tractum, ut non sufficiat mentis attentio ad momenta rerum solicite & secundum regulas expendenda. Vereor enim, ut excitati ea re *affectus*, quos utinam *frequentiores* hominum animi paterentur, ubi *ad agendum* sese accingunt, distinctae rerum cognitioni haud parum officiant; in negotio maxime difficultatibus circumsepto undique, & in quo longis aliquando ratiocinationum seriebus uti necessum est.

§. 7. Dum enim *Philosophicam* polliceor orationem, ex ipsa rerum inter sese collatarum Natura eruendum erit, quicquid hic asserere continget, *Rationem* operi ducem selegi, qualem divino beneficio homines possident: Facultatem illam *interpretor* hominum, qua rerum inter sese connexiones indagare & perspicere apti sunt.

§. 8. *Nihil* eo facto *adversus illos* molior, qui sese intra divinarum Litterarum Sacra securi recipiunt; maxime si divina illis eloquia exponere, & auditorum animis ingerere commendatum fuerit. Utinam omnes id exemplum sequerentur, & a malesanis in DEUM argutationibus sibi temperarent! *Neque repugno* quicquam, si quis alius meliora, breviora, faciliora, fortiora, vel & specialiora e sacris paginis argumenta nostris sive adjungat, sive substituat.

§. 9. Illud *unum* arbitror, quin *postulo*, universaliter admitti, *si qua* ex primis rectæ rationis principiis deducta sint, amice illa cum sacris conspirare paginis: *Neque* quemquam suspicari, quod *aut* veritates mutuo pugnent, *aut* vera non sint, quæ legitime ex principiis derivata esse distincte cognoscas.

§. 10. Ut feliciori Tibi esse liceat in judicandis rerum momentis, *nonnulla* velim accurate *distinguas*, etsi non semper omnibus discreta exactissime. Difficilis est rerum cognitio, ubicunque plures mutuo considerationes miscentur: Obviam incommodo eas, cum solicite separatas seorsim singulas attenderis. Id *nisi feceris, aliquando* partem instituti seu præcipuam, seu nobilem tamen, silentio involves; *aliquando* difficultates, ad alteram pertinentes, ex altera incassum solvere contendes; *aliquando* plura, quam tenebaris, ex Te quæri, atque etiam postulari concedes; & quæ sunt similia.

§. 11. Ita distingui velim *de Origine* Mali quæstionem unam, & alteram *de Permissione* ejus divina. Potest Originem designare, qui de permissionis ratione altum sileat: De permissione multi loquuntur, qui originem specialiter non exponunt. *Mea* tamen *sententia*, difficulter permissionem expedies, non attenta mali origine. Cum videris, quo illud modo atque ordine e caussis suis emergat, facilius judicium erit, an permittere id DEUS possit?

§. 12.

§. 12. Nimirum, *si qua* DEI circa malum *operositas*, si qua ejus *approbatio*, aut congener illi voluntatis *decretum*, ortui involveretur malorum: Nulla unquam ratio inveniri posset, quare malum DEUS permitteret, vel (immutata per suppositionem præsentem quæstione) promoveret, aut produceret? *Ex adverso*, si ostenderis, nullam DEI operam, nullam sanctissimæ voluntatis approbationem requiri ad Originem mali: Tum vero vestigare licet, an permittere illud purissimus Natura DEUS *possit*? &, si permittat optimus, *quare velit*?

§. 13, Namque & *hæc differunt* non parvo discrimine, etsi parum considerato communiter. *Alterum* eo pertinet, ut intelligas, an id sanctitati divinæ aut bonitati adversum sit, si, creaturam labi suo arbitrio, conditor admittat, non impeditam summa atque irrefragabili potentia? Atque *eo* respiciunt *plerique omnes*, qui divini Numinis caussam adversus profanorum hominum cavillationes tueri hactenus instituerunt: Non malo sane *consilio*, sed ad explicandam permissionis rationem *non plane sufficienti*.

§. 14. *Ut* enim *possit* DEUS salva perfectionum suarum puritate malum permittere: nondum intelligo, *an velit*? minus etiam, *cur velit*? Atque ut primum legitime ostenderis: Quam secundæ quæstioni responsionem præparasti? Potest, ita concedis, plurima velle, facere & permittere, salva sanctitate & boni-

tate DEUS, quæ non omnia vel facere illum vel permittere concedes. *Quid* igitur eſt, quo *alteram præ altera* actionem aut permiſſionem optimo maximo Numini perſuadet?

§. 15. *Subtilitatem* arguis diſtinctionum negotio moleſtarum: Ego *neceſſitatem* tueor, & inſtitutum certiſſime Lectoribus approbo. Meminerint ſolum, eſſe inter Eruditos, qui univerſum abſolviſſe negotium ſibi videantur, cum primæ ſolum quæſtioni reſponderint, & de ſecunda anxios deſtituerint: Etſi *utramque* illi miſcuerint, qui periculoſiſſima argumenta profanorum, noſtris quidem temporibus, expoſuerunt.

§. 16. Ingere argutantibus divinam ſupra res omnes *Eminentiam*; urge *Dominium*; *Libertatem* extolle; *Bonitatem* libera obligationibus creaturæ debitis; *Sanctitatem* a concurſu vitioſo perpurga: Si *omnia* obtinueris ab adverſario: fatebitur intelligi, quod permittendo nihil adverſus ſanctitatem DEus committat. *Sed vero adjunget* moroſior, nondum liquere tamen, an impedire certa potentia *inconveniens* DEO? An *æque conveniens* ac permittere? an forte etiam *convenientius* fuiſſet? *Utroque poſteriori* caſu turbabitur animo, *dum* oſtenderis, quo argumento, & quam DEI ſimul atque rerum omnium perfectione digno, permiſſionem ordinatam abſolutæ impeditioni antetulerit.

§. 17. Nondum ingredior tractationem ipſam: Admoneo tamen, ſi *ſupplementum* illud

in

in nostro deprehendi Systemate contingat, id lucri esse, & prærogativæ loco haberi posse. Quo enim *plura* complecti vel attingere nostra expositione contingat, eo illam præstantiorem arbitramur: *Omnia* persequi hominibus non licet, etiam scientissimis.

§. 18. Itaque & hoc solicite *discerni suaserim*, maxime in ferendis de aliorum labore judiciis: Num quis *Originem* explicare susceperit? & *generice* id solum? an *specifice* etiam, & determinate? An *objectionibus* respondere hominum adversus DEI providentiam morosorum? An *quæstionibus* quibuscunque, illi cohærentibus? An *permissionis* divinæ *justitiam* vindicare solum? An *rationes* ejus allegare? easdemque vel *generales* solum? Vel *specificas*, atque ad particularia phænomena applicatas? An *a posteriori* rem deducere? An *a priori* inferre? *Cui fini singula* destinet argumenta? An *immediate* alicui quæstioni responsionem applicet? An *mediantibus aliis*, eidem illi subordinatis? An *principalis* illa, & Systematis sive *pars* sive *fulcrum* sit? An *intercurrens* duntaxat? An *omni sensu* adhibita? An *limitato*? Et quæ sunt *plura* ejus generis.

§. 19. Videor mihi observasse non semel, quod, *neglectis* illis distinctionibus, qui *ex uno* pedem laqueo extricaverit, *in alterum* incautus reciderit; in aliorum vero sententiis dijudicandis haud pauci aberraverint. *Accidit* profecto, ut solertes Viri multa alios monuerint, in

in quibus illi nihil peccaverant: Sed vero responsionem aliis subordinatam, aut accessoriam, illi principalem interpretati sunt, &, quæstioni immediate applicatam, insufficientem esse deprehenderunt.

§. 20. Ita *certum est*, utcunque *mala*, sive Physica sive Moralia, *lenire* velis, & numerum eorum minuere *interpretamentis* Tuis: Non eapropter statim excusari renitentibus bonitatem Conditoris & sanctitatem. *Neque* sufficit *allegari bona*, quæ probabile vel certum sit, *aliis* loco aut tempore obtinere in Universo: Oportet semper & ubique bonum esse Numen atque sanctum. Sed vero *primum* applica intermistis negotio querimoniis eorum, quibus nulla DEI gubernatio satis commoda est; *alterum* illis oppone, qui vel sui tantum, vel præsentis ævi rationem habent; & *adjunge*, totum complecti, atque partibus anteferre, curam Numinis: *Erit*, *ubi* commode utrumque, nec sine fructu adhibueris.

§. 21. Non enumerabo multa hujusmodi: Nisi quatenus ad nostram illa commentationem pertinent. *Præparamus* enim, salvo intelligentiorum honore & judicio, *Lectorum animos*: *Ut*, quibus *nostra* Cautelis legere & judicare expediat, in promtu habeant; non tamen intercessuri, si *ad alia* quoque negotia illas transferre appositum existimaverint.

§. 22. *Originem* quidem mali *ex principiis suis* indagamus *a priori*, sed *generaliter* solum, *Specia-*

cialia ne ab illis postules, qui ne præsentem quidem Universi statum in minima sui parte satis intelligunt; minus primam rerum omnium constitutionem determinate cognoscunt, &, quæ ex eadem consectaria profluxerint, assequi specifice possunt. *Ineptus* sit, qui determinatam Originis expositionem promittat; *injustus*, qui requirat: *Hæremus* sane, & per omnem vitam hærebimus *in generalibus*; *quo* tamen illa *minus generalia* fieri, quo determinari plura poterunt, eo Inventorum merita majoris erunt intelligentibus.

§. 23. Vides, ut *illorum censuram* declinemus, *qui* Philosophos negant explicare Originem mali posse, quod *primum creationis* statum, sacris demum Litteris designatum, nesciunt naturaliter? Habent *Theologi* sane, quæ per rationem nemo assequatur; cum *de homine* sermo est: *Nostrum* est, *de prima* quoque mali Origine disquirere, quam sanctior Spiritus diserte non explicuit. Tum vero *fatemur* faciles, specialem, aut plane individualem, primi status cognitionem transscendere intellectum Philosophi: Neque id promisimus. Num illa instituto sufficiant, quæ generalia novimus? Judicium esto illorum, qui commentationem præsentem sua attentione dignati fuerint.

§. 24. Neque animus est, *excusare* solum divinam circa mala providentiam, sed *motivum quoque* permissionis, combinatis *experien-*

tiæ ratiociniis, *generaliter* eruere conabimur; argumentum daturi, *quare*, noſtra ſententia, DEUS malum permittere cum *potuerit*, tum *voluerit*? Non perfecimus inſtitutum, niſi ex noſtra expoſitione diſpaleſcat, *convenientius* id DEO atque Univerſitati rerum fuiſſe, ut ordinate permitteret, quam impediret abſolute? Memineris autem denuo, generalem ejus convenientiæ demonſtrationem promitti, non applicationem ſpecialiter determinatam.

§. 25. Atque id ipſum *combinatis experientiæ ratiociniis*, ut monui. Nimirum *a priori* vim conſequentiæ firmabimus, illam in tuto theſin collocaturi, optimum eſſe inter plura poſſibilia, quicquid divinæ voluntatis electione ceteris anteponitur; mundumque, ſiquis exiſtat, ex poſſibilibus pluribus electum eſſe & productum divinitus: Tum vero Univerſitatem, malo mixtam, *experientiæ teſtimonio* conſiderabimus, ut exiſtentem; Eidemque demonſtrata applicabimus. Ita conjunctis experientiæ ratiociniis inſtitutum abſoluturi: non vero *hianti*, ut quibusdam videtur, *conſequentia*, ab exiſtentia *ſola* & *immediate* tracturi vim omnem.

§. 26. *Non ſufficit* argumento: Mundus exiſtit malo mixtus; Ergo mundus malo mixtus eſt optimus. *Sufficit autem*, ſi dixeris, & obtinueris: Quicquid divinæ voluntatis decreto e poſſibilibus pluribus electum, id inter ſui generis cetera eſt optimum; Mundus præſens,

etſi

etsi malo mixtus, est divina optione inter plures possibiles selectus, & potentia productus: Ergo, nihil obstante macula illa peccati, est inter ceteros possibiles optimus. De *reipsa* nondum disputo: Rego illorum tantum judicia, qui nos *unice* a posteriori disputare arbitrantur. *Accurate* enim *loquendo*, vis concludendi est a priori: Applicata solum ad rem existentem.

§. 27. *Mea* quidem *sententia*, qui *a posteriori* ostendere divinæ permissionis rationem niteretur, ex factis experientia cognitis, ex universo Naturæ cursu, & œconomia Gratiæ, ex historia rerum in Universo omnium diducere teneretur, minorem in mundo perfectionem fore, si quam ejus partem aliter DEUS ordinasset, aut, in nostro casu, si malum absoluta potentiæ efficacia præpedivisset. Sed vero id *onus intolerabile* nemo subeat intelligens: Brevius negotium est, & humanæ cognitioni propius, quale modo indicavimus, atque deinceps persequi constituimus.

§. 28. Distinguo *objectiones* tamen *a posteriori* factas, *a quæstionibus* quibuscunque materiæ illi connexis: Atque eo facto secerno *me a P. Belio*. *Ille* enim, ubi diserte admiserat, Bonitatem & sanctitatem DEI, argumentis ex ejus natura ductis facile adstrui: *Negavit*, adversa perfectionibus illis argumenta a phænomenis deducta, sive sumtas a posteriori objectiones solvi posse; saltim a se & sui similibus. Am-

biguum enim eſt, utrum altius hæſerit, cum abſolute loquitur, aut, ubi mitigata locutione ſuam tantum tarditatem advocat, & ſibi inſolubiles appellat.

§. 29. Amplus hic dicendi campus aperiri poſſet, digreſſionem ab inſtituto facturis: Sed arctabimus orationem, & nonniſi neceſſaria percurremus breviter. *Mihi facilius* videtur, *objectionem ſolvere*, quam in Syſtemate rem ipſam exponere: ſiquidem ad ſolvendas oppoſitiones *ſufficit* mihi, propoſitiones non ex ſeſe evidentes, aut nondum e talibus demonſtratas, negare; id quod attendentibus, atque ad evidentiam propoſitionum ac demonſtrationum dignoſcendam aſſuefactis ingeniis non ſolet eſſe arduum. Loquor autem, ita vides, *in rigore Logico*; cetera enim ſcio, nos ſæpe liberaliores eſſe, &, dum ſolvere objectionem dicimur, univerſam rem illuſtrare, aut conari ſaltim.

§. 30. *Neque* igitur ab illis ipſa re *diſſentio*, qui alio interdum ſenſu *objectiones dari*, atque in præſenti negotio involvi, *inſolubiles* affirmant: *Neque Leibnitium deſero*, qui inſolubiles negat adverſus veritatem objectiones dari, cum inſolubile argumentum a demonſtratione nihil differat; namque & mihi inſolubile eſt mihi demonſtrativum. Nimirum *ſtrictior* ex *hac* parte ſenſus obtinet, *liberalior* ex *illa* conceditur. Qui ſalvam Objectionem conſiſtere putant, donec Reſpondens omnia, quæ

in

in argumento utcunque involuta fuerant, ad liquidum deduxerit: illos æquum est imbecillitatem fateri in argumentis nostro similibus; neque enim omnibus curiosorum hominum quæstionibus, quas facile argumentis innectant suis, satis fieri a quoquam potest. *Aliter illi* pronuntient oportet, quibus sufficit negare propositionem, quam falsam putant; ubi falsitatem suspicantur, petere & examinare succenturiatum probans argumentum: Et, qui solutam objectionem asserunt, si probationes continuari ad prima usque principia non possint.

§. 31. Quodsi igitur *objectionibus* adversus Providentiam *specialibus* resolvendis ex professo & diserte *operam non applico*: informem libelli prolixitatem vito; ratus, eum, qui thetica satis distincte cognoverit, laborem illum necquicquam insuperabilem experiri; præstitumque etiam haud raro ab illis, quorum de cetero Systemata non in omnibus approbavero. *Evitabo* etiam hac methodo *accessoria* non pauca, quæ, ut aliquando lucem negotio fœnerentur, aliquando difficultates parum necessarias inferunt.

§. 32. *Aut* igitur *abstinebimus* manum ab iis, quæ nonnisi mediate ad rem nostram faciunt, & remote, *aut admonebimus* de scopo, ordine & momento dictorum; daturi operam quoque, ut quantum fieri potest, *minimum* sententiarum Leibnitio *particularium* ingred

tur Syſtema noſtrum, aliis docendi generibus tanto facilius ſociandum.

§. 33. Fatemur enim de reliquo, *doctrinam*, quam hic noſtram facimus, inter Recentiores *ordine* primum *a Leibnitio* diſpoſitam, atque in notiſſimo Theodicææ tentamine publicatam eſſe, & variis hominum in diverſa euntium judiciis exceptam. Nuperrime illam *integro Syſtemati* Metaphyſico ita *Chriſtianus Wolfius* intexuit, ut eidem innata videri non immerito poſſit. Fuerunt tamen & *Scholaſticis* quampluribus cognitæ veritates, ſed disjectæ, neque illi præcipue inſtituto expreſſius accommodatæ.

§. 34. De *Thoma Campanella,* ambiguæ inter Eruditos fidei, ſed exploratæ eruditionis Viro, admonuit non ita pridem Vir harum rerum callentiſſimus, dediſſe & illum ſimilia Leibnitianis, & haberi multa pro ſingularibus & noviter a Leibnitio detectis, quæ ex antiquis ille mutuatus fuerit. Et obſervo ſane, Campanellam in *Atheiſmo triumphato*, quem, *Romanis* Inquiſitorum, & *Pariſinis* Sorbonicorum cenſuris approbatum, *LUDOVICO XIII.* Chriſtianiſſimo Regi inſcripſerat, principalia ſententiæ capita recenſere in appendice cap. XI. *Plenam* eorum expoſitionem, quam in Metaphyſica ſua datam fuiſſe indicat, non vidi.

§. 35. Utcunque ſit de Auctoribus doctrinæ, quos hoc loco inveſtigare nihil attinet, in alio tamen ſtudio verſantibus convenit: Ego

ne-

neque Auctoritatem & scientiam *urgeo Virorum*, etsi ob ingentia in Mathesin atque Philosophiam merita æstimatissimorum; *neque illis imputari* aut vitio verti *volo*, siquid ego minus dextre exposuero, aut ab eorundem mente abiero; *Neque invidiam*, si qua premuntur, *subire; neque de aliis teneri* dogmatis, quam iis unice, quæ ipse edissero, aut necessario illa antecedunt vel consequuntur.

§. 36. *Minime* vero id *feram*, ut, *si quis* forte Philosophus in speciem, aut ex parte *similia* dixerit, ceteras ejus sententias, absurditates, impietates, aut errores qualescunque meis quoque doctrinis obtrudas. *Ingens* ego rei litterariæ *incommodum* hoc interpretor, quod Auctorum mentem sæpe numero non tam ex ipsorum dictis, & propositionum cohærentia, & Systematis, si quod est, nexu, quam *ex qualicunque* cum aliis Auctoribus, aut eorundem vocabulis, *similitudine* æstimare non pauci soleant; eoque voluntatem Titii non ex testamento ejus, sed Sempronii vicini narratiunculis aucupentur. De cujus rei *caussis*, & *effectibus*, & *prætextibus* graviter multa dici possent, & publico utilia, si locus hic concederet.

§. 37. Et quoniam id veritati vehementer indifferens est, quid olim Eruditi judicaverint, aut hodie existiment: Itaque *neo* ego *meam* cum *aliis sententiam contendere* instituo; Est enim & illud odiosum struendi genus, si nonnisi ruinis aliorum Tua inædifices. Uti-

nam eruditi *minus operæ in* conquirendis a
rum *erroribus* & diſſenſionibus, in eruen
explicandaque & demonſtranda veritate
ſtudii & curæ ponerent! Ingemiſcimus
mole monſtrorum, & cumulamus tamen q
tidie, aut *provocamus* ſaltim, *perpetuis* veter
erratorum *recenſionibus*, quibus veritatem,
raro ex illis ipſis hinc inde ex parte emicant
ſuffocamus; operam ſaltim, illi adſtrue
debitam, ita inſumimus, ut eidem afferer
ſæpe numero neque locus, neque temp
neque attentio ſufficiat.

§. 38. Oporteret etiam otioſos eſſe, qui
merare aggrederentur *omnes* humani *ingeni*
hac re explicanda aut obſcuranda *luxuri*
nes; quandoquidem homines laudem ex
ſtruſo & inſolito quærentes, nihil non ag
ut nova publico Syſtemata exponant.
cognita vel tyronibus dicti veritas eſſet,
garem nuperos *Gallici Scriptoris* conatus,
novum de Origine mali *Syſtema* edidit, fu
tum *in conſideratione* myſterii ſacro-ſanctæ
nitatis, ex Lipſienſi in Actis Eruditorum
Dec.1721. facta expoſitione cognitum.

§. 39. Atqui illa omnia, quæ ad alios
tinent, exulare jubemus e labore noſtro.
erit igitur hæc diſſertatio *Hiſtorica*; ſed
Eriſtica: Erit *Philoſophica*.

§. 40. *Lectores* itaque *Philosophos* optat, *hoc est*, eos, qui *attente*, non *obiter* legant; qui *ordine* & in Systemate, non vellicatim, aut saltuatim & *ex indice*; qui ad *sensum* attendant, non *verba* captent; qui *notiones* vocibus ante *explicatas* constanter attribuant, non *suas* aut *alienas* substituant; qui *determinatos* conceptus sectentur, non *vagis* acquiescant; qui *claritatem* & distinctionem *ex ideis* judicent, non metiantur affectuum & *sensationum* norma; qui examinent omnia, & *probent bona*, non *obruant* ruinis illorum, si quæ minus recte dici contingat, aut videatur; qui argumenta *ponderent* magis, quam *numerent*; qui difficultates ex earum *momento* æstiment, non ex consuetudine & *contemtu* recepto; qui consequentias *demonstrent*, non *suspicentur* solum; qui propositiones *semel demonstratas non* ideo *vellicent*, quod initio non pervideant statim, quomodo ceteris illæ veritatibus aliunde cognitis cohæreant, sed eam *consonantiam* secundum regulas *inquirant*, certi, veritatem alteram alteri non contradicere; qui non ideo *contemnant exposita*, quod *supersint* plura, quæ scire desiderent, nondum deducta ad liquidum; qui ceteros *æquo secum jure* frui, & *suorum* verborum atque scopi *interpretem* unumquemque ipsum fieri, patiantur; qui denique tantum *in affectus*, quacunque specie blandientes, *imperium* habeant, ut sequi præcepta possint Ehrenfridi Waltheri de Tschirnhausen, & J. P. de Crousaz.

§. 41. Accipe verba Crosæ de Tschirnhu
„ Un Illustre Philosophe de nos Jours
„ consister la Grandeur d'ame, & la verit
generosité *à aimer asśés la verité*, pour la te
avec la même plaisir, *de la main d'un au*
que de le sienne propre, & il regarde
équité comme le caractere le plus sûr de la
„ gesse, & *le fruit* le plus beau & le plus é
„ mable *de la Philosophie* „. v. J. P. de Crou
Systeme des Reflexions P. I. Sect. I. ch.
§. x. Tom. I. p. 393. edit. noviss.

§. 42. Duras vero, & *coacervatas Leges* c
reris: *Non* sunt *omnes* tamen, sed *neque a n*
inventæ, neque *imperatæ* legentibus. *Co*
hanc caussam habe: Accidit ipso, quo men
ad hæc meletemata applicui, tempore, ut *v*
Malebranchii ab ingeniosissimo eloquentissi
que *Fontenellio*, Regiæ Scientiarum Acade
Parisinæ Secretario, scriptam pervolver
Portento simile visum est, *Ant. Arnaldum* in
posita DEI appellatione jurata testari fid
suam, & voluntatem in intelligenda adve
rii sententia sinceram, & dolo in univers
omni vacuam; & obtinere *Nic. Malebranch*
tamen, esse loca manifeste mutilata, ser
studiose detortos, artificiis quidem adeo
tentibus, ut involuntaria videri non pos
Illud *supra fidem* fuit, quod *Malebranc*
integro de Præventione libello intulit, non
illos *Arnaldi* jurantis fœtus, qui ejusdem non

insigniti circumferantur. *Fontenellius* aliam conciliationis rationem initurus, *eleganter* more suo: " Tout aû plus Mr. Arnaud n'auroit écrit, que comme cause génerale, déterminée par des causes occasionelles défectueuses & imparfaites, c'est à dire par les Extraits de quelque Copiste ".

§. 43. Venit in mentem, *plures* ejus rei *caussas* excogitari posse, *in illis* præcipue sententiis dijudicandis, de quibus dici similia possint, quæ de *Nic. Malebranchio* idem *Fontenellius* asseruit: " Ses idées Metaphysiques sont des especes des *points indivisibles*; si on ne les attrape pas tout à fait juste, on les manque tout à fait ". Neque diffiteor, *Leibnitianas* alicubi sententias videri *ejusmodi*. Igitur ambiguitatum atque aberrationum fontes aliquos principio obstruere consultum duxi; adhibitis in eam rem cautelis, atque monitis §. 40. enarratis.

§. 44. Ut facilior Tibi opera fiat, *Sectionem* quidem *præsentem* ceteris præviam esse volui, sed & illas huic scopo accommodatas præstabo: *Secundam* quidem Ontologicam evitandis præcipue *ambiguitatibus*, occupandisque *objectionibus* destinavi. Nimirum in illo *prærogativam* quæro *scriptionis præsentis*, quod constet hodie, quibus potissimum offensionibus debeatur, quod non pauci a nostra sententia alieniores sint. *Etsi* enim parata apparenti malo reme-

dia ipſe Syſtematis Auctor præſtiterit: poſſunt illa *tamen* expreſſius indicari, poſtquam innotuit, qua parte illa Eruditi poſtulent.

§. 45. Sed vero nullum huic negotio *remedium* efficacius aut magis appoſitum novi eo, *quo* ſedulam *Geometræ*, &, qui illos imitantur, *Philoſophi* accuratiores, operam navant, ut ne quid indeterminatum ſit, aut vagum, in verborum poteſtatibus & ſignificatione; cui quidem rei *definitiones* illi ſuas *adhibent*, diſtinctorum de rebus conceptuum promtuaria. Illud igitur inſtitutum ſequi placuit, certas vocibus ideas alligando ante, quam ipſum argumentum evolvere aggrediar.

§. 46. Ne *ſterilem* illam *operam* putent, qui uſum rei aliunde non tenent, ſtatui definitionibus confeſtim adjungere Corollaria, quorum in ſequenti diſcurſu aliquis ad difficultates ſive præcavendas, ſive reſolvendas, & fundamenta Syſtematis vel intelligenda, vel vindicanda uſus erit. *Tertiam* igitur ſectionem *ſecunda* niti atque explicari volumus.

§. 47. *Ontologicam ſecundam* dicimus, quod generales rerum quarundam ideas evolvit; *Tertiam Metaphyſicam*, quod e principiis ejusmodi Univerſalibus de DEO, & divinis, & ſpirituum quoque aliorum, actionibus ratiocinatur ſyſtematice: *Practicam quarto* prioribus acceſſionem facimus, ut diſſipatum abſtractionibus animum intra ſeſe iterum colligere, flecte-

ctere etiam *his motivis* ad virtutem, & divinam in universo hoc negotio Majestatem venerari liceat. Universum denique in *Epilogo* negotium contrahimus, ut illis operæ compendium faciamus, qui diffuse exposita uno quasi obtutu, & in nervum collecta, contemplari gestiunt.

§. 48. Ita vero absolvimus, quæ *necessarium* videbatur *præmitti*. Ita munitus ingrediare lectionem licet, quisquis fueris. *Tene*, quæ *bona* sunt. Si quæ minus: primum *excusa*, si placet, non sponte *errantem*; tum *expunge errorem*, graviter si libet, aut molliter; & *substitue meliora*. Ita *gratiam* inibis, non ab alio magis, quam *a me ipso*, qui monentem recta lubens & lætabundus audiam, ejusdemque rei publica dare specimina nihil dubitabo: Maxime si *nostra* Tibi quiete, atque *in connexione* pensitata fuerint, &, *quæ* illis tanquam meliora *subrogari velis*, aperte satis, distincteque, &, quod præcipue optem, *determinate* enuncies, principiis ex se evidentibus, aut antea per Te demonstratis unice deducta.

SECTIO SECUNDA
ONTOLOGICA,

Cavendis *Ambiguitatibus*, occupandisque *objectionibus definitiones* applicans, & fundando *Systemati* earum *Consectaria* interspergens.

§. 49.

PRopria Systemati & quasi fundamentalis *sententia*, in plures deinde ramos evolvenda, *hæc est*: Dicimus, hanc rerum Universitatem sive Mundum esse inter plures possibiles ratione totius Systematis perfectissimum, adeoque a divina voluntate consequente, quæ morali necessitate optimum seligit, ceteris omnibus sapienter antehabitum, etsi creaturarum, utpote finitarum, culpa malis maculatum; permissionis adeoque motivum DEO fuisse, quod in idea mundi, in toto optimi, imperfectiones, in partibus obviæ, simul comprehensæ fuerint.

§. 50. Accipe igitur hac sectione, quid *Mundus* dicatur? Quid *Systema*? quid *perfectio*? quid *malum*? quid *possibile*? quid *necessarium*? quid *voluntas consequens*? quid *sapientia*? quid *finitum*? quid *individuum*? quid *permissio*? & si quæ sunt *plura*, in sequentibus necessaria.

§. 51.

§. 51. Incipiamus *a definitione Mundi.* Nihil moror, aut anquiro, quid alii hac voce intelligant? Ubi *Mundum* appellavero, memineris, intelligi creaturas omnes simul & successive existentes; ut adeo universalis *locorum* & *temporum*, hoc est, *rerum* finitarum omnino *omnium*, collectio ea voce comprehendatur. Utor *jure meo*, quo licet unicuique sensum vocibus suis determinatum alligare, monito saltim per definitiones nominales prævias Lectore solicito.

§. 52. *Nihil* ea definitione *dogmaticum* complector, aut controversum; ideoque in illa asserenda operam collocare non obstringor. Atque, ut verum fatear, *hæc caussa est*, quare *Wolfianam* definitionis accessionem, etsi omnino congruam, ab initio omiserim. Vocat *ille* Universitatem rerum mutabilium, coëxistentium atque succedentium, *inter sese connexarum.* vide Ejus Metaph. §. 544.

§. 53. *Non* est autem *noviter* & quasi in subsidium *cusa definitio*, postquam objectiones forte de suffugiis dispicere defensores coëgerunt. *Præmisit* illam suæ disquisitioni *Leibnitius* in Theodicæa §. 8. inquiens: „Mundum voco „totam seriem, totamque collectionem rerum omnium existentium, ne dicat aliquis, mundos plures existere potuisse diversis temporibus & locis, nam omnes simul pro uno mundo, vel, si mavis, pro uno Universo computandi forent„.

* §. 54. Posses mirari *solicitudinem* meam in definitione *facili*: Igitur *utilitatem facti*, nisi grave sit, attende. Memini, *admonitum* aliquando *Leibnitium*, " quod optimus quidem mundus fuerit, qualis ex artificis DEI manu prodiit; sed, qui nunc adversus divini conditoris voluntatem malo inquinatus sit, dici optimus non possit,,. Hæreo ego in locutione, ut videtur, ambigua: *An duos* sibi invicem *mundos* opponit Vir præstans? *An duas* ejusdem mundi *partes*, & periodos?

§. 55. *Si primum*: Videtur dememinisse definitionis a Leibnitio datæ; quod adversus ipsum disputaturis integrum non est. *Si alterum* innuit, hoc sensu, periodum, qua condita sit hæc rerum universitas, primam fuisse optimam; non esse illam, quam hodie lugentes vivimus: *Vide*, num inde plus inferre liceat, quam hoc, ejusdem mundi periodum unam, in aliqua Universi parte spectatam, esse altera meliorem; integram illam & sceleris puram, contaminatam hanc & maculis conspersam lamentabilibus? Atqui Leibnitius, ubi mundum loquitur, Universum cogitat, non partes ejus segreges; omnia, non singula. *Sit* igitur in hoc mundo altera pars, & periodus melior altera; etsi de illo plurima admoneri possint, ut caute judices: *Non* sequitur *eapropter*, & alium mundum posse nostro meliorem esse. Sed, nisi hoc obtineas, fulcra sententiæ non subrues.

§. 56,

§. 56. Similì ratione alterum quoque ictum exeas. Credam, casu potius, quam consilio fallacem interrogationem esse, qua ex eodem magno Viro *quæsitum est*, negandi intentione: „ Num mundus *adhuc* sit in ea bonitate, in qua esse debet, ut optimus dicendus sit „ ? *Deme*, si placet, vocem (*adhuc*), difficultatis parentem unicam: Nihil dubito, affirmare quæstionem. Nostra enim adhibita mundi notione hic *sensus est*: In omni temporum & locorum collectione, comprehendi tantum bonitatis, ut universa rerum compages, præ ceteris possibilibus, dici optima possit. Illud vero tuemur, & e suis quoque principiis infra derivabimus.

§. 57. *Sin* exclusam *vocem* postules & *restituas*: Duas sibi mutuo relationes conferre videris. *An* duas ejusdem mundi Epochas contendis? *An* duos sibi mundos? Et, si primum placeat: *An* ea re solum indicas, alteram epocham esse altera inferiorem perfectionibus? *An* per eam inferioritatem simul hoc innuis, integrum mundum esse alio possibili imperfectiorem? *Si nihil horum* approbes: Dic, *quo sensu* ex nobis, mundum cum Leibnitio definientibus, quæri possit: An mundus, (hoc est, universa temporum & locorum collectio) *adhuc* sit in ea bonitate, ut optimus dici possit? quasi scil. *universa* temporum successio *alio* tempore fuerit in bonitate majori, *alio* degeneraverit in minorem.

§. 58. *Suspicor* vero, *hunc* quæsito *scopum* esse: Annon præsens mundi epocha, quoad Humanum præcipue genus, & ex parte altera Angelicum, adeo sit depravata, ut partem mundi (in toto etiam complexu) optimi constituere non valeat? Pertinet illa ad institutum nostrum quæstio: Responsionem nactura inferius. Atque *eo* quidem *casu* omnis in *sola* enunciatione defectus est: Est vero ejus generis, ut non attendentibus queat imponere.

§. 59. Possem plura hujusmodi: Sed *allegabo* tantum *pauca*. Quid videtur Tibi de illa exceptione: Cùm *Leibnitio*, ex Sacris caussæ patrocinium mutuanti, & *Christum* hujus mundi partem *alleganti*, responsum est; „ Christum quatenus creatura, seu homo est, esse „ Creaturam optimam, sed non fuisse partem „ mundi optimi „ ? Num *Vir Eruditus* solam illam, qua res conditæ sunt, periodum vocat mundum? Atque illam, quam inter tot vitæ calamitates & morum deviationes miseri hodie transigimus, ab eo mundo exulare jubet? Atqui *præmonuerat* studiose *Leibnitius*, loco ante allegato, mundum dici Universitatem, non partem. *Quodsi* igitur *ille optimus* mundus est, cujus partem Salvator optimus facit; noster optimus est, quamcunque ejus periodum pars illa ingrediatur. De *assumtione* hic non disputo; in qua circumspecte agi velim, per rei dignitatem atque eminentiam: Dicerent fortas-

fortassis alii, propter Eruditorum in hoc negotio divinantium dissensus.

§. 60. Eodem etiam intuitu dijudica, si placet, an recte *adversemur Baelio*, quando is indignari videtur Philosophis, qui ordinem vel confusionem in rebus quoque non animatis, & præcipue in Legibus Motuum, facta aliqua rerum immutatione orituram, trahere aliquod in divina Mundi æstimatione momentum tuentur? Nimirum *partes* ego *omnes* arbitror, sua sive perfectione sive imperfectione aliquid ad generalem Universi perfectionem augendam minuendamve conferre. Ut enim *definire* nec velim, nec possim, quantum uniuscujusque partis pretium sit in judicio divino? *Teneo* illud *tamen*, ad generalem compositi perfectionem concurrere singulas partium; nullam vero partem prævalere toti; neque, probabiliter, unicam partem ceteris in universum omnibus.

§. 61. Unde nec illud facile admiserim, ut ab æstimatione bonorum malorumque hujus mundi exulare jubeas illa omnia, quæ *extra globulum hunc* terraquaërium divina constituit bonitas, sapientia, libertas & potentia, sive inanimæ sint illæ creaturæ, sive intelligentes: Quales plurimas dari non dubito, etsi Lunaticorum hominum aut Saturninorum recen non egerim, neque caussam orandam perim, Est tamen mea pace liberum

fuit olim quoque, inferere *Planetis Solibusque* incolas, fpiritus corporibus conjunctos organicis, fed qualia fuis conveniant habitaculis: Similia noftris, an diffimilia? nihil hic definio. Sed neque Hæreticum haberi arbitror *Cyrillum* Hierofolymitanum, quod in Catechefi xv. fic arguit: " Ex loci magnitudine incolarum multitudo æftimari folet: Eft autem univerfa terra puncti inftar,,.

§. *62*. Credam, fufficere illa, ut in examinanda fententia præfenti ad temporum locorumque Univerfitatem folicite attendas: Id nifi feceris, pronum eft opponere, quæ fententiam non attingant. Sed pergamus ad cetera. *Syftema dicimus* multitudinem rerum inter fefe connexarum, hoc eft, quarum altera determinationes fuas nancifcitur ex determinationibus alterius, ita ut fecundum communem aliquam Legem (formulam, vel canonem) Naturæ earum rerum convenientem, ratio unius reddi poffit ex altera.

§. *63*. *Determinationem* voco, cum id, quod generale, vagum, commune, indifferens concipitur in aliqua idea, certo aliquo modo definitur, limitatur, ex indifferentia fua ad aliquid fpecialius reftringitur. Ita in definitione Trianguli, quod fit fpatium tribus lineis comprehenfum, indifferens relinquitur, an rectis? An curvis? An æqualibus omnibus? An duabus tantum? An omnibus inæqualibus?

bus? An proportionalibus illis? An commensurabilibus? An secus? Adde aliquas istarum idearum, & *determinabis speciem* Trianguli rectilinei æquilateri, si dicas, tribus lineis rectis & inter sese æqualibus comprehendi spatium.

§. 64. *Rationem unius ex altero* dari tum agnosco, quando ex priori intelligi potest, quare hoc vel illud in posteriori deprehendatur. Hic sensus est, cum a *Philosopho* poscimus, nihil sine ratione dicat; volumus enim, ut ea alleget rerum phænomena, quantitatem, vires, ordinem, successiones, ex quibus intelligi possit dicti cum natura rerum consonantia, & quare hoc, tale, tantum asserat, explicari. Ita rationem expensorum & residui *Nummularius* reddit, si facta percenseat, ex quibus intelligi possit, quomodo evenerit, ut tantundem præcise, neque pauciora neque plura supersint? Et quæ sunt ejus generis plurima, ubique obvia.

§. 65. Esse *communem* illum *Systematis sensum*, quem §§. antecedentibus asserui, facile *exemplis* innotescat. *Musicum Systema* dicimus, ubi plura canendi instrumenta, vel plures ejusdem instrumenti cantus & eorum partes ita mutuo contemperata sunt, ut antecedentes consequentesque soni secundum certum aliquem Canonem (qui stylum, thema, tonum principalem &c. complectitur & exprimit) mutuo sibi respondeant. Quo illæ determi-

na-

nationes conſentiunt in varietate ſua exquiſitius, ſingulorumque inter ſe tonorum disharmoniam quoque felicius ad conſonantiam combinatione artificioſa reducunt, eo plus Syſtematis agnoſci videas: Si ceſſent iſta, confuſum quidem clamorem, murmura, ſuſurros, puerorum crepitacula, aut ſtridorem; Syſtema vero, harmoniam, aut conſonantiam non interpretamur.

§. 66. Ita *cauſſarum* mutuo *ſubordinatarum* ſeriem *Syſtema* dixeris, cum ſingulæ, ut effectus conſideratæ, ſui rationem in antecedentibus habent, ut cauſſæ vero rationem conſequentium in ſeſe continent; ita, ut unaquæque, in ſuis proprietatibus, virtute, actionibus, & circumſtantiis omnibus individualiter determinata, alteram ſuo modo & ordine determinet ad eſſe hoc potius quam aliud; ſecundum generales tamen Canones & formulas, quibus cauſſarum & effectuum dependentiam atque proportionem Metaphyſici explicant, & Geometræ metiuntur. Ita *ſocietatem hominum*, pro aliquo fine obtinendo conſentientium, *Syſtema* dicam, quatenus ſingulorum actiones ſuam determinationem nanciſcuntur ex eo Canone, quo finem inſtituendæ ſocietatis complectimur; negaturus illam appellationem multitudini, definito Canoni haud adſtrictæ, aut actiones ſaltim ſuas eidem non attemperanti.

§. 67. *Propius* ad cauſſam noſtram! Superius *Syſtema* appellavi *doctrinam*, quam hic explicare

re aggredior, *quatenus* propositionum eo concurrentium determinatio mutua est, ut altera sequatur & supponat alteram, vel generet, eoque ex una ratio reddi & intelligi possit, quare & alteram illi *sic* conjunctam velim, & simul in subsidium advocem; generalem hunc Canonem secutus, ut nihil illam ingrediatur, nisi aut seipso evidens, aut legitime probatum sit. Loquor, ita vides, de *instituto*: De *opere* Tuum est statuere; ut memineris tamen naturæ Systematis, &, vel hac definitione duce, consuescas de sententiarum hic expositarum momento, veritate, & in alia dogmata influxu judicare ex illarum cum ceteris connexione.

§. 68. Nimirum vidi non raro, *Viris* æque maximis & *optimis* nescio quæ *absurda obtrudi*, a quibus illi longe alienissimi fuerunt. Quis credat *Malebranchium* transformasse *DEUM* in conceptum aliquem Logicum, aut *ens* quoddam *notionale*, quando DEUM vocat ens in genere, ens universale? Exprobratum est illi tamen ab Eruditis Viris, qui animadversiones R. P. *du Tertre* interpolasse, jure an injuria? feruntur. Atqui id *facillime* licebat agnoscere, alienum ab ea sententia Malebranchium, locutione ambigua designare ens absolutum, limitatis oppositum, quod omnes in sese realitates contineat. *Neque* opinor, *qui Malebranchium ex seipso* interpretantur, *idololatriam* commissuros idearum adoratione, etsi *Pat-*

illam ſententiæ innocenti impietatem audenter nimis obtrudere moliatur, verbis : " Hæc „certe doctrina, ſi ulla unquam, ſpecioſum habet idololatriæ fundamentum ; nec crediderim, a conſequentiis adeo impiis eam *nullis* ingenii *viribus* poſſe vindicari „.

§. 69. Utcunque autem ex ratione Syſtematis poſtulem, ut ſententias mutuo accommodatas in connexione univerſa ſpectes, &, quibus ſe mutuo declarationibus aut reſtrictionibus juvent vel impediant, attendas : Ita *nolim* id *extendere* ad diſſimulationes quaſcunque, ad excuſationes ſive ambiguas, ſive lubricas tamen, ad nexus Syſtematicos quoſcunque, veros, fictos, naturales, obtruſos, utiles, aut aciem præſtringentes ingenii. *Num recte* infero ex definitione mea : *Cum ſententia* molliendæ alicui duritati ab Auctore admota per ipſam doctrinæ ſeriem *requiratur*, admittendam illam & in examine attendendam ? Ex adverſo moleſtius conſectarium, vel Auctori admiſſum, *ſi non requiratur* ad catenam doctrinæ, Syſtemati non imputandum eſſe ? Ubi extrinſecus addi videatur interpretamentum leniens, neque ex connexione requiri, ſed *conſiſtere* tamen juxta reliquas doctrinæ partes *queat*, excuſandis illud auctori, & ſententiæ adhiberi poſſe ? *Sin* ceteris id dogmatis *adverſetur*, nihil Syſtemati propterea condonari poſſe, etſi Auctoris forte præcipitationem magis, aut ignorationem, aut affectum, quam dolum & malam fidem ſuſpicari liceat ?

§. 70.

§. 70. Sed vero hæc Logica sunt vocis Consectaria,non aliena tamen ab instituto præsenti: *Metaphysica* hæc habe. Quoniam in Systemate connexa est multitudo, certum aliquem Canonem (simplicem vel compositum) secuta: Manifestum est, omnem illam *multitudinem* posse *spectari ut unum quid*; & revera *ab illis* ita considerari, *quorum* mentis perspicacia eo sufficit ut partes Systematis omnes, earumque coordinationes mutuas, & harum consensum simul animo comprehendere possint & expendere. Ut veritatem dicti intelligas, *duo* sunt necessaria: *Alterum*, ut ex natura unitatis possibilitatem ejus considerationis eruas; *alterum*, ut excellentiam cognitionis memoratæ præ alia minus universali, & ad partes tantum aliquas restricta, simul attendas.

§. 71. De *posteriori* dubium esse nemini potest, qui excellentiam aut perfectionem cognitionis, vulgato inter omnes judicio, æstimare didicit. Num illa excellentior est cognitio, qua *partes omnes* complector, an altera, qua *nonnullas* tantum? An eminentior illa, qua *relationes* partium ad se invicem, & ad totum *omnes*, an altera, qua *paucas* & solitarie consideratas, neglectis pluribus? Nimirum qui Systema aliquod *nostro sensu* pervidet, ille & partes in sese omnes, sigillatim consideratas, & combinatas quoque invicem, & relatas denique ad unitatem, ex illa partium combinatione emergentem, simul animo comple-

ctitur. Num illa præstantior est *machinæ* cognitio, si omnes ejus partes, organa & potentias, atque illarum coagmentationes simul mente & distincte intuearis, quam si aliquas tantum, etsi successive omnes, *gradu* quidem distinctionis idearum utrobique *eodem*? Si qui *Regnorum* & *Imperiorum* v. g. sortes, felicitatem, status &c. collatione mutua dijudicare volunt, feliciores ne illi sunt, qui omnes earum partes & periodos, dependentes mutuo, aut succedentes sibi, simul animo comprehendunt & distincte intuentur, an illi, qui paucas solum, aut primas, aut ultimas attendere valent, aut volunt, & contendere?

§. 72. Neque difficilius est *primum*. Utcunque magna sit rerum in sese diversissimarum multitudo; *Quatenus* illa in suis proprietatum, actionum, passionum, verbo, variationum successionibus consentit, aut Legem quandam & Canonem sequitur & exprimit, eatenus unam illam dici & haberi vulgatissimum est. Quid est, quod *ens per aggregationem* dictum, quod *integrale totum* animo *ut unum* exhibeat? An ideo *Exercitum* ut unum quid considero, quod uno arbitrio, ordine, imperio continetur, actionibus ad illum Canonem omnibus exactis? Quid est, cujus caussa *hoc corpus*, animi mei habitaculum, considerari ut unum possit? An quod plurima, licet in sese diversissima, corpuscula illum suis coordinationibus Canonem (unicum quidem illum, sed compositum) ex-

exprimunt, quo humani corporis definitionem Physicam & genericam complectimur? Quid coacervatos in cumulum Libros, *Bibliothecam* unam facit? & quænam illa consideratio est, qua unitatem illam sapientes intelligunt, & judicant? An, quod eo delectu bonos possessor libros comparaverit, ut nihil sit rerum utilium, de quo ille sufficientem suo scopo notitiam ex iisdem eruere non possit, labore quidem, aut tempore, rebus æque ac circumstantiis suis accommodato? Et qui hoc Systema ut unum, indicato significatu, intuetur, num ille præstantiorem altero notitiam habet, qui partem saltim attendit, neque distinctius illam aut specialius cognoscit, quam totum prior cognoverat?

§. 73. Diximus ista *in hunc finem*, ut facile Lectoribus negotium fiat, ubi inferius tuebimur: *DEUM*, ubi de condendo mundo statuit in consilio suo, *Totum* illum *spectasse*, temporum & locorum omnium complexu; Namque Mundum posthac Systema dicimus, quatenus omnia inter sese caussarum & effectuum vinculis & actionum passionumque Legibus connexa sunt. Quid enim est, quod seipso fiat? Aut intereat? Sed ne quam in lubrico per sese negotio labendi caussam vel *præbeam* ego, vel prævisam in via posthac calcanda *relinquam*: Ecce novam Tibi ex definitione nostra *§. 62.* exposita, cautelam, consulto servatam huic loco.

§. 74. Poſtulavimus in Syſtemate *ſucceſſiones* rerum *ex* generali *Canone*, ſed *naturæ* illarum *convenienti*. Id niſi attendas, facile eſt, cum Syſtema appellari audias mundum, hoc eſt, rerum æque corporearum atque ſpirituum finitorum Univerſitatem, *facile eſt*, inquam, *ſuſpicari*, differentes illas Univerſi partes & quaſi ſeparata ejusdem mundi regna ſic miſceri, ut *ſpiritibus* eadem, quæ corporibus *violentia* fiat. Nimirum generalis corporum hic canon eſt, ut moveantur mechanico impulſo ab externis agentibus: Et *dicuntur fuiſſe*, qui non attenta naturæ in ſpiritibus diverſitate, eosdem ſimiliter actos ab externis cauſſis, ſed vulgo ignotis aſſererent. *Abſit*, *ut* patrocinium illi doctrinæ *ex natura Syſtematis*, mundo applicata, unquam accedat! Non *obtrudit* illa Leges rebus *incongruas*, convenientes admittit & poſtulat. *Syſtema* dicitur hæc *corporum* compages, quatenus illa motuum legibus & ordine mechanico continetur: Syſtema dicitur *ſpirituum* ſocietas, quatenus illa Logico - Ethicis judiciorum & appetituum Legibus morali ordine dirigitur: Syſtema dicitur *rerum omnium* Univerſitas, quatenus utrumque illud corporum & ſpirituum Syſtema, ex fine conditoris determinationes atque conſonantiam ſuam, ſecundum Canonem generalem (finem artificis & media fini accommodatiſſima complexum) obtinet.

§. 75. Hallucinantur itaque, qui ſceleſto facinore, & conſequentia deteſtabili, ex rerum

rum in Systemate nexu, *providentiam eludere* divinam, suscipiunt. *Apage* perversa hominum ingenia, *si qui* v. g. credunt, mala omnia, ad minimum Physica, quæ ipsis contingunt, in ordine naturæ *ita* evenire, *ut* eventura sint, etiamsi nihil mali committerent. Qui universum hoc Systema vocat, ille partium omnium ex omnibus, & singularum e singulis, & physicarum adeoque ex moralibus, & moralium e physicis determinationes agnoscit: Hæc illa *catena* est, quæ pœnas demeritis, terrorem pœnis & in animis virtutem connectit. Ubi Systema est regulæ alligatum, non eunt cetera eodem ordine, si intermedium aliquod variatum supponas.

§. 76. Atque, ut cum radice malesanum errorem evellam, ex ipso hoc Systematis intuitu, exquisitam *Providentiæ ideam*, novo definitionis corollario, inferam. *Ille* non saltim *prævidet*, quid in suo opere futurum sit, sed eidem quoque *providet*, sensu vocis amplissimo, qui partes ejus omnes ita mutuo coordinat, ut status unius sit norma, motivum, caussa determinationis in altero: Vis breviter dici? *Qui* Systema facit: Vis applicate dici? Ille *perfectissimam* in mundo *providentiam* demonstrat, qui corporum successiones ita spirituum cogitatis atque appetitibus aptat, ut convenientia meritis præmia destinato tempore prodeant, & *eo* ipso convenientiæ moralis *argumento motus* agit; verbo: Qui physica si-

mul atque moralia, corpora & ſpiritus, in uno compingit rerum Syſtemate. *Quæ* enim concurrunt in Syſtemate, illa *mutuo ſibi* normam faciunt, & *motiva* determinationum.

§. 77. Facient rem mihi gratam, & vindicandæ veritati, opinor, utilem, qui ad *ultimam hanc* Syſtematis cautelam ſolicite attendunt. *Non ſufficit* mihi, *conſentire* naturalia moralibus: Poſtulo, ut in quæſtione celebri, de præmiis & pœnis bene aut male actorum externis, naturali Syſtematis curſui innexis, ſimul *admittas*, *moralia eſſe* cauſſas & *motiva* illius divinæ diſpoſitionis & coordinationis in corporibus obviæ, & olim conſtitutæ. Judicioſe *Viri præſtantes* monent, non ſufficere, ut v. g. preces, ut virtutes, ut demerita ingrediantur hunc mundum *tanquam partes automati*; prout *phyſica* hæc conſideratio eſt, non *moralis*: Arbitror igitur, illos lubenter *noſtram* Syſtematis explicationem, *morali* illo *reſpectu*, ubicunque de ſpiritibus moralium capacibus ſermo eſt, *gravidam* admiſſuros. Ita, niſi me omnia fallunt, argumentum *in profanos vertere* licet, quo male prudentes uſi ſunt. *Aſpice, num mage ſit noſtrum* penetrabile telum! " IN SYSTEMATE NIHIL PECCAS IMPUNE: PARTES ENIM OMNES EX OMNIBUS DETERMINATÆ SUNT, ET CORPORUM IMPRESSIONES COELITUS ACCOMMODATÆ DEMERITIS. *Sed* NEQVE INCASSUM BONA AGIS: SUNT OMNIA

MU-

MUTUO APTATA, ET PHYSICA MORALIBUS QUOQUE MOTIVIS ACCOMMODE ORDINATA DIVINITUS. *Olim* ordinata sint, sed *his motivis* tamen? *An* ordinentur *hodie* demum? Id consequentiæ indifferens puto, cum divinam quoque PRÆordinationem *nemo* fefellerit: Tum vero id nondum est hujus loci. Pergamus ad alia.

§. 78. Possunt Systematis cujusdam partes *majus minusve* inter sese consentire, & Canonem illum generalem exprimere felicius, vel secus: Ita nascitur *perfectionis idea*; nascuntur *gradus* quoque. Scilicet *Perfectionem* ex *Chr. Wolfii* Institutionibus Metaphysicis appello *Consensum in varietate*. Quo ille major est in re quapiam, eo *perfectiorem* illam voco: *Perfectissimam absolute*, quæ omnem omnino possibilem comprehendit; *comparate* illam, quæ omnem in suo genere possibilem obtinet; comparari enim nisi cum rebus sui generis nihil debet: Vellem, ut liceret Lectores *ablegare* ad meditationes Viri vere Philosophi: Ita enucleate illa & distincte primus, quod sciam, exposuit §. 152. - 174. & negotio quoque præsenti applicuit §. 701. - 722. *Cogitationum* de DEO, Anima & Mundo *rationalium*, ut omnino illa rem nostram conficere existimem. Quoniam id non omnibus forte Lectoribus accommodum videbitur, *dabimus* hoc loco inflexa *nostro more*, *quæ maxime opportuna* judicabimus.

§. 79. Quia perfectionem interpretamur consensum in varietate, itaque *pro dijudicandis rerum perfectionibus* necesse est attendere, in quonam *principio* conveniant illa omnia, quæ in subjecto meditationi exposito licet discernere: Ut id fieri possit, *distinctas* rerum ideas postulo; Namque hæ sunt, quæ partes rerum, notas, criteria, elementa, proprietates, gradus & similia distinguere valent, & comparare. *Postulo*, ut *partes* subjecti (generali utar vocabulo, non restricto ad integrales quantitatum partes) *singulas seorsim* cognitas habeas: Ut alteras cum alteris, & binas quoque & ternas invicem, & sic denique cum omnibus *omnes mutuo* componas: Ut ex illa collatione *varietatem* simul & *uniformitatem* eruas, Legem, formulam, aut principium consensus attendendo. Appello *principium consensus*, illam formulam, Legem, Canonem, finem, scopum, officium, institutum, destinationem &c. in qua res aut rei partes complures conveniunt; cui obtinendæ, amplificandæ, restituendæ &c. subserviunt; a qua determinationes sumunt suas; quam suis proprietatibus, actionibus, passionibus, relationibus exprimunt &c. *Quodsi omnes* ita partes consentiant, *perfecta* res audit: Ita perfectus ille Circulus (Parabola) est, cujus semiordinatæ omnes sunt mediæ proportionales inter partes Diametri adjacentes (abscissam axis & Parametrum) *sin* earum *una vel aliquæ* excedant aut deficiant: Perfectus non est; ne-

neque enim omnia ſequuntur formulam æquationis generalem, ſemiordinatarum normam atque regulam.

§. 80. Iſta locum habent *in perfectionibus ſimplicibus*, quarum unum tantum conſenſus principium eſt: Quod, ſi negligas alicubi, conſenſum interturbas, cum ſervari poſſet. Nimirum determinationes obtinere conſonas licet, quamdiu uno & ſimplici omnes principio deducuntur: Nulla ex illo repugnantia, contrarietate aut pugna inevitabili unquam oritura. In ſimplicibus igitur perfectionibus judicandis, *perfectum abſoluta* locutione non dicimus, quod ſine neceſſitate nævum habet: Etſi poſſet, *comparativa* poteſtate, *perfectius* altero appellari, ſi plures in hoc deviationes a regula exiſterent, & diſſenſus partium exſtantior.

§. 81. *De compoſitis*, etiam vulgo, *aliter* judicamus, & nihil tale cogitantes, haud raro tamen, exequimur præcepta, quæ, ſigillatim a Philoſophis expoſita, vix ac ne vix quidem agnoſcimus. Ita quis eſt, qui *Rempublicam Perfectiſſimam* cogitaturus non illico deprehendat, atque tacitus confiteatur ſibi, non poſſe omnes ejus partes iisdem perfectionis ſpeciebus gradibusque beari: Itaque *exceptionem* alicubi faciendam eſſe; non vero promiſcuam illam, ſed *ſapienter ordinatam*, qua poſita licet, *ſumma* tamen in Univerſitate *poſſibilis* perfectio obtineatur. Scilicet hoc agunt, qui cum *Platone*

de Republica commentantur, cum *Campanella* Civitatem solis exstruunt, aut Christianopolin cum *Jo. Valent. Andreæ* extra Christianorum limites in altero orbe quærunt, aut *Sevarambicas* gentes describunt, aut *Utopiam* fabulantur, & quæ sunt similia.

§. 82. Videamus, *quæ veritates* eluceant ex ejusmodi institutis? Quia non omnes mutuo cives æquant, neque omnibus omnem hominibus possibilem perfectionem assignant: Intelligitur illas *Perfectam Rempublicam* arbitrari, *etsi non omnes* ejus *partes*, membra, cives sint perfectissimi; dari adeoque *compositum* in suo genere *perfectum*, cujus partes, sigillatim & extra nexum spectatæ, non sint perfectissimæ, Quia inæqualitatem consilio seligunt, non casu arripiunt, omnia sibi mutuo ratione & industria attemperantes: Colligitur illos supponere, quod *exceptiones* a perfectionibus simplicibus fieri diversimode possint & pro obtinendo composito præ ceteris perfectissimo *ita ordinari* debeant, *ut* minimum dissensus inferatur rebus, servetur *plurimum consensus.* Atque hæc sunt, quæ de perfectionibus *compositis* quam maxime teneri oportet: *Unum*, quod pugnare simplices possint & soleant; quod adeo in compositis fieri exceptiones debeant, *alterum*; *tertium* quod diversis fieri modis possint; *quartum*, quod ita illæ ordinari debeant, ut maxima tamen, quæ possibilis est, in composito harmonia & consensus maneat. Excutiamus *sigillatim* singula.

§. 63.

§. 83. Perfectiones quidem *simplices* mutuo *pugnare* & *posse*, &, ut plura dicam, *debere*, facile *ex* rerum *finitudine* conficias. Metaphysico generali interdicto vetantur caussæ, effectus sese majores aut nobiliores producere: Non potest igitur in effectus quoscunque omnis perfectio derivari; potest illa saltim, quæ caussæ viribus non major est, finitis quidem illis, perfectioni omni ingenerandæ imparibus. Quodsi igitur effectus perfectio pendeat e *duplici* capite; non potest augeri ex uno latere, quin diminuatur ex altero: Ita *pugnant* simplices illius rei perfectiones, quarum altera nocet alteri. *Dubitas?* finge perfectionem effectus alteram manere, & augeri alteram: Erit nobilior aut major effectus cum augmento spectatus, quam sine illo. Igitur si vires caussæ finitæ præcise tantæ fuerint, quantæ ad priorem effectum necessariæ sunt: impossibile est, ut iisdem viribus obtineatur alter quoque, viribus superior. Non est impossibile tamen, ut iisdem viribus obtineas effectum ex altero capite majorem. Scilicet altera perfectio *excludit* alteram, si finitis illa viribus obtineri debeat.

§. 84. Accipe *exempla* dicti, ex *omni* rerum *genere*! In *absolute necessariis*, qualia haberi *geometrica* solent, perfectior *linea* foret, quæ v. g. constructionem Circuli facillimam, proprietatibus Cycloidis omnino admirandis conjungeret, & perfectius ille problemata v. g. isochro-

nismi, brachystochronismi, synchronismi &c. solveret, qui figuram ejusmodi exhiberet, quam qui Cycloidem, artificioso licet calculo, admovet negotio eidem. Sed vero id fieri non potest, quod *pugnantia* supponeret: Igitur aut problemati renunciandum est, aut cedendum constructionis facilitate, inter perfectiones ejus simplices numerari solita.

§. 85. In *physicis rebus* perfectior *machina* foret, qua & vires lucrari possem, & augere mobilis celeritatem, hoc est, cujus opera possem virtute minore, & tardius mota, pondus virtute ipsa majus, & celerius movere: Atqui hoc *impossibile* esse vel vulgus novit mechanicum. Quid ita? Non potest caussa finita & determinata effectum edere se majorem, adeoque si quid altera parte lucratur, altera tantundem amittat necesse est. *Magnum* pondus parva vi, sed *tardius*, moveri finitis viribus, non implicat; uti nec illud, moveri *celerius*, sed *minorem* molem: Manent utrobique effectui proportionales caussarum vires, ex mole mobilis & celeritate in potentiis quidem usitatis, æstimandæ. Si *utrumque* obtineri velles eàdem machina: Utrinque effectus caussam excederet, eoque, intercedente metaphysico rerum canone, *nihil proficeres*. Pugnant igitur perfectiones machinæ simplices, nec possunt aliter, ob agentis caussæ finitudinem.

§. 86. Idem de *spiritibus* dico *finitis*: Finitos autem appello, in quorum potestate non est, ut

: possibilia omnia simul & distincte sibi re-
ræsentare possint; quorum igitur ideis *distin-*
s & *limites* circumscribo, & *successionem* tribuo,
uales eorum quantitati virium, & naturæ
xcellentioris vel debilioris rationi *proportio-*
les sunt. Nunc vero, si placet, edissere,
perfectio sit spiritus, *plures* potius, quam
auciores animo ideas simul complecti posse?
istinctas potius, quam claras solum, aut omni-
o obscuras habere? *Breviori* temporis inter-
allo plures attendisse, aut longiori pauciores?
re eadem detexisse *plura*, an pauciora? Non,
pinor, injuriam Tibi intulero, si, ceteris pari-
us, *omnes* illas quæstiones TUO nomine *ad-*
rmavero. Habes igitur *perfectiones* alicujus fi-
iti *spiritus* simplices: Sed quæ conjunctæ mu-
uo *se impediant.* Quoniam enim finitæ vires
int, verum est hoc quoque loco illud vul-
atum: *Pluribus intentus minor est ad singula sen-*
s. Non potest gradum attentionis in infi-
itum augere mens finita; singulis tamen ob-
ctis aliquem applicare necessum est: Igitur
uo plures simul res intuetur, eo minus di-
inctæ notiones erunt; quo distinctiores,
o paucioribus rebus sufficient; quo celerior
ucceffio, eo minus attenta & distincta; quo
ttentior & distinctior, eo tardior. Loquor
utem de *subjecto eodem*, & quod utroque ca-
u *omnes* suas vires insumat: Id nisi attenderes,
nstantiis locum concedi facile existimares,

§. 87

§. 87. Possem ejusmodi infinita congerere: *Quicquid* enim *vides*, exemplum est. *Organici corporis* perfectio foret, non facile ab externis lædi posse; foret etiam, posse omnes ambientium corporum mutationes, etiam minutas, percipere: Solidiorem illud texturam postulat, hoc teneriorem; utrumque in summo gradu non obtineas. Quid ergo? attemperanda sunt illa mutuo in corpore: Itaque exceptio facienda est in perfectionibus simplicibus mutuo pugnantibus; pugnantia enim quis efficeret? *Habes* itaque & alterum, quod §. 43. diximus: In simplicium perfectionum pugna pro compositis obtinendis admittendam esse exceptionem.

§. 88. Dico, *admittendam* in *pugna* simplicium; *finitudinis* id *consectarium* est in rebus: *Non* impotentiæ aut defectus, aut malevolentiæ *in opifice*. Nolim enim ita sermones inflecti, ut id *DEO probrosum* videatur, si multis quidem, non omnibus tamen, creaturæ imperfectionibus in Systemate rerum avertendis sufficere arguatur: Sufficit *ille* perfectionibus *largiendis* omnibus; *Non* sufficiunt *creaturæ accipiendis*. Quodsi igitur, aliqua creaturarum pars infelicibus permittatur fatis, ut salvæ reliquæ sint: Finitudini id rerum imputamus ex §. Non paupertati, non invidiæ, neque etiam negligentiæ curatoris. Sunt hæc ejusmodi, ut diversimode inflexa facile sensum sinisteriorem fundere aut ferre videri possint: Si *argumento*

sen-

sententiæ attendas, disparet nebula. Admittenda est in vehementer compositis *exceptio*, sed *rerum* & facultatum, nonnisi finitarum, caussa.

§. 89. *Qualis* illa vero? Hoc *nondum* dixero; dum *tertio* constet, fieri illam *diversa ratione* posse: Tum enim *consilii* est, quam ceteris antehabeas. *Si duæ solum* simplices concurrant, potest, absoluta æstimatione, exceptio sumi in sola prima, tollendo illam sive ex toto, sive ex parte, prout secundæ tota aut particulatim repugnat; potest eadem ratione fieri in sola secunda; potest major in prima, in secunda minor, vel vice versa, potest etiam æqualis utrinque fieri, si secundum aliquas tantum partes pugnent; & potest id ipsum diversis plane & omnino plurimis fieri gradibus in utraque. Longe *major* est *varietas*, si *tres* simplices committas: *Augenda* etiam mirifice, si *plures*. Non excurro in illud institutum, quod *combinatoriæ arti* proprium est; Quis nescit augeri variationes ejusmodi diversas in modica quoque rerum multitudine ultra fidem eorum omnium, qui calculis adsueti non sunt, & ultra intelligentium quoque imaginationes?

§. 90. Intelligo equidem, *in applicatione* non paucas ex illo numero exceptiones fore tollendis repugnantiis *insufficientes*. Ita, si inter simplices septem, prima pugnet non solum cum secunda solum, sed & quinta: Excident

sco-

ſcopo omnes illi caſus, quibus prima & ſecunda integræ perſiſtunt, & exceptio ſolam quintam afficit: Adeo quidem, ut, ſi una cum ceteris omnibus pugnet, neceſſum ſit vel ab illa ipſa exceptionem fieri, vel a ceteris ſimul omnibus. Quæ autem iſto titulo exceptionum utilium numerò decedunt, illa ex adverſo *graduum* in perfectionibus *differentia* immenſo reddit fœnore; novimus enim & gradus variari in infinitum poſſe, & in determinata quoque illorum multitudine combinationes, admiranda plane copia, multiplicari. Sufficit autem *hoc loco*, generaliter intelligi, exceptiones neceſſarias & inſtituto ſufficientes fieri *diverſis* quoque *modis* poſſe; *ita* enim *electioni* locus eſt, excluſæ illis caſibus, ubi unicum ſui generis eſt poſſibile.

§. 91. Ut *ſapienti* etiam *electioni* locus fiat, adverte, exceptiones alteras alteris *optabiliores*, aut *tolerabiliores* eſſe, prout alteræ minus conſenſus interturbant in compoſito, plus ſervant, aut vice verſa. Ita quoniam fieri per principia *Optico-Dioptrica* non poteſt, ut eadem *oculi* machina diſtincte remotiſſima, cernat & proxima, ut v. g. minutiſſima in Jove corpuſcula exquiſite diſtinguat inermis, & quæ oculo incumbunt proxima ſimiliter diſcernat; ut ſplendidiſſimum ſolis fulgorem ferat, corpuſcula ſoli innatantia diſtincturus, & minutulis quoque animalculis, v. g. ſpermaticis, ſub veſperam cernendis ſufficiat: *Fieri* ab alterutra viſio-

ſionis perfectione *exceptio* debet. *Optabilior* illa eſt, qua remotiſſima latent, & minutiſſima; qua lumen oculis fortiſſimum obeſt, ſufficit autem debilius, ad cernenda mediocriter remota & propinqua, eademque corpori afficiendo proportionata: *Ita* enim *plus conſenſus* manet in Corpore organico, quam altero quidem caſu fieret; ſiquidem oculus cautelæ datus eſt, ut avertere noxia & evitare jubeat. Atqui illa ſunt propiora magis, quam remotiora; mediocria aut magna potius, quam minutiſſima.

§. 92. Idem de *auditu* dicas, & ceteris hominum ſenſibus; neque enim idem organon vehementiſſimos ferre, & remiſſiſſimos percipere ſonos poteſt, ex *Acuſticis* quidem principiis. Alterutro igitur carendum eſt; aut, ſi malis, utrumque mutuo attemperandum eſt: hoc enim *optabilius erit*, attemperari organon ſonis, quanti eſſe ſolent communiter illi, quos maxime intereſt percipere, & diſcernere in vita humana. *Rectiſſime* etiam, arbitror, monuiſſe Celeberrimum Acutiſſimumque *Chriſtianum Wolfium*, in ſpecialibus (ita vides) caſibus determinari facilius poſſe, utra ſit optabilior exceptio; ab illo ſaltim, qui materiam ſubſtratam intelligat, & combinationum momenta, atque adeo exceptionum merita aut demerita inter ſeſe conferre poſſit, & metiri.

§. 93. Confido autem, intelligi ex dictis *quarto*, illud in ſuo genere *perfectiſſimum* fore rerum finitarum Syſtema *compoſitum*, in quo,

etsi pugnent simplices aliquæ perfectiones, ita tamen mutuo sibi attemperatæ sunt, ut quam fieri potest minimum exceptionis admittatur, servetur consensus plurimum. *Quodsi* enim evitari exceptiones omnes non possint, adeoque ingratiis licet opificis imperfectio obrepat operi: *Perfectius* tamen id *erit*, quod majorem in toto consensum obtinet. Atque hoc est, quod *Viri Magni* dicunt, *imperfectiones partium pertinere ad perfectionem totius*: *Non* sane *eo sensu*, quasi imperfectio perfectionem conferret; implicare id facillime agnoscam: *Neque illo*, quasi perfectius id opus foret, ubi perfectionibus imperfectiones miscentur, præ altero, in quo eædem, vel æquales plane, si fieri posset, perfectiones collectim æstimatæ existerent, nullis interstinctæ maculis; quis illud sapienti tribuat?

§. 94. *Hoc volunt* Viri Celebres: Cum exceptio fieri diversimode potest, facienda autem omnino est aliqua; pertinere id & *conducere* ad obtinendam maximam possibilem compositi illius perfectionem, ut exceptio fiat *ea* parte, ordine, modo, gradu, fine &c. quibus *minimum* turbetur consensus, ex judicio quidem illius, qui & compagem universam, & omnia exceptionum possibilium genera & momenta sufficienter intelligere & ponderare potis est. Admittunt cetera, illud *absolute perfectum* esse, & ceteris omnibus infinities præferendum, quod omnes sine omni imperfectione

per-

perfectiones possidet: Privilegium autem illud Divinitatis mecum arbitrantur, & rerum finitudini adversum judicant. *Non* igitur *exceptio* est, quæ perfectionem *auget*: Sed exceptionum sapiens *electio* est, quæ perfectionem *tollit minorem*. *Ut* igitur *exceptio* admitti debeat; *id non pertinet* ad perfectionem totius majorem obtinendam: *Ut hæc* potius admittatur, quam alia, dissensum illatura majorem; *id pertinet* & conducit.

§. 95. Non diducam illa latius, quoniam existimo, facile *Viros Eximios*, quos *Leibnitiana* & *Wolfiana* locutio suboffenderat, eandem, ita expositam, *culpa* omni *vacuam* pronunciaturos: Mihi quidem vix visam, ita statim intellectam, eoque a duritate omni absolutam esse, non dissimulo. Si placeat tamen, *malo* vocem nemini ambiguam posthac adhibere; eodemque sensu *asserere*, *malum* in optimo quoque mundi Systemate fuisse *inevitabile*, adeoque admittendam fuisse exceptionem; & conferre igitur ad perfectionem mundi maximam obtinendam (non sane exceptionem, sed) illam exceptionis moderationem, qua consensus plurimum servetur, inferatur dissensus minimum. Nescio, quomodo mihi videatur, in voce *inevitabilitatis* latere *secundariam* quandam ideam, qua significetur, adversus voluntatem opificis subrepere malum. *indeclinabile* adeo, etsi minus approbatum artifici. Ea saltim significatione utar *ego* in sequentibus.

§. 96. Possent e dictis plurima colligi, atque etiam in salvo collocari, quæ objectionibus exposita, aut implicita difficultatibus videri solent. Indicabimus *pauca*, & *explanabimus*. Ambiguum esse potest, & sinisterius intelligi, si quis *malum* asserat, aut ex assertionibus nostris postea conficere velit *conditionem sine qua non* mundi optimi, aut *medium* ejus perfectiones augendi. Vidimus, quid de locutione *postrema* sentiendum sit, §. antecedente 94. Videtur *consequentia* certior *de conditione sine qua non;* & *consequens* illud tamen haud paucis expositum offensionibus. Durum est, malum, morale præsertim, quod divino de creaturis, deque reddenda illis perfectione seu felicitate plena & consummata, consilio obstat, esse conditionem sine qua non mundi optimi! *Nondum* licet nobis *de consilio* circa Creaturas perficiendas divino disserere: Erit Locus tamen, ubi distincte mentem, & nisi penitus fallor veritatem rei, explicabimus. *An malum* mundi optimi, vel, (sermone *generaliori*, ut huic loco convenit,) an exceptio aliqua compositi perfectissimi *conditio sine qua non* dici possit? aperte enunciabimus. *Malum* in optimo quoque mundo (vel generaliter, exceptio in Systemate rerum adeo composito) est inevitabile, culpa finitudinis rerum: *Ipsum* tamen *non est conditio*, aut pars, mundo perfectionem *inferens*. Quando optimum mundum loqueris, *vocabulum* illud vel *denominat*

mun-

mundum *individualiter* solum, ut *hunc* præcise mundum, *qui* optimus est, illo termino indigites; vel *reduplicative aut specificative* sumto vocabulo attendis ad mundum, *quia* vel *quatenus* optimus est. *Priori sensu*, *si* conditionem sine qua non appellare velis omnem individui partem aut *determinationem*: Est malum quoque conditio sine qua non mundi optimi, *hoc est*, vocabulis determinate significantibus, non vage & scholastice sonantibus? " In mundo etiam *illo*, *qui* de cetero propter perfectiones suas inter omnes possibiles alios optimus est, admixtæ etiam sunt imperfectiones, & mala ". *Agnosco* propositionem, neque consectaria ejus formido.

§. 97. Sin *posteriori* significatu, malum velis vocare conditionem sine qua non mundi, *quia* optimus est, (reduplicative) vel *quoad* partem, conditionem, respectum &c. *quo* optimus est (specificative): notionem illi conditioni *caussalem*, aut *positive* saltim aliquid *conferentem*, adjunges. Atqui *non ea causâ*, *neque eo respectu*, parte, modo, optimus est mundus, quod malum continet: Est *ideo* optimus, *quod* inter perfectiones plurimas, habet minimum mali, facta cum rebus sui generis aliis comparatione. *Non* igitur *malum* est, usitato loquendi modo, conditio sine qua non mundi *ut* optimi: *Est* vero illa *mali*, inter creaturas non absolute evitabilis, *moderatio* & directio, qua cautum est,

ut non plus mali introierit in mundum. Ve
Permissio hujus potius mali, quam alterius
vioris sive permissio, sive pro cavendo p
facta intrusio, *est conditio sine qua non* m
etiam ut optimi. *Confert* enim hoc ad
nendam majorem universi perfectionem
illa potius imperfectio admittatur, quæ
ciorem dissensum infert, aut consensum t
quam quæ majorem: *Non quod* illa perfe
nem operi *positivam* majorem *addat*, *sed*
pauciorem extrudat. Dixi vero *permissionem*
mo, illa enim est actionis suspensio, qu
communiter designamus, ubi conditione
ne qua non loquimur: Dixi deinde perm
nem, non mali absolute, sed *comparate*
præ altero, minoris præ graviori; qu
enim exceptio admittenda est in compo
sine hac rerum moderatione, qua minorem
majori admittimus, obtineri maxima p
ctio *non* potest.

§. 98. Nihil a *consequentiis* metuo: Sed quo
fortasse scholastica magis dicta videntur, q
ut innocentiam omnes intelligant, *Theses*
nissime dictas accipe, cum monito tan
meam illam §. 96. *locutionem non fuisse*, ab
reo enim ab ambiguis & vagis. 1. *M*
locutione *inusitata*, & corrigenda per exp
tionem constanter adjungendam, *dici potest*
ditio sine qua non mundi optimi, *si hic*
sit: " Universitas finitarum rerum illa quo
quæ inter omnes possibiles perfectissima

mixtas simul imperfectiones habet „. 2. *Ma-*
u, *usitata* magis locutione, *non potest* dici
nditio sine qua non mundi optimi, *si hic sen-*
sit: " Ad augendam mundi ut optimi per-
tionem requiritur, ut aliquod malum simul
grediatur, collaturum sua præsentia univer-
iti positivam aliquam perfectionis partem,
ie cujus accessione mundus ille non foret
timus „. 3. *Permissio hujus potius* mali mi-
oris, præ graviori altero, *est*, *usitata* locutio-
, conditio sine qua non mundi optimi;
niam hic dicti *sensus est*: " Nulla condi re-
m finitarum Universitas potest, quæ in tan-
rerum copia & connexione, non aliquas ad-
xtas imperfectiones habeat; ut igitur inter
ssibiles optima obtineatur, conducit & re-
iritur illam potius exceptionem permittere,
æ minimum perfectionis delet, quam ali-
ı, sive permittere, sive omnino efficere,
æ extruderet majorem „.

§. 99. Ut vero concedam hactenus, atque
geam, in composito, cum exceptionem fie-
necesse est, evenire, ut majorem una præ
era consensum atque perfectionem relin-
at; idemque deinceps ad mundum opti-
am, & factam in illo exceptionem appli-
n: *Non possum* tamen, (sed *neque teneor*,) *de-*
minatam quæstioni *responsionem* applicare,
quæsieris, *quodnam* illud melius, *illud opti-*
m sit, quod per concomitantiam peccati
undo accesserit? (*mallem*, diceres, quod non

obſtante divina peccati permiſſione & moderatione in toto Syſtemate perſtiterit?) & cujus gratia per Leges ſapientiæ optimum eligentis peccatum neceſſario fuerit permittendum? Nimirum *enarrare* illud *ſpecifice non poſſum;* quoniam ad judicandam mundi perfectionem requiritur, ſingulas ejus partes ſigillatim, & collectim omnes pernoſſe: Verum homines ſumus, ſapientiæ tyrones; guttatim nutrimur, non plenis illam poculis haurimus. Sed *neque teneor;* diſputabimus a priori, generaliter: a poſteriori nec poſſum, nec volo, nec polliceor v. §. 25. ſeqq. Si plura determinarunt *alii*, viderint illi, ut ſua tueantur?

§. 100. Redeamus ad *generalia*, & de perfectione doctrinam abſolvamus. Diximus, quæ ſufficiant, ut intelligatur, *poſſe* aliquid inter ſui generis cetera *perfectiſſimum* judicari, quod *imperfectionibus* tamen omnibus non careat: *Neque* illam conſequentiæ generalis ſpeciem *valere*, ſiquis arguat; in hoc vel illo compoſito ſunt imperfectiones, etiam exſtantes, ergo non eſt inter omnia ſui generis poſſibilia perfectiſſimum. Et quoniam *nihil* in ea deductione *determinatum* eſt, *num* exceptiones *in una* tantum parte compoſiti fiant? *An* admittantur in pluribus, ſed minores? *An* in *omnibus*, ſed iterum tanto leviores? Inde conſequens eſt, in applicatione ad rem aliquam præſentem, ſi compoſitum aliquod eſſe perfectiſſimum in ſuo genere oppugnes: *Non*

ſuf-

sufficere negotio, si v. g. singulas ejus rei, (nostro casu, mundi) ætates esse exceptionibus obnoxias, atque adeo imperfectionibus interstinctas, legitime perviceris. *Probas*, absolute perfectam neque rem totam esse, neque partem ejus aliquam: *Non demonstras* tamen, inter ceteras sui generis alias non esse rem illam perfectissimam. Pergamus autem ad alia.

§. 101. Non affecto sententias paradoxas: *Novam* tamen priori *positionem* addere, sed & explicare, consultum puto. *Possunt*, mea sententia, *in* composito etiam *perfectiori plures* imperfectiones existere, quam sint in altero minus perfecto. Ut mentem facile pervideas meam, & approbes: *Distinctione* negotium expediri debet. Possunt imperfectiones *duplici* sensu dici quem huc usque non discrevi, quod id explicandis firmandisque sententiis meis indifferens vidi, *utramque* voci significationem? An *alterutram* solum? & *utram* earum tribuas? Alia est ratio theseos præsentis.

§. 102. Nimirum imperfectionem *aliquando* dicimus solam perfectionis *absentiam*; aliquando *oppositum* perfectionis: Si quis partium aut rerum *consensus abest*, defectus ille imperfectionis vocabulo venire haud raro solet; siquis partium *dissensus adest*, etiam ille insignitur titulo eodem. Imperfectiones *negative* aut *privative*, verbo *remotive* dictas appellare *alteras* libet, *alteras contrarie*: Cum *simpliciter* imperfectiones dixero, *posteriorem* intelligo classem,

ex definitione *Wolfiana*, Cogitat. de DEO, Anima & Mundo Rational. §. 152. 169. 721. Facile eſt animadvertere, *cum* de duobus ejusdem generis compoſitis, quorum adeo idem concipitur ſummus perfectionis poſſibilis gradus, *aſſeritur*, inperfectiori poſſe *plures*, quam in altero, imperfectiones eſſe, non hoc intelligi, quod facta æſtimatione *totali*, imperfectiones remotive dictæ plures in illo eſſe poſſint, quam in hoc: Æquivalent enim *illo ſenſu* locutiones, ſive plures compoſito imperfectiones tribuas, ſive perfectiones aſſeras pauciores, ſive imperfectius illud dicas, ſive minus perfectum. Non poteſt igitur ea ſignificatione perfectius eſſe, quod imperfectiones habet ejusdem generis alio plures, hoc eſt, quod pluribus caret perfectionibus. Poteſt *ſecundo ſenſu* imperfectiones contrarie dictas plures complecti, quod altero perfectius eſt.

§. 103. Scilicet ſi duas mutuo res contendas, poſſunt in una perfectionum gradus atque numerus *in tantum augeri* ſupra numerum & gradus in altera, *ut abundent* etiam collatis & compenſatis, quæ ſubingreſſæ ſunt, imperfectionibus contrarie dictis. Loquamur *facilia*. Suppone hominem *exquiſite avarum*; cujus adeo ſententia divitiæ in perfectionum numero ſunt quam maxime, debita & expenſæ imperfectionum ſummopere deteſtabilium loco habentur. Utram ille *hereditatem* optabiliorem, & rei ſuæ perficiendæ aptiorem judicabit: *Illiusne*, qui

pa-

paratam quidem pecuniam numerat ultra octoginta aureorum millia, cum debeat triginta? An *istius*, qui ex millibus quinquaginta nonnisi septem debet? an denique *huius*, qui, cum nihil debeat omnino, possidet tantum viginti? Annuis, opinor, *primæ*: Si negatur illa, *secundæ*: *Tertiam* utrique postponis. Sed vero duabus prioribus imperfectiones *plures*, contrarie dictæ, admixtæ sunt quam posteriori! Sunt, inquis, *absolute* loquendo! sed *pauciores* tamen, *quam ut* perfectionum ex illo latere exuberantiam, facta etiam debiti compensatione, exhauriant.

§. 104. Si grave est exemplum *ab affectu*: Accipe *ab arte* aliud. Est in Vaticano Romæ inter plurima artis pictoriæ specimina non ignobile *Julii Romani* opus, *Constantinum M.* exhibens, flexo poplite, auream *Sylvestro* Papæ statuam muliebri forma, *Romanæ* urbis atque ditionis Symbolum, dono offerens. Placuit artifici, *Sylvestro* induere personam *Clementis VII. Cardinales* vero, *Abbates*, *Musicosque* & ceteros magno numero ritui ornando adhibitos exprimere ad similitudinem *Amicorum* & *suam*. *Duplex* igitur tabulæ *scopus*, duplicem judicandæ ejus perfectioni normam præstat. Fac *aliquas* imaginum ad summam similitudinem non expressas esse, adeoque fini artificis & destinationi alteri contrarium opus ea parte imperfectionem complecti. Si *consilio* illam selegit, quoniam scrupulosior expressio v. g. affectum, instituto principali incommodum, pro-

dū-

didiſſet, aut ſitum perſonæ minus congruum poſtulaſſet: Perfectior eſt eo facto tabula, quod exceptionem, ex alterutra parte neceſſariam, fecerit in acceſſorio. *Sin utrique inſtituto* adverſam ſupponere illam aberrationem velis: Eo majorem illa imperfectionem tabulæ inferet, quod a duplici, operis & artificis, ſcopo diſſentiat. Compone illi *alteram* tamen, *quæ unicam* exhibitura faciem, in illis præter unum omnibus, quæ diſtinguere ſpectatores ſolent, feliciter delineata ſit: Et exquire *judicia peritorum*, ut intelligas, utram illi tabulam majoris æſtiment artis opus? utram alteram perfectiorem judicent? Illam, quæ in tanto figurarum numero aliquoties deficit? An alteram, quæ ſemel in una?

§. 105. Num *Carmina Virgilii*, etſi nævis interſtincta quibusdam, præſtare judicantur, an concedere illis omnibus, quibus exprobrare eosdem, aut tantos, aut totidem non licet, ſed neque virtutes adjudicare easdem aut æquales? Num ille *prudentior* eſt, qui vix facile negotium ſine errore perfecit, altero illo, qui difficilia decem non ſine tribus expedire lapſibus potuit? Quem tu *Medicum* putas perfectiorem eſſe? Quem *cauſſidicum*? quem Exegetam aut *Interpretem?* Num ambigua eſt optio inter eos, qui, in negotiis æqualiter difficilibus, raro (ſexies, ſepties) conſulti errarunt rarius (bis, ter)? An qui conſulti ſæpius (vicies, tricies, centies) errarunt, abſolu-

te

te loquendo sæpius, comparate rarius, quam priores (quater, quinquies &c.)? Atqui in postremis casibus sunt imperfectiones absolute plures, sed facta cum perfectionibus comparatione atque compensatione pauciores. Ita *communi* hominum *judicio*, & *Tua* Lector *æstimatione* vides, posse rem unam altera perfectiorem esse, etsi plures absolute loquendo imperfectiones contrarie dictas contineat, quam altera.

§. 106. *Quorsum* ista vero? Scilicet *ut intelligatur*, simile argumentum esse, sive ab exceptionum *præsentia* refellere perfectissimi in suo genere compositi appellationem velis, sive ab earundem *frequentia*, absolute spectata. Vidimus, non illico rem unam altera minus perfectam esse, si exceptiones in prima adsint, & frequentiores quoque, quam in altera: *Neque* igitur *consentio* statim, si perfectiorem v. g. mundum fore illo casu asseveres, quo pauciores a regula exceptiones contineret, & magis etiam, si nullas plane. *Consentiam* tamen, *siquis* ostenderit, perfectiones ejus positivas omnes posse persistere easdem, aut obtineri æquales, etsi exceptio aliter temperata pauciores a regula deviationes faceret: *Eo* enim *casu* perfectius est, quod in consensu rerum æquali exceptionum minus patitur. Atqui illud difficile, potius *impossibile*, negotium est! cui expediendo parem non inveneris,

§. 107.

§. 107. Putem vero, multa in posterum plana fore, & *difficultatum* adversus nostra dogmata plurimarum *nervos* tempestive *incisos* esse, si præsentem de judicanda rerum perfectione theoriam Lectoribus approbavero. Neque intelligo, quid assensum impedire Tuum possit, *nisi* illud *forte* in mentem veniat: *Non posse imperfectiones*, saltim contrarie dictas, ita conferri *perfectionibus*, ut *compensari* mutuo, & perfectionum in aliqua re numerus, detractis calculo imperfectionibus iniri, aut mensurari momentum queat. *Erunt* etiam fortassis, *qui*, ut in genere, vel potius in aliqua tantum specie perfectionum, comparationem ejusmodi aliquam & compensationem admittant: *In applicatione* ad mundum tamen, *& mala* præcipue *moralia*, ambigui hærebunt. Non est hoc dubium formidabile: Posset illis tamen arridere, quibus videretur, speciosa isthac excusatione vim argumentorum nostrorum eludi posse, aut declinari. *Ultimum* suo loco persequar; De *generali* æstimatione nonnihil hic edisserere convenit. *Non* ago illud *tamen*, ut de judicandis rerum perfectionibus *plenam* ingrediar tractationem, etsi utilem illam, & desideratam hactenus inter eruditos, adeo quidem, ut, nisi *Chr. Wolfius* in metaphysica admonuisset Eruditos, illius negotii publica mentio, quod ego scirem, nulla exstaret.

§. 108. Ut facile negotium fit, incipiamus a *casibus simplicioribus*. Si *nulla* supponatur in com-

composito *pugna* perfectionum, nulla adeoque imperfectio contrarie dicta, sed *solæ* attendantur *remotive* tales, sive perfectionum defectus: Obvium id est, judicari quantitates *negationum privationumque* per quantitatem *realium*, & *positivorum*, quibus illæ opponuntur; & fieri adeo *compensationem* ejusmodi, ut a suprema compositi perfectione possibili tantum in æstimio rei detrahatur, quantum explendo illi defectui requiritur. Nimirum si e *centum* perfectionibus (supponamus enim, ut facilior opera sit, determinatum pro summa rei alicujus perfectione numerum) adsint præcise 70. tum imperfectiones, communi hominum judicio æstimabuntur reliquis triginta, ad complendum summum perfectionum numerum requisitis & sufficientibus.

§. 109. Quodsi igitur *de una* tantum *re* sermo fuerit, perfectiones *præsentes*, erunt ad imperfectiones remotive dictas, h. e. *ad* perfectiones *absentes* ut 70: ad 30. vel ut 7: 3. hoc est, in ratione dupla sesquitertia: Perfectiones *præsentes* ad *summam* omnium possibilium, ut 70: 100. vel 7: 10. hoc est, in ratione subsupertripartiente septimas: Imperfectiones *præsentes ad* possibiles *omnes*, ut 30: 100. vel 3: 10. hoc est, in ratione subtripla subsesquitertia. Si *plures* fuerint, sed *ejusdem generis* res, *quarum summus* perfectionum gradus *idem* est: utræque *seorsim*, ut modo vidimus, judicari; & quia ad eundem consequentem, vel antecedentem, ra-

tio-

tionis referri possunt, *mutuo* illæ quoque contendi queunt, uti notum est tyronibus Arithmethicæ. *Solas* igitur *eo casu* sive perfectiones attendere & conferre licet, sive imperfectiones utriusque.

§. 110. Sin illorum compositorum *idem summus* perfectionum numerus *non sit*, *duplex* comparandi ratio emergit: *Aut* enim *utriusque* rei perfectiones *simpliciter* contendis, & imperfectiones similiter; *aut facta* prius imperfectionum atque perfectionum *in singulis* rebus comparatione atque *compensatione*. Ut *specimen* habeas, suppone contendi priori *rem aliam*, cujus summa perfectio ascendat ad millenarium; adesse perfectiones primò octingentas, deinde sexcentas solum: Erunt imperfectiones priori casu ducentæ, posteriori quadringentæ. Itaque *perfectiones* §. 108. expensæ ad perfectiones, in secundo hoc casu obvias, erunt ut 70: 800. vel 7: 80. in ratione subundecupla subsupertripartiente septimas; In tertio casu, ut 70: 600. vel 7: 60., in ratione suboctupla subsuperquadripartiente septimas; similiterque *imperfectiones* illius paragraphi ad has, ut 30: 200., vel 3: 20. in ratione subsextupla subsuperbipartiente tertias, vel & in ultimo casu, ut 30: 400. h. e. 3: 40. in ratione subtredecima subsesquitertia.

§. 111. *Aliter* negotium habet, ubi, *facta* perfectionum atque imperfectionum in utroque *collatione ad summam suam*, totalis æstimii §. 109. moc-

comparatio instituitur: in primo enim casu §. 108. perfectiones exsurgunt $\frac{70}{100}$ vel $\frac{7}{10}$. in secundo $\frac{800}{1000}$. vel $\frac{8}{10}$. in tertio $\frac{600}{1000}$ vel $\frac{6}{10}$.

§. 112. Ex quibus omnino *intelligitur*, *posse* & *solere* imperfectiones negative dictas ita contendi perfectionibus, ut harum quantitate mensurentur; *adeoque* in æstimanda perfectione totius alicujus rei, numerus perfectionum atque imperfectionum illarum, hoc est, perfectionum præsentium atque absentium, collectus summam exhibeat perfectionem possibilem: cujus *deinceps* proportione perfectio illius rei in suo genere dijudicetur. Ita *vidimus* §. 110. majorem in *priori* casu imperfectionum numerum fuisse, quam in casu §. 108. 109. *Perfectius* tamen id *in suo genere*, octo enim decimas summæ suæ perfectionis partes complectitur; quam alterum, quod vix septem decimas suæ summæ assequitur. Ex adverso, majorem licet perfectionum numerum in casu §. 110. *secundo*, non obstitisse, quo minus *perfectio* casus §. 108. & 109. enarrati, *in suo* genere major sit; quoniam hic septem, ille sex tantum suæ summæ decimas partes attingit.

§. 113. Interim id certum est, *ubi res eandem summam* perfectionem possibilem agnoscunt: *Sufficere* etiam, ut perfectiones vel imperfectiones, quas hucusque consideramus, negative dictas, nondum facta ad summam collatione, contendas; idem enim utrobique

judicium erit. Ita si summam divitiarum in privato homine perfectionem illam statueris, quæ *Lentuli Auguris* fuisse dicitur, decem millionibus Imperialium æstimari solita; & *Crassum Senecæ*, contendere velis, perinde illud erit, sive illius quinque milliones immediate compares septem & dimidio hujus; sive illius defectum quinque millionum defectui duorum & dimidii hujus; sive exigendo rem ad summam *Lentuli*, dimidium ejus summæ, quod *Crassi* erat, ad tres ejus quartas, quæ *Senecæ* tribuuntur. Nihil opinor in hisce æstimationibus difficile, aut *inusitatum* est.

§. 114. In judicandis *imperfectionibus contrarie dictis* negotium videri posset intricatius: *Reducamus* illas quoque *ad priores*. Nimirum contraria metimur contrariis æque ac negativa positivis. Uti *privationum* quantitatem determinamus quantitate positivorum, qua ipsæ *ita* supplentur, *ut* positiva omnia fiant: Ita *contraria* metimur quantitate contrariorum, qua *sic* illa suppleri possunt, *ut* in privationes solas desinant; Hoc est, tantum e positivis tollimus, & ad privationes solas reducimus, quantum adest in universa summa contrarii. Si te male habet *enunciatio* difficilior visa: Attende, quod facilius est, *exemplo*. Perfectiones per *consensum* definivimus: Imperfectiones remotive dictas per *absentiam consensus*: Imperfectiones contrarie appellatas per *dissensum*. Esto *Senatorum viginti* collegium, cujus suffragiis deci-

dendum ſit, an Titius admoveri officio mereatur ? *Summa* electionis perfectio eſt, ſi *unanimi* omnium conſenſu fiat : *Imperfectionis* eſt, *negative* dictæ, ſi qui judicia *ſuſpendant*; *contrarie* appellatam imperfectionem illi inferunt, qui *diſſentiunt*, atque electioni repugnant.

§. 115. Quoniam in priori caſu §. 108. ſolas remotive dictas attendimus, placet *ſolas contrarie* dictas *hic* attendere, & tum demum utraſque mutuo conjungere. Sint igitur *Conſentientes* quindecim, *diſſentientes* quinque, nemo *ſuſpendens* judicium : Quæro, quantus ſit *totius* collegii in electionem conſenſus ? Vides, *mixtam* eſſe voluntatem collegii e conſenſu membrorum, & diſſenſu : *Ut* conſenſum tamen ipſius collegii *purum* obtineas, & quantitatem ejus determines, qua id ratione aggrederis ? Num ita rationes Tuas ſubducis ? Conſenſus *totius* Collegii *ſummus* eſt, cum *viginti* conſentiant membra ; ſed vero *hic* membra conſpirant *tantum* quindecim : *Deeſt* igitur conſenſus ceterorum *quinque*. Quodſi adeo illi quinque ſuſpenderent judicia ; foret, univerſi collegii conſenſus hoc caſu æqualis $\frac{15}{20}$. Sed vero *diſſentiunt* illi, non ſuſpendunt judicia : Minor adeoque conſenſus eſt totius collegii. *Ut* diſſenſum *reducas* ad ſuſpenſionem judicii : Num conſenſus *tantum* impendis , *quantum* adeſt diſſenſus ? Num tollis contrarietatem unius, atque ad *neutram*, ut ſic loquar, partem reducis, quando contrarii tantum illi ſupplendo

do impendis? Num debita ad nihilum reducis, cum paratæ illis pecuniæ tantum insumis, quantum erat æris alieni? Num frigoris gradum sextum reducis ad temperaturam, quando illi vincendo gradus caloris sex æquales applicas? Et quæ sunt infinita hujusmodi. Num igitur *supplendo dissensui* membrorum quinque, & reducendo illi ad statum, quo suspensioni æquipolleat judicii, sufficit, ut *quinque consentientes* a priori summa *subtrahas*? Ut adeo consensus *universi*, ut quæsivimus, *Collegii* fiat *æqualis* $\frac{10}{20}$. vel $\frac{1}{2}$. dimidio unanimitatis gradui.

§. 116. Fateor, me assensum exspectare Lectorum, quoniam *nihil a communi* æstimatione recedere mihi videor: Si in computanda demortui *hereditate* debita simul atque paratam uni summæ pecuniam inferas, & *viginti aureorum* millia æquare summam perhibeas; esse vero *debitorum*, (nova scilicet numerandi ratione) simul in summam cum parata pecunia collectorum, *quinque*: Nemo quisquam est, quin ita rationes subducat. Quinque millia æris alieni non sunt parata debitoris pecunia: igitur ad summam viginti millium *desunt quinque*; sunt paratæ pecuniæ solum quindecim. Sed vero priora quinque non desunt solum, sed *adest* etiam illorum *contrarium*: Itaque ut contrarium reducatur ad medium negationis, debitum ad nihilum, impendenda sunt contra-

trarii quinque millia. Totius igitur hereditatis viginti aureorum millibus designatæ æstimatio est $\frac{10}{20}$. *pecuniæ*, & $\frac{10}{20}$. *defectus*, *debitorum* nihil amplius.

§. 117. Constat vero ex hactenus dictis, *unum* contrarium æquipollere *duobus* defectibus. Nimirum, ubi contrarium perfectionis adest: ibi primo abest perfectio; habes defectum *primum*. Deinde, ubi contrarium est: Ibi reducendo contrario ad medium negationis, impendenda est una perfectio? habes igitur *secundum*, quem facta æstimatione contrarium infert, defectum. Illud tamen *memineris*, in substitutione duorum pro uno contrario defectuum, adhibendam esse *cautionem*. Ita si summus perfectionum gradus fuerit, ut antea, viginti; pugnent quinque; consentiant quindecim: *Non licet*, *eo sensu* perfectiones imperfectionibus conferre, ut dicas, perfectiones præsentes esse ad perfectiones absentes, hoc est, ad defectum perfectionum, æquipollentem contrariis quinque, ut 15. ad 10. Hoc enim modo perfectiones omnes forent 25. Et perfectio præsens ad summam possibilem, ut 15: 25. quam antea deprehendimus esse, ut 10: 20. Sed vero *hoc licet*: Contraria quinque æquipollent defectibus decem; sunt vero inter viginti, quorum consensus postulatur, repugnantes quinque; æquipollent illi deficientibus decem: Manent igitur totali æstimatione

 con-

consentientes decem. *Vel hoc modo:* Perfectiones omnes sunt viginti; contraria perfectionum in exemplo considerationi exposito, quinque; igitur defectus perfectionum sunt decem: Igitur perfectiones omnes possibiles, ad perfectiones hoc loco absentes sunt, ut 20: 10. igitur ad præsentes similiter, ut 20: 10.

§. 118. *Præmissis* illis, *in thesi* quidem, *difficile non* est, imperfectiones contrarie dictas reducere ad alteras remotive tales; atque in judicanda perfectione Totius compositi earum quoque momentum assignare. Dixi tamen, *in thesi* solum: namque in Hypothesi, & applicatione ad res sive naturales, sive morales, individuali plura deinceps postulabimus, quam præstare hominum est; saltim, ubi de rebus nonnihil compositis pronunciandum est determinate.

§. 119. Sed neque difficilior nunc ille casus est, quo *utrumque* imperfectionum *genus* rei ad judicium subeundum propositæ intermistum est. Sectabor brevitatem, ut ne Lectorem, in hac quidem theoria fatigatum, exuere patientiam contingat: Et faciam tamen, ut exemplum præcepti sit quoque assertionum §. 100. - - 103. indicatarum specimen. Nimirum *combinari* hoc casu *indicia* volo, & totam imperfeictionum negative dictarum Summam colligi, tum e numero illarum diserte indicatarum, tum & resultantium ex resolutione contrarie appellatarum in remotive tales. Sit denuo idem, quod ante, Collegium viginti

ti Senatorum: Quorum *sententias Ter* exquirere constitutum sit. *Prima* vice, *annuant* electioni undecim; *repugnent* quinque; *suspendant* judicium quatuor. *Secunda, consentiant* duodecim; *repugnent* quatuor; *suspendant* iterum quatuor sententiam. *Tertia, conspirent* in electionem senatores tredecim; *dissentiant* sex; unus *ambigat*. Si determinandum sit mihi, quo casu *consensus universi* Collegii (mixtus ille ex dissensu & suspensione judicii, & consensu membrorum diversorum) *major* sit? sequentem ex prioribus rationem iniri posse & debere arbitror.

§. 120. In *primo* quidem casu, suspensis quatuor suffragiis, ad neutram classem pertinentibus, deest consensus membrorum quatuor, ad perfectionem decisionis maximam, id est electionem unanimem obtinendam: Igitur imperfectionum remotive dictarum sunt 4. Ex reliquis sedecim dissentiunt quinque, qui totidem consentientibus collati eorum consensum reducunt ad suspensionem judicii, per §. 116. eoque dissensu suo inferunt defectus decem. *Manent* igitur, facta compensatione, consensus = 6. defectus consensuum in toto = 14. In *secundo* casu, suspensis quatuor sententiis, id est, defectibus quatuor, accedunt per dissensus quatuor, defectus similes 8. *Manent* itaque consensus Totius Collegii = 8; defectus collecti erunt = 12. In *tertio*, suspenditur una tantum sententia, deest igitur eo argumento

perfectio una; sed dissentiunt sex, æquivalentes per §. allegatum, suspendentibus duodecim: Itaque consensus *totalis erit* = 7. defectus consensus = 13.

§ 121. *Vides* perfectionem vel consensum in toto, *majorem* esse *tertio* casu, *quam primo*; etsi plures in tertio imperfectiones contrarie dictæ, sive dissensus fuerint ante comparationem: Potest igitur evenire, ut compositum perfectius sit, quod plures altero imperfectiones habet contrarie dictas. *Vides* porro perfectionem in *secundo majorem* esse, *quam* in *tertio*; etsi plures in secundo imperfectiones negative dictæ adfuerint ante comparationem: Potest igitur accidere, ut compositum perfectius sit quod plures altero imperfectiones remotive dictas habet ante reductionem contrariarum ad negativas. *Vides* denique, exemplo *secundi* casus, perfectionem in illo *maximam* esse, in quo imperfectiones remotive dictæ, post factam contrariarum in negativas reductionem, minimæ sunt: Non potest igitur fieri, ut inter duo composita, quorum idem summus est perfectionis gradus possibilis, perfectius illud sit, quod facta æstimatione totali, & consequenter reductione modo memorata, plures continet imperfectiones remotive dictas. *Primum* consentit paragrapho 103. *Tertium* paragrapho 102. *Secundum* ostendit limitationis, in illam thesin introductæ, utilitatem simul atque necessitatem.

§. 122.

§. 122. Ita, nisi fallor, *præcipua* persecuti sumus, quæ in posterum de perfectionibus meminisse juvabit. Obiter illud admoneo. Ne quem male habeat, *ad numerum* me attendere *solum*, non gradus quoque consensuum; cum sane major consensus sit, si v. g. adversarii quoque Titii in exemplo nostro consentiant; dissensus gravior, cum & agnati repugnent, aut familiares ejus: Sciendum est, quoniam in generali solum explicatione versamur, non in applicatione speciali; supponere nos æqualitatem consensuum, eoque ad solum numerum attendere. Si *graduum* quoque *rationem* habere velis, *illud* Tibi *artificium* commendavero, quod in simili negotio vir judiciosissimus *Jac. Bernoullius* probat. Disquirit ille, inter plures casus possibiles, quorum aliqui faveant Tibi, adversentur alii, utrum probabilius sit, obventurum Tibi favorabilem, an odiosum? Si æque faciles sunt casus illi omnes: ad numerum utriusque generis attendimus. Sin minus: Jubet *facilitatem* converti *in numerum*, ut casus duplo facilior, quam reliqui, habeatur pro duobus æque facilibus. v. *Ejus Artem Conjectandi* P. IV. c. III. p. 219. Illud nescio, an operæ pretium sit indicare: Nosse me, consensum in Collegiis ex numero annuentium ita æstimari, ut immediate contendatur numero dissentientium, nullo habito ad illos respectu, qui judicia sponte, aut ex Legum constitutione suspendunt &c. Sed

vero *Metaphysicam* consensus in Collegio totalis æstimationem quæsivimus, *non politicam*. *Illa* pertinet ad judicanda rerum momenta: Consuetudine *hæc*, aut voluntate determinatur eorum, qui societatem vel collegia instituunt; Diversamque eam esse pro arbitrio Auctorum satis constat.

§. 123. *Generaliter* illud ex dictis *conficere* opportunum judico. *Si quis* de re composita ex ejus ipsius facta consideratione, non aliunde tantum admota illatione, *judicare* instituat, an illa *summam* in *suo* genere possibilem perfectionem contineat? Necessum esse, ut 1. in *unaquaque* illius parte, *seorsim* spectata, *simplices* illius perfectiones possibiles *omnes*, cum *gradibus* suis, (sive in se consideratis, sive in numerum resolutis ex §. 121.) distincte intelligat; ut 2. earundem, modis possibilibus *omnibus* inter se *combinatarum*, atque permutatarum, convenientias omnes, *defectus*, atque *repugnantias* exquisite pernorit; ut 3. singulas *defectuum*, & *exceptionum* possibilium moderationes, temperationesve, verbo, *modos* excogitabiles *omnes*, nullo excepto, præsentes animo sistat; ut 4. *totalem*, emergentis in *singulis* exceptionum & defectuum casibus, *perfectionis* & *imperfectionis* in composito *gradum* exactissime dimetiri possit; ita enim fiet, ut, 5. *illum*, quem in singulis compositis possibilibus deprehendit, gradum perfectionis totalem *conferendo*, *maximum* possibilem e cete-

ris

ris secure *dignoscat.* Si in eorum *aliquo* deficiat: *impotentiam* fateatur suam, *neque* ex mutila rerum comparatione, aut particularum quarundem minutularum consideratione tumultuaria, præcipitatum de universo composito *judicium* temerarius *edat.* vide, si placet, Sectione hujus dissertationis prima §. 27, & secunda §. 99. 100.

§. 124. Denique non potes non animadvertere, quoniam ea *omnia* in æstimatione hic exposita colligimus, quæ *utcunque ad compositum* illud præstandum pertinent: Non *fines* solum, sed & *media* attendi; adeoque non *opus* solum, ab operandi ratione sejunctum, sed opus præstitum *cum præstandi modo*, & *quæstionibus* in universum *omnibus*, & quocunque *illud* modo *afficientibus*, aut denominantibus, spectatum. Ita novam e discursu *Ambiguitatem* elimino, qua videri posset, *differre* etiam sensu & momentis rerum illas in hoc negotio *locutiones*, si dixeris, compositum aliquod perfectissimum, & *optimum* fieri, vel, compositum illud *optime* fieri; quasi *in judicanda summa* alicujus rei perfectione distinguerentur assertiones, si dixeris, non posse rem *melius* fieri, aut, non posse illam *meliorem* fieri. Certum est, *ubi* rem *eandem diversis* exhiberi posse *modis* arbitramur, *posse* fieri, ut *alter* altero *melior* sit & optabilior: Atque illo quidem sensu res eadem, etsi non fiat melior hoc, quam alio modo, potest tamen fieri melius. Aliquando etiam illa res non potest fieri melius, sed pos-

ſet ejus loco melior fieri. Neque igitur illam diſtinguendi rationem vilipendo, cum *utilis* eſt.

§. 125. Quoniam vero *accuratiſſime* loquendo *eadem* res diverſis obtineri modis aut operationum methodis *non poteſt*; cum ſemper effectus exquiſite reſpondeant operationibus cauſſarum; *In noſtra* autem cauſſa omnia, etiam utcunque minutiſſima, attendi oportet §. 122: Manifeſtum eſt, in judicanda ſumma rerum perfectione, cum de optimo compoſito ſermo eſt, illam quidem diſtinctionem non juvare negotium. Si difficilior hæc ratio videatur Tibi, quoniam forte ſubdubitas, annon res exquiſite eadem diverſis obtineri modis poſſit? *Facilius hoc habe.* Cum de optimo quærimus opere artificis, *utrumque* ipſa quæſtione conjungimus, rem productam, & producendi modum; namque etiam illud *in artifice defectum* arguit, *ſive* is optimam rem non optimo modo præſtare; ſive optimo quidem modo agere, ſed non optimam, quam poteſt, rem perficiendam eligere inter plures, ipſius optioni expoſitas, ſine cauſſa ſtatuatur.

§. 126 De Perfectionibus igitur iſta: Suppoſui § 82. & ſqq. ubi ſimplices inter ſeſe perfectiones pugnent, *impoſſibile* eſſe, ut locum in compoſito omnes obtineant; eoque faciendam eſſe exceptionem, quam diverſis quidem modis poſſibilem eſſe, deinceps obtinui. Sequor hactenus *communem Philoſophorum* omnium

um in definienda possibilitate rerum, & impossibilitate *conceptuum*: Adeoque nihil necessum fuerat, de significatu ejus vocabuli Lectorem admonere. Quoniam tamen *& illæ voces*, nimium divites sensuum, haud raro in materiam sive ambiguitatibus miscendis, sive movendis difficultatibus accommodam transeunt: Itaque & illas hoc loco definitiones percensere, & earum Corollaria interspergere consultum judicamus.

§. 127. Equidem *possibile* & impossibile *diversis* aliquando *significatibus* & inæqualiter fortibus dici, notissimum est omnibus: Posse illos tamen *ad classes* reduci aliquas, facile attendentibus liquet. *Universalis* Eruditorum omnium hic *consensus* est, *accurata* locutione, *illud omne*, & *solum*; esse & dici possibile, quod nullam in sese repugnantiam involvit; cujus prædicata essentialia sibi mutuo non contradicunt; in cujus ideam non ingrediuntur duo aut plura, quorum alterum ait, negat alterum eodem modo. Ridiculus forem, si auctores allegare susciperem: Nemo est Metaphysicus, quin ita possibilitatem definiat. *Neque refragor* ego definitioni receptæ, tanquam *nominali*; quæ criterium exhibeat possibilitatis, proprium illud, & perpetuum, reciprocum & infallibile. *Utut* enim, meo quidem judicio, *præliminarem* aliam sententiam definitio *supponat*, illam videlicet, quod existant vires, & potentia cujusdam entis infinita, sive tanta, quanta concip

maxima poteſt: Non tamen id vitio vertam philoſophis, præſupponere illos, quod in confeſſo eſt.

§. 128. Cetera, ſi *realem* illam hoc ſenſu *definitionem* arbitreris, *ut* generationem poſſibilitatis, ſive *originem* ejus animo *exhibeat*, fatebor, *aliam* mihi definitionem arridere. *Ita* enim *poſſibile* illud *voco, cui* præſtando vires alicujus cauſſæ exiſtentis ſufficiunt. Nimirum illud fieri non poteſt, eſtque adeo impoſſibile, quod ſufficientem ſui rationem in nullo ente exiſtente habet: Poteſt fieri, cuicunque exhibendo ſufficiens inter res exiſtentes ratio deprehenditur. Dixi autem, *præſtando*, vel, exhibendo, ut ſimul illa complecterer, quæ efficientem proprie loquendo cauſſam non habent, etſi principium & rationem ſui ſufficientem in ſeipſis, aut in alio agnoſcant.

§. 129. Accidit aliquando, ut *alteram alteri* definitionem *præferam*. Si *Originem* inquirere poſſibilium in animum inducam, *ſecundam* eligo, ut innoteſcat, fundamenta poſſibilium contineri in aliquo exiſtente. Placet argumentum & ſententia *Ill. Leibnitii* in Theodicæa §. 184. " Omnis realitas debet fundari in aliquo exiſtente - - Sine DEO, non ſolum exiſtens nihil eſſet, ſed neque poſſibile ". Atque in Principiis Philoſophiæ §. 44. " Opus eſt, ut, ſi quid realitatis in eſſentiis, aut poſſibilitatibus, aut potius in veritatibus æternis fue-

fuerit, hæc realitas fundetur in aliqua re existente & actuali &c. „. *Quid enim?* Si nihil existeret, fieri aut produci nihil posset: Ut igitur fieri aliquid aut produci possit, necesse est, rationem id suam in aliquo existente habeat, & sufficientem illam, sive tantam minimum, quanta ad illius existentiam præstandam requiritur.

§. 130. Arbitror, hanc semitam esse, qua medius ire *inter duo extrema* possim. Transeo *Scholasticos* ex uno, *Cartesium* ex altero latere. *Illi* quidem, cum ad solam prædicatorum essentialium *non repugnantiam* attenderent, facile animadverterunt, concipi illam posse, etsi nihil aliud præsupponas: Adeoque & *ipsum* illud, quod in possibilibus concipimus tanquam *non repugnans* ab alio omni independens rati sunt; possibilitatem illam *intrinsecam* appellantes, quasi per seipsam res habeat, ut sit possibilis: alterum vero respectum, quo fundamentum tamen possibilium, adeoque realitas & genesis continetur, interpretati sunt *extrinsecum*. *Iste* vero, cum & essentiis necessariam sui rationem aliquam esse pervideret; DEO illas rectissime subjecit, nisi quod voluntatem miscuit intellectui, potentiæ & essentiæ; In *principiis* quidem generaliter locutus *Parte I.* §. 24. verbis: " DEUS solus omnium, quæ sunt, aut esse possunt, vera est caussa „; In *Epistolis* confudisse distincta videtur Vol. I. Epist. 112. & Vol. II. Epist. 104. Recta

cte enimvero asserit dependentiam quoque possibilium & veritatum æternarum a supremo ente, & cognitione ejus: Voluntatem saltim atque intellectum, decretum libere constitutum & cognitionem discernere; quam, posita quasi & repetita sequacibus cautela, confundere præstitisset. *Obiter* hæc, & in transitu tantum admoneo: Judicent Lectores tamen, an *ille* sibi viam destinato quasi consilio obstruxerit, qui adversario, distinctionem nostræ similem inculcanti, & possibilitatem a DEO sane, & essentia ejus, non tamen ab indifferenti arbi„trio repetenti, diserte respondit: " Sciens & „volens hic vitilitigatur inaniter. Scivit „enim bene, me hic loci pro æquipollenti„bus habere τὸ *à se* non esse, & τὸ *libero* DEI „placito esse constitutum; sive, quod eodem re„cidit, τὸ à se esse, & τὸ libero DEI placito „non esse constitutum „.

§. 131. Vides, *ubi secundum* primæ definitionem anteponam; & quo fructu illam liceat attendere? *Primam* & receptam illis deinde casibus *antefero*, cum sermo est, de cognoscenda, *in applicatione*, rerum possibilitate aut impossibilitate. Facilius hoc criterium est, si attendas ideæ rei distinctæ, & completæ, &, quantum fieri potest, adæquatæ: An ejus naturam aliqua ingrediantur, quæ mutuo sese excludant, eoque viribus combinari nullis possint; quoniam ipsæ sibi resisterent, atque alteræ id ex effectu delerent, quod inferrent

al-

alteræ. Atque *hanc* reor *caussam* esse, quare *illam* philosophi definitionem universaliter usurpaverint: *Frequentior* enim hic *usus* est, & latius patet, quam alter ille de prima possibilium origine, metaphysicus solum; etsi & ipse præstans, & intelligendæ rerum omnium a Divino Numine origini atque dependentiæ idoneus. Possent etiam hoc intuitu *Corollaria* haud pauca inferri: Sed vero id nimium puto in præsenti quidem instituto. Aliud est, quod silentio hic involvi non debet.

§. 132. Non dubito, fore haud paucos, qui *mirentur alterutrum*: Dissidium a recepta definitione meum §. 128. indicatum? Aut introductam §. 129. utriusque considerationis mixturam? Sed facile est, id offendiculum e via tollere, & confusioni in posterum omni occasionem præcidere. *Differunt* definitiones quidem *formaliter*: Sunt *coëxtensæ* tamen *materialiter*; *si* potentiam, ut supra dixi, infinitam *supposueris*. Methodo igitur *discrimen* debui: *Combinationem* do facilitati legentium & usui. Quid differant enarratæ definitiones, me non admonente, per superiora ipse intelligis. *Absoluta est* secunda definitio: Prima est *hypothetica*; neque enim ideo res est possibilis, quod repugnantiam in sua idea nullam involvat, *nisi* vires existere infinitas animo præconceperis. Secunda *generica* est & realis; prima *nominalis*: *Essentiam* adeoque illa; hæc exhibet *characterem* possibilium. *Esse* illas tamen, facta potentiæ

immensæ ſuppoſitione, materialiter, ut dici ſolet, *easdem*, eſſe *coëxtenſas*, eſſe in applicatione ad rem aliquam præſentem *æquipollentes*, ſequenti quidem trilemmate facile oſtendero.

§. 133. *Aut* illæ *vires*, quas infinitas, eoque omnium, quæ cogitari poſſint, maximas ſuppono, *ſufficiunt* producendis illis *omnibus* & *ſolis*, quæ repugnantiam haud involvunt: *Aut non* ſufficiunt *omnibus*: *Aut* ſufficiunt etiam *pluribus*, hoc eſt, illis quoque præſtandis pares ſunt, quæ contradictionem in ſeſe continent. Apparet, *plures* fieri ſuppoſitiones non poſſe. *Poſtrema* repugnat ideis omnibus, namque infert vires illas, etiamſi contra ſeſe invicem applicatas, & reſiſtentes mutuo, producere effectus tamen, atque idem aliquid in effectu ſimul exiſtere & non exiſtere. Foret hæc *generalis ſpongia*, qua cognitionem humanam omnem, & ſcientias uno ductu abſtergere animis univerſas liceret: Eliminanda igitur hæc eſt e circo ratiocinationum humanarum. Si *ſecundam* velis, non ſufficere ſuppoſitas vires, præſtandis illis omnibus, quæ contradictionem non involvant: Poſſunt vires cogitari, quæ non illis ſolum exhibendis pares ſint, quibus & ſuppoſitæ ſufficiant, ſed præterea quoque pluribus, ſive omnino omnibus illis, quæ contradictionem non comprehendant; igitur priores non fuerunt omnium, quas concipi datur, maximæ, eoque nec infinitæ, quoniam ex aliqua ſaltim parte limitatæ. Atqui

id

id in suppositionem peccat : Igitur admitti non potest. *Manet primum* : Sufficere vires infinitas præstandis illis *omnibus* & *solis*, quæ non repugnent.

§. 134. *Perinde* igitur est, *quoad rem* ipsam, utram e duabus definitionem usurpes : *Licet* etiam, *ut* illam *eligas*, quæ instituto unicuique est accommodatissima; fieri enim potest, ut ex altera brevior sit ad conclusionem requisitam via, longior & impeditior ex altera. *Utramque* ipsi adhibebimus, æquipollenti sensu, & æqualiter accurato, etsi alteram ab altera dependentem, & *nostram* quidem Scholastica illa *priorem* arbitremur. Aliter Scholæ existimarunt: Sed facile negotium est. Qui repugnantiam vel non repugnantiam prædicatorum essentialium inquirit: Ille *prædicata supponit*. *Realia* illa? An *secus*? Si *postremum* eligas, durum id & crudum consequens erit, ex prædicatis non realibus inter sese combinatis rem exstrui. Si *primum*: Cedo fundamentum realitatis, etiam metaphysice talis, in aliqua re existente, per §. 129. hoc est, *agnosce* facilis, *præsupponi* vires alicujus existentis, exhibendæ rei, prædicatis illis designatæ, pares.

§. 135. *Quorsum* ista tam prolixe? Scio quid confusi de rerum possibilitate conceptus noceant: Igitur *hoc ago*, *ut*, quantum fieri potest, & Systemati nostro sive intelligendo, sive vindicando necessarium erit, *distinctas possibilium*

exquisito sensu dictorum *ideas* propine
ctoribus. Tales autem illas arbitror,
velis possibile vocare, quod nullam i
repugnantiam complectitur; impossibile
continet: Sive, altera phrasi, possibile id
cui exhibendo sufficiunt vires existentis
jus rei, saltim infinitæ; impossibile, cu
ducendo nullæ vires sufficiunt. Si e
ubique ideas sectarentur Eruditi, ce
utique difficultates haud paucæ. Su
vero possibilium *acceptiones*, minus
priæ illæ quidem, sed tamen frequentat
ptoribus. Eas igitur *exponere* nostrur
ne noceant: *Non usurpare* tamen, saltir
sine monito & cautela.

§. 136. Accidit aliquando, ut non s
Auctoribus, attendere ad res in sese sin
neque ad solas caussæ efficientis vires,
rum ad præstandos effectus sufficientiar
volvunt negotio *considerationes* simul alias
positionibus caussæ sumtas, attributis præ
moralibus in efficiente principio obviis;
haud raro e classibus producendorum
ditur, quod sua natura, & per sese spect
aut ad vires tantum effectui exhibend
cessarias collatum, omnino producibil
que & possibile ipsi dixissent. Vis *Exe*
rei? Rempublicam existere ineptis vitiata
gibus, non implicat *in sese* repugnan
neque implicat, *institui a DEO* aliquam
civium vitio *degeneret*, & imperantium

legibus etiam idololatricis inquinetur: *Implicat* tamen, *a DEO* aliquam *ita condi*, ut in ipsa constitutione Leges vitium complexæ ab illo intermiſceantur. *Num*, quod Leges ejusmodi exiſtere non poſſint, interna intercedente repugnantia? Contrarium modo vidimus. *An*, quod potentia non ſufficiat divina producendo illi reali, quod in Legibus, vitioſis licet, includitur? Atqui poteſt ipſe plura, quia bonis Legibus ordinatam inſtituere potuit. *Quid ergo? Repugnat* ſanctitas illi actus *limitationi*, qua vitium includitur: Poteſt utique id bonum perficere, quod in inſtituto illo comprehenditur, non poteſt bonitatem intra tam arctos conſtringere limites, ut defectum illi ſuppoſitioni admixtum non expleat. Atque hoc ſenſu dicimus, quod *impoſſibile* ſit *mentiri DEUM*: Non ſane, quod potentia excitandis illis ideis, aut producendis verbis, falſo gravidis, non ſufficiat; majorem ipſe mortalibus communicavit: Sed, quod adverſum ſit ſanctitati ejus, limitare usque eo virium applicationem, ut in ipſa illa vitium intercurrat.

§. 137. Atque ita fieri poteſt, ut *res in ſeſe poſſibilis* ob accedentes diſpoſitiones cauſſæ contrarias, conſiderationes præcipue morales, *deduci* in actum aut *non debeat*, aut *non poſſit*, habito ad illas reſpectu. Fuerunt, qui primam impoſſibilitatis ſpeciem, §. 127. explicatam, dixere *Metaphyſicam*, quoniam ad ipſas rerum

naturas & eſſentias eo caſu attendimus: Secundam hanc *moralem* appellarunt, ſenſu vocis, uti arbitror, tum *indicativo*, tum *diminutivo*; *illo* quidem, ut fontem oſtenderent, unde ſcaturiat iſthæc impoſſibilitas; *hoc*, ut improprie dictam indicarent, & minus rigidam. Malo *vocibus* abſtinere *ambiguis*, quoniam moraliter impoſſibile dicitur multiplici ſignificatu, dum aliis rem difficilem ſignificat, aliis illicitam, aliis ex reſpectu cauſſæ efficientis morali impoſſibilem, & ſic porro. Ut loqui tamen diſtincte liceat, alteram *abſolutam* vocabo, *reſpectivam* alteram: Siquid in ſeipſo pugnans deprehendero, id *abſolute* dicam impoſſibile; Siquid fieri non ſine culpa poſſit, ſi indignum DEO fuerit, *reſpectu* ad divinas perfectiones morales habito, eoque rebus ipſis & potentiæ in ſe ſpectatis *extrinſeco*, impoſſibile dici hactenus admittam.

§. 138. *Duplex* vero etiam hîc *reſpectus* intercedere poteſt. Aut enim *ipſum in ſeſe opus* ita comparatum eſt, ut, etiamſi ſolum divinæ electioni propoſitum concipiatur, divina illud ſanctitas, bonitas & ſapientia non poſſit non abnuere & averſari; cujusmodi foret, mendacium dicere, iniquo creaturam judicio ſubjicere &c. Aut eligi illud *in ſeſe* ſpectatum a divina quoque ſanctitate, bonitate & ſapientia *poſſet* ſine macula, ſi ſolum conſideretur; *non* poſſet *vero*, dum, *in colliſione cum* altero *perfectiori* ſpectatum, ſua poſitione illud a divi-

na

na optione excluderet. Ita non dubito ego quidem, obversari *plura* divinæ libertati objecta ejusmodi, *quæ* sigillatim spectata *neque* repugnantiam involvant internam; *neque* adeo vires excedant divinas; *neque* divinæ bonitati, sanctitati aut sapientiæ maculam producta inferrent: *Quæ tamen* in collisione mutua, cum e pluribus unum eligere DEO decens est, ab illo demum *duplicato* respectu accedente, a divina e ceteris optione, in eorum favorem determinanda, sic excludantur, ut sapienter eligi, hoc est, a DEO eligi, non possint. Loquor aperte, quoniam nihil metuo, *tantam* divinæ sapientiæ vim tribuere, ut impossibile sit, DEUM agere, quæ non conveniat.

§. 139. Sunt *inter homines* ipsos *exempla*, illius *respectivæ* impossibilitatis umbram referentia. Rectorem Civitatis, Virum omnino gravem & sapientem, neque illum morbi violentia mente motum, discursare nudum & nugantem per Urbis compita, impossibile est: Non quasi repugnaret, ineptire homines, & agere turpia, Cynicorum exemplo; neque quod ambulandi vires desint; sed quod morali ejus Viri prudentiæ & pudori factum dissonet. Habes exemplum *primi casus*, quando ipsum in sese opus sapientiæ adversatur. Accipe alterum generis *secundi*: Imperare Civibus operas, ad faciendos v. g. aquæ ductus, ad restituenda aut amplianda ædificia publica, etsi nullum in aliquali mo-

ra periculum fit, id quidem nec in ſeſe eſt factum impoſſibile; neque ultra Rectoris poteſtatem aſſurgit; neque adverſum eſt ſapientiæ, ubi ſolum conſideras: Sed vero imperare illas, cum ſementis facienda, aut colligenda meſſis eſt, peritura, niſi feſtinent agricolæ; illud, vel *Confucii* ſententia, fieri ſapienter, aut tanquam a ſapiente non poteſt. Sunt obvia ubique exempla hujusmodi. Eſt impoſſibilitas illa tamen haud paulo *laxior*, cum de homine ſermocinamur.

§. 140. *Adſtringitur* illa, ubi ad divinum Numen, immobiliter ſanctiſſimum, transferri dicta contingit: Ut enim *differat* etiamnum ab impoſſibilitate abſoluta, neque eandem, ut poſtea docebitur, *neceſſitatem in effectu* ipſo inferat; certitudinem tamen, & *infallibilitatem* effectus nihilo minorem generat. Nimirum, quod homines non debent, id DEUS non poteſt, indecens aliquid, aut imprudens admittere. Non impotentiam id arguit: Ideoque poſſibilitatem facti *abſolutam* non tollit; tollit *reſpectivam*, adhibito reſpectu aliquando ſimplici, aliquando duplici, *utroque* in propria vocis ſignificatione alieno & extrinſeco. Alter ex attributis cauſſæ efficientis moralibus ſcaturit; cum in geneſi poſſibilium ad vires proprie, & earundem ſufficientiam attendi oporteret ex §. 128. *Alter* ex colliſione objecti cum aliis ſui generis perfectioribus aut imperfectioribus; cum in abſoluta, & rigide dicta,

&

& philosophis hucusque omnibus uniformiter definita, possibilitate solas in sese res spectari, & prædicatorum essentialium non-repugnantiæ considerari soleant.

§. 141. Possem, nisi fallor, inniti sine culpa, recepto inter Eruditos sensui: Malo tamen & id adjungere, *recte* illos suæ considerationi inhærere, & pertinere illam ad præsens institutum, non alteram §§. 136. seqq. expositam. De possibilitate rerum vel impossibilitate disquiritur *eo fine*, ut intelligatur, an plura DEO possibilia sint, quam faciat? Quis verbi sensus est? *Num ille*? An DEUS omnia efficiat, quæ repugnantiam non involvunt? An omnia actu ipso præstet, quibus præstandis vires ejus infinitæ sufficiant? Aut, an potentia extendatur amplius, quam voluntas creandi, & potentiæ applicatio? *An iste* quæstioni sensus est? Num sapientiæ id & bonitati divinæ congrueret, si plura efficeret, vel alia? Vix arbitror, *postremum alicui* sensum obversari, ubi quæstionem audierit superiorem: *Potius unumquemque* ita rem intelligere, ut attendat, num potentia sufficiat divina producendis pluribus & aliis rebus, quam producit; non sane, an plura fieri velit aut suadeat divina bonitas & sapientia? *Impropriæ* igitur illæ locutiones sunt, quæ ex sapientiæ respectu *transferuntur* ad appellationes potentiæ: Et magis etiam, *si res* illas, de quarum possibilitate sermo cæditur, non in sese ipsis spectare, sed *in-*

vicem collisas ad ſapientiæ deciſionem contendere ſuſcipias.

§. 142. Videtur autem expeditas poſthac vias fore, poſtquam ſingulas acceptiones *ſuis* diſtinčte *claſſibus* aſſerui. *Quatuor* illæ ſunt; quas ubi ſolicite ſemel diſcreveris, difficile erit ambiguitatem tuæ Poſſibilium theoriæ amplius inferre. Si qui illas nolint diſtinguere, aut ſeparatas iterum confundere moliantur: Per me quidem, ingenio illi ſuo fruantur; viderint tamen, ut ne *Abelardo* ſimilia tradant, aut *Diodoro Stoico* conſentanea admittant, & quæ ſunt ſimilia. Peccaſſe illos ex hac parte, & *Hobbeſium*, multo alioquin duriorem, alicubi tamen & hoc titulo falſum eſſe, non ignotum eſt Eruditis, earum rerum curioſis. Utcunque illud ſit, *in rigore* id dico *poſſibile* 1. quod nullam in ſeſe repugnantiam complečtitur; 2. cui exhibendo aut producendo vires ſufficiunt divinæ: *extenſo* amplius ſignificatu, etiam illud 3. cui vires applicari divinas in ſeſe ſpečtato congruit; & 4. cui, ceteris licet ſui generis aliis comparato, & colliſo etiam, applicari divinam potentiam convenit. Manifeſtum eſt, utrumque poſteriorem ſenſum eſſe *anguſtiorem* prioribus, quoniam illos ſimul involvit. *Contrarium* igitur obtinet in contrario: *Accurate* illud *impoſſibile* voco, 1. quod in ſeipſo pugnantia involveret; 2. cui præſtando nullæ vires ſufficerent: *Laxiori* vocabulo, & diminutive accepto, ſiquis vocem illam

lam postulet, dicat mea pace, id esse respective impossibile, 3. cui præstando vires divinas applicari incongruum sit, etiamsi solum in sese opus spectetur, 4. cui vires illas, in collisione plurium & ad exclusionem usque meliorum, applicari indignum sit, & DEO impossibile. *Minui* in ultimis sensum, ut augebatur antea, apertum est: Namque *illic* contentæ erant in posterioribus significationes priores, *hic* exclusæ sunt.

§. 143. Est aleæ plenum opus, si *conciliare dissentientes* nitaris: Ut tamen aliquis dictorum usus hoc loco appareat, fortunam periclitari in animum venit. Si nihil obtinuero: Fata conciliatorum haud ægre feram, prævisa nimirum. Vidimus aliquando, *Eruditos* postulare, ut in judicanda rerum possibilitate *ad caussas* quoque *efficientes* fiat attentio: Sed *reniti alios*, non minori molimine. Num forte accidit, quod *sæpe* solet, ut veritas *utrinque*, sed *diversis* sui partibus, adsit? Arridet Ingeniosissimi *Fontenellii* dictum, quod forte mentem scribentis subit: " Il y a toute apparence, qu'ils sont tous deux (loquitur de controversia Physico-Anatomica) dans le fond du même avis, quand même ils ne le croiroient pas „ *Leibnitius* quidem in *Theodicæa* diserte propugnat §. 235. " Ubi de rerum posſibilitate quæratur, non agi de causſis, quæ aut efficere aut impedire posſint, ut actualiter illæ existant;

mi-

mutari eo facto terminorum naturam, & inutilem reddi diſtinctionem actualium atque poſſibilium: Ita feciſſe *Abelardum*, & *Wiclefum* videri veſtigia ſecutum; utrumque ea re & præter neceſſitatem incidiſſe in locutiones incommodas, & offenſionum plenas. Itaque ſi quæſtio ſit de poſſibili & neceſſario, atque illi tamen involvatur conſideratio ejus, quod „velit DEUS, aut eligat, mutari eo ipſo quæ„ſtionem &c. „

§. 144. Sed vero, ut breviter dicam, *omnem efficientis* cauſſæ conſiderationem hoc loco *excluſam non* velim; tolerari aliquam poſſe & debere, infero ex illa Leibnitii theoria, quam ſuperius expreſſimus §. 129. deſumtam ex Theodicæa §. 184. *Ego quidem*, in judicanda rerum poſſibilitate, etiam proprie dicta, ſive abſoluta, *admitto reſpectum efficientis* cauſſæ, ſaltim *infinitæ*, *quoad vires* & potentiam ſpectatæ: *Abnuo* autem *reſpectus*, potentiæ *extrinſecos*, voluntatis nimirum, & perfectionum rei moralium, & quicquid ſufficientiæ virium non involvitur. *Quantitatem* virium in *finitis* quoque cauſſis attendi, cum de earum effectibus, atque operibus per finita producibilibus, ſermo eſt, *non recuſo*: Diſpoſitiones *ceteras* omnes ſimul attendendas eſſe, &, ubi illæ effectui cuidam producendo, etſi viribus non majori, adverſentur, perfectam illius rei impoſſibilitatem concedendam eſſe, id, poſtulanti licet *Hobbeſio*, abſolute *abnego*.

§ 145.

§. 145. Vis caussam discriminis? Possibile nihil est, nisi existat aliquid, in quo sufficiens illius ratio aut fundamentum præsto sit; fieri enim sine ratione aut principio nihil potest: Igitur *hoc sensu* caussæ, aut *principii, generalis* consideratio *necessaria* est; specialis non est: Necessaria est, *quoad sufficientiam* virium; quoad congruentiam aut præparationem applicationis virium non est. *Neque* adeo *voluntatis respectum* involvere possibilitati conveniet: Saltim, ubi id feceris, pronum est in ambigua delabi, & sive paradoxa asserere, sive tueri absurda. *Ecquis ferat*, hominem ita argutantem: "DEUS non potest facere, nisi quod vult facere: Quicquid vult facere, facit: Igitur non potest facere, nisi quod facit: Igitur possibile nihil est, quod non fiat: Igitur æque late patent possibilia & actualia, in præsenti quidem, præterito & futuro spectata „. Atque iterum: "Quicquid conveniens est, velle DEUM, id vult: Quicquid vult, facit: Itaque inconveniens est, quicquid non facit: Quicquid inconveniens est, non potest velle facere: Itaque nec potest facere: Facit itaque, „ quantum potest: Possibilia itaque & actualia „ æquipollent „.

§. 146. *Talia* sunt *Abelardi* tela: *Plumbea* profecto, & indigna milite Philosopho; Scholastico præsertim & subtili! *DEUS non potest facere, nisi quod vult facere*: *Recte* id quidem *hoc sensu*: DEUS non potest vires suas alicui rei

pro-

producendæ actu ipso applicare. *nisi velit* eas applicare; *non recte illo*, DEUS non habet vires effectui præstando pares, nisi illas eidem actualiter producendo adhibere velit. Non arbitror negari posse, quod virium paritas *sufficiat* ad judicandas rerum possibilitates? Eoque integram a principio catenam dissolvi. Si dubites, an proba hæc solutio sit, fac, amabo Te, illam mihi gratiam, & *substitue declarationem vocibus* ambiguis. Dic, quanta argumento vis persistat, ubi sic exponitur: „ DEI vires & potentia non sufficiunt, nisi faciendis solis illis, quibus actualiter illas applicare decrevit: Quibuscunque rebus illas applicare decrevit, illis applicat quoque: Igitur non sufficiunt, nisi illis tantum rebus, quibus actu illas applicat: Igitur possibile nihil est, nisi quod fiat „. Quis *primam* Tibi propositionem concesserit?

§. 147. Si miserum hoc modo argumentum ipsi Tibi videbitur, *verte* id in *alteram* formam, & adhibito sensu altero, sic argue: " *DEUS non potest facere, nisi quod vult facere*, hoc est, non potest ipso actu applicare vires suas ad aliquid producendum, nisi illas eidem præstando applicare velit; Sicui & cuicunque eas vult applicare, illi applicat: Igitur non potest actualiter applicare, nisi quibus applicat: Igitur nihil est possibile, quod non fiat „. Num *hiatus* animadvertis, *binos* sane & haud parvos? Non potest applicare, nisi velit, sed non vult,

er-

ergo non potest; *nihil sequitur.* Non possum ambulare, nisi velim; Sed non volo; ergo non possum! Atque *iterum*: Non potest ipso actu vires applicare rebus quibusdam producendis, impeditus quidem respectibus rei & potentiæ externis: Ergo vires illis rebus præstandis non sufficiunt; quod Synonymum est illius, cum impossibilem ipsam rem vocas: Nego *consequentiam.*

§. 148. Eadem est *secundi* ratio *argumenti*? " Non facit DEUS, quod inconveniens est, quia non potest inconvenientiam ipsemet committere: Nihil igitur ab eo fit, aut factum, aut futurum est, nisi quod fieri ab ipso conveniat: Nullis igitur rebus producendis potentiam actualiter applicat suam, nisi quibus applicare illam conveniat ". *Assentior* hactenus: Sed in ceteris *reluctor, cum infers*: " Igitur potentia non sufficit, nisi quibus illam applicare convenit ". *Non sequitur* id sane; quoniam *transis* a convenientia applicationis virium, ad sufficientiam earundem, illatione quidem negativa. Diximus, quid illa differant? Diximus etiam, ex quibus intelligas, non illud omne esse inconveniens DEO, & sapientiæ etiam divinæ, ubi *solum* spectatur, quod *in collisione* demum cum aliis sui generis perfectioribus fit electione privativa, hoc est, cum exclusione alterius conjuncta, indignum. Tantum igitur abest, ut eo respectu fiat proprie loquendo impossibile. *Nihil* de *voluntate* moneo, etsi illam quo-

quoque vocem *cautioni* obnoxiam esse, manifestum sit, cum dicitur: Facere DEUM, quicquid velit: Sed vero de voluntate nondum disserimus; agimus de possibili.

§. 149. Atque ita vides, obstare argumenta, & *naturam rei*, cum nolim id proprie intelligi, quod viventi adhuc *Leibnitio Vir Eruditus* inculcavit: " Possibile non esse quicquid DEUS non velit ". *Nova* hæc Philosophia est, a voluntate divina, & decretis ejus, essentias rerum atque possibilitatem repetens, *Cartesio* aliquantum debita, sed *sequacibus* extensa atque aliter meo judicio inflexa, & diversis plane studiis culta? De quibus multa dici utiliter possent, si in illud argumentum excurrere allubesceret. Sed vero finiamus aliquando & hanc partem; Transituri ad connexam. Nimirum *de Necessario* eadem pæne omnia dici convenit, quæ diximus de possibili: *Facilior* tractatio erit præmissa altera; *addenda* tamen hoc loco sunt aliqua, sequentibus intelligendis aut vindicandis non inutilia.

§. 150. Ut ego hactenus indolui vocibus *nimium*, eoque nihil distincte *significantibus*: Ita idem de necessitate alii dudum admonuerunt. *Illustr. Leibnitium* in Theodicæa conquerentem videas §. 280. Loquitur de eo, quod *odiosum* est tum in phrasibus, tum in dogmatis eorum, qui se *Augustini Discipulos* prædicant. " Ac *in phrasibus* quidem, inquit, im-

comperio usum præcipue vocabulorum, qualia sunt, *necessarium* aut *contingens*, possibile vel impossibile, accusationibus ansam dare & turbas non modicas excitare. Hac de caussa, quemadmodum Cl. *Læscherus* Junior in erudita sua dissertatione de Decreti absoluti paroxysmis optime observavit, *Lutherus* Libro de servo arbitrio cupiebat aptius aliquod explicandæ menti suæ vocabulum suppetere, quam est necessitas „. Eadem est sententia plurimorum, publice haud raro declarata. Nihil attinet, cumulare testimonia: Addo unicum Ingeniosissimi *Crosæ*, quod *fontem* simul indicat grassantis *mali*. " Les hommes ont été trop faciles à donner un même nom à de choses differentes, uniquement attentifs à quelques traits semblables, qu'ils y remarquoient. Une pierre ne manque pas de tomber, dés qu'elle n'est plus soutenuë; Un homme raisonnable ne manque pas de se rendre, où un important devoir l'appelle, quand il se peut aisément; & on ne manque pas de se resoudre à un mal, pour en éviter un autre plus fâcheux. La premiere de ces causes est necessaire; mais on rend obscure la notion des autres en leur attribuant une espéce de necessité: Et aprés l'avoir gratuitement supposée, on se trouve embarrassé à l'accorder avec la liberté & le choix „. v. Logique P. I. S. II. ch. VI. §. IX. Tom. II. p. 724.

§. 151. Scilicet *vulgus*, loquendi magister, externis & ex parte similibus regitur: Voces

igitur easdem accommodat casibus apparenter iisdem, sed ipso rei momento multum dissitis. *Philosophi*, in vocibus parum cauti, consequentias derivant e significatu earum strictissimo: voces ipsas etiam illis accommodant rebus, quæ laxissimum vix, aliquando ne vix quidem admittunt. *Ita fit*, ut consequentias imputent rebus innocuis; ingeniosi in id, ut se ipsos fallant, aut intricent quam tectissime. *Ne* id *artificium* & *nobis* subrepat, age discernamus nostro more, quæ differunt.

§. 152. Principio non possum non *approbare* verba *Samuelis Clarckii*, eruditissimi in Anglia Theologi & Philosophi, adversus Leibnitium in Epistola Commercii Literarii quinta ad §. 20. ita præcipientis: "Necessitatis vocabulum in quæstionibus *philosophicis semper* significat necessitatem *absolutam*. Necessitas hypothetica & moralis non sunt nisi modi sermonis *figurati*: Neque in philosophico rigore sustinent appellationem necessitatis „ v. Recueil de diverses Pieces sur la Philosophie, la Religion & les Mathematiques. Tom. I. p. 154. vel Merckwürdige Schrifften zwischen Leibnitz und Clarcken p. 170. *Sequamur* id institutum ipsi quoque: Ut *proprie* & *exquisite necessarium* nobis illud *unum* & *solum* habeatur, *cuius oppositum* in *sese* ipso *contradictionem* involvit; quod est *sui generis unicum*; quod solum est possibile primo & secundo sensu; §. 142. quod exclusa mutatione & mutabilitate in universum

omni

omni, aliter, quam sese nunc habet, constitui non potest. *Contingens*, necessario contradistinctum, illud omne appellabimus, quod aliter esse aut concipi potest; quod sui generis unicum non est; quod sine ulla rei ipsius interna contradictione aliter constitutum supponi potest; quod aliter & aliter possibile est primo & secundo sensu §. 141.

§. 153. *Intrinsecam* hanc necessitatem vocant philosophi, quod oppositum ejus ab ipsa rei natura, non ab accedentibus aliunde respectibus, excluditur e numero possibilium: *Logicam*, quod ex ipsis rerum ideis, definitionibus & conceptibus primis potest intelligi: *Metaphysicam*, quod essentiæ rerum ea ratione necessariæ & immutabiles sunt, ex recepto philosophorum pæne omnium consensu: *Geometricam*, quod figurarum & corporum attributa, ex ipsa & sola corporum extensione ortum ducentia, eam necessitatem participant; & Geometrarum demonstrationibus subjiciuntur. *Absolutam*, quod, sine additis respectibus aut dispositionibus rei ipsi externis, aut conditionibus aliunde petitis & positis, ipsis in sese rebus competit: *Cœcam* aliquando & brutam, quod, ubi unicum tantum est possibile, optio & electio omnis excluditur. Scilicet ita *luditur* vocabulis, dum *non solum* plures rei affectiones eodem necessitatis vocabulo veniunt, *sed* & eadem necessitas pluribus insigni-

 tur

tur vocabulis! An ſine incommodo Lecto-rum?

§. 154. *Vis* quidem ipſa *neceſſitatis* hujus, id eſt, ſolius proprie ſic dictæ, in eo continetur, ut res ſit ſui generis unica; ut unico tantum modo poſſibilis; ut impoſſibile ſit in eo rerum genere, quicquid aliter determinatum, aut diſpoſitum ſupponitur. Sunt hæc Synonyma, ut facile vides. Quia momentum in ſequentibus trahunt, accipe *exempla dicti.* Ut Triangulum Rectilineum habeat tres angulos duobus rectis æquales, id neceſſarium eſt abſolute. Quid ita? Unica hæc angulorum in Trigono rectilineo internorum quantitas eſt poſſibilis; ſequitur enim ex natura rectarum, quibus id concluditur, & angulorum menſuris, Igitur aut tolli naturam Trianguli rectilinei oportet, aut poni æqualitatem angulorum memoratam. Abſolute neceſſarium, & vel divinæ omnipotentiæ invariabile eſt, ſecus atque *Fr. Cupero* viſum, ut bis duo ſint quatuor; identitas enim obtinet inter ſubjectum & prædicatum, & contradictorium eſt, idem non eſſe idem. Unicum igitur hoc eſt poſſibile, excluſis ceteris in univerſum omnibus: Igitur ſumma illa eſt ſui generis unica. Intelligis, niſi fallor, in quo conſiſtat neceſſitatis proprie & exquiſite ſic dictæ nervus, atque efficacia?

§. 155. *Ex ea* parum diſtincte conſiderata derivati ſunt *ſenſus* ſive ambigui, ſive *laxi* tamen,

men. *Primo* enim *extensa voce possibilium* extensa est necessitatis notio. Necessarium est, cujus oppositum est impossibile. Impossibile auctores diversimode dixerunt; ostendimus esse potissimum quatuor significatus: Igitur & necessarium laxa & minus accurata vocis potestate diverse usurparunt. *Secundo*, cum unicum saltim est possibile; certum & determinatum est, infallibiliter quidem & antecedenter ad ipsam rei existentiam, quid futurum sit? id facilem nonnullis occasionem dedit, ut *reciproca illatione*, necessarium dixerint, quod certum est, & determinatum infallibiliter; saltim antecedenter ad existentiam. Duplici autem *ista scaturigine* pullularunt *appellationes* necessitatis physicæ, moralis, extrinsecæ, hypotheticæ &c. inde *mixtura* certi, determinati, prædeterminati, coacti, necessarii; inde *pugna* voluntarii, liberi, determinate futuri, & infallibilis; & quæ sunt plura ejus generis, nimium ubique obvia. Possent fœcundæ monitorum *excursiones* fieri hoc loco: Sed vero meminimus instituti; dabimus igitur e quampluribus illa solum, quæ usui futura sunt *in sequentibus*, cetera studiose omnia præteribimus.

§. 156. *Metaphysicæ* necessitatis speciem §. 154. exhibuimus: Illi *Physicam* Leibnitius & *Moralem* contradistinguit. Nimirum *Physice illud necessarium* dicitur, cujus oppositum repugnat naturali rerum consecutioni; quod i

eſt in ordinario naturæ curſu; Tale eſt, ſolidum in aqua ferrum mergi, nequaquam innatare; naturalibus rerum principiis illud poſtulantibus, & ſecundo effectui adverſantibus, Quis neſcit, naturaliter unicum eſſe, ut mergantur ſpecifice graviora ſibi relicta in levioribus? Difficultas in *definitione* hujus neceſsitatis nulla eſt; *Unde* ſumi *judicium*, & quomodo diſcerni naturalia ab extraordinariis poſsint? Id aliquibus controverſum fuit; noſtram tamen cauſſam non attingit. Sed vero in dijudicanda hujus neceſsitatis *fortitudine* cautelam adhibeas velim, non ubique obviam, & ponderoſam tamen.

§. 157. *Non* eſt *hæc eadem* & *æqualis* in ore omnium neceſsitas. *Eſt, qui* mundum hunc corporeum, &, quibus ille continetur atque regitur, Leges motuum abſolute & *geometrice neceſſaria* opinetur, ita quidem, ut, ſupponi alia priorum loco, judicet eſſe contradictorium. Tales olim *Stratonicos*, hodie *Spinozam* & *Sectarios* ferunt: Tales omnes eſſe oportet, qui maleſano auſu intelligentem mundi cauſſam inficiantur, rati, ſufficientem in illo ſuæ exiſtentiæ rationem eſſe. Si phyſicam illi homines neceſsitatem loquantur, intelligas *Geometricæ æmulam* & æquipollentem, eoque intrinſecam & abſolutam. *Ex adverſo*, ſi præſentis mundi exiſtentiam, &, quibus ille dirigitur, Leges, ſive abſolute indifferentes dixeris; quæ *Carteſianorum* eſſe ſententia perhibetur:

Si-

Sive convenientissimas quidem præ ceteris, ut tamen alias dari nullam in sese contradictionem involvat ; quam *Leibnitii* mentem esse e scriptis constat : *Erit* laxior utroque casu & *impropria appellatio*, cum physice necessarium vocabunt, quod ordine naturali, constanti illo quidem, sed non tamen necessario aut essentiali, consequitur.

§. 158. Atque hæc caussa est, quare frequenter *Leibnitius naturale* ab *essentiali* & *necessario* secreverit. *Naturale* est, folia arboribus defluere autumnali, redire verno tempore. *Necessarium* non est. *Naturale*, ferrum in aqua solidum mergi: *Necessarium* non est ; alioquin nec divinitus mutabile. *Naturale* est, vires in Universo easdem persistere, utcunq; variato corporum conflictu: *Necessarium* non est. *Naturale* est actionem & reactionem esse contrarias & æquales: *Necessarium* non est. &c. Si cui *plura* placeant, eademque intelligendæ rerum naturæ, & præcipue ejus origini conducentia: Adeat ille luculentam *summi Viri* tractationem, in *Theodicæa* obviam §. 345.-350. atque *ex illo maxime* loco perdiscat, quomodo necessitatem proprie dictam, Spinozæ idolum, e natura rerum corporea, per ipsas corporum Leges liceat extrudere.

§. 159. Hæc *Physica* necessitas est, *diverso* tamen *sensu*, prout aliam atque aliam de Natura mentem Auctores fovent: *Factum est*, ea caussa, ut consequentias prioribus imputandas,

 se-

ſecundis aliqui objecerint. Sed vero præſens apparenti malo *remedium* eſt. Ediſſere ſententiam plane Tuam, ut intelligatur, quam naturæ Legibus ſive neceſsitatem attribuas, ſive contingentiam: Ita facile adverſarii pervidebunt, an Tuam quoque doctrinam attingat, quod fortaſſe alteri non immerito exprobratum eſt a ſapientibus? *Tanta* nimirum phyſicæ neceſsitatis efficacia eſt, *quanta* eſt Legum Naturalium ſive neceſsitas, ſive convenientia, ſive indifferentia: Et tanta *illa* Auctoribus imputari poteſt legitime, quantam *hanc* eſſe tuentur.

§. 160. *Moralem* in eo *neceſſitatem* collocat *VIR Illuſtris*, cum oppoſitum rei, etſi in ſeſe & pro virium agentium conſideratione ſit poſsibile, per moralem cauſſæ reſpectum, admitti non poteſt: *Moraliter* id *neceſſarium* vocat, quod, etſi ſuæ *determinationis* cauſſam *ſufficientem in ſua* ipſius natura *non* continet, a *cauſſæ* tamen agentis & *circumſtantiarum* urgentium conſideratione *morali talem* accipit, ut *ea poſita* effectus *non* conſequi *non* poſsit; cujus oppoſitum in ſeipſo non impoſsibile eſt aut repugnans, diſſonat tamen virtutibus & attributis cauſſæ agentis moralibus, ſive ſolum illum effectum ſpectes, ſive in colliſione cum aliis homogeneis, e quibus optio facienda ſit, conſideres; hoc eſt, cujus oppoſitum non primo aut ſecundo, ſed tertio demum aut quarto ſenſu §. 144, eſt impoſsibile. Speciatim

DEI

DEI respectu, aut ratione sapientis ut talis, id moraliter necessarium dicit, quod, etsi non sit sui generis unicum; est optimum tamen, & convenientissimum; est infallibile adeo, & certissimum moralibus de caussis. Dicuntur *omnia eodem* sensu: Utram ex illis definitionem malis, perinde est; eliges, quæ videbitur clarissima.

§. 161. Non attendo alioquin anxie, an *similiter* & *ceteri* loquantur: Erit fortassis pretium operæ, ut magnum libertatis humanæ defensorem, *Samuelem Clarkium*, conformia nostris edisserentem audiamus. Verba in Animadversionibus contra Collinsium, T. 1. du Recueil p. 371. e versione *Dn. Desmaiseaux* Gallica hæc sunt: „ Par *necessité morale*, les Ecrivains, qui ont soin de ne se pas contredire, n'ont jamais d'autre dessein, que de marquer d'une maniere figurée *la certitude* d'un evenement, sur lequel on peut raisonnablement compter, quoiqu' à la lettre, & *à la rigueur* en *bonne* philosophie, il n'y ait *aucune* necessité dans le cas dont il s'agit. Si Dieu, par exemple, a promis, que le monde continuëra encore un An, c'est une maniere de s'exprimer bien naturelle, & qui vient d'abord à la bouche, de dire, qu'il est impossible, que la fin du monde arrive cette année. Cependant *il n'y a personne* asses deraisonnable, pour s'imaginer en se servant de cette expression, que Dieu n' a pas au moment, qu'il parle, le même pou-

tibus exposui. Si talem esse rei ipsius naturam non deprehenderis, ut ex ea, solitarie spectata, sufficiens & necessitans reddi ratio possit, quare hoc, non alio, ordine aut modo constituta sit, si aliter concipi illa sine repugnantia possit, si determinationis illius *unicæ ratio* sit quærenda *extra* rem ipsam, de cujus necessitate quæritur; Si *tanta* tamen *inveniri* possit in circumstantiis, caussa, dispositionibus &c. ut *illa* semel *posita impossibile* sit, effectum non consequi, *vel quod* ea admissa repugnet circumstantias supponi alias, *vel, quod* mutatæ licet, effectum tamen priorem sufflaminare aut invertere non possint: *Hypotheticam* illam & *respectivam* necessitatem dici ex consuetudine admittam. Eadem vero ratione, illud *hypothetice contingens* est, quod, posita licet hypothesi, non tamen in illa tantam sui rationem habet, ut *non* consequi *non* possit; quod adeo *necessitantem* sui rationem in principio suo non agnoscit; etsi *sufficientem* suæ determinationis rationem ex illo possit repetere, de quo deinceps. *Nolui* illam *intrinsecam* appellare, ut ne ambiguitatem discursui, & apparentem cum §§. 130 seqq. pugnam inferrem: Idem contingeret, si posteriorem hanc *extrinsecam* vocare vellem. Abstinebimus igitur locutione lubrica, & præsentem quoque necessitatis hypotheticæ appellationem evolvemus aliquanto distinctius.

§. 165. Generalis hæc dictio est, in multos deinde ramos dividenda: Pro diversa Hypothesium ratione. *Universaliter* id constat, *hypothetica* necessitatis *vim* tantam *nunquam* esse, *quanta* sit absolutæ. Cum *illa* obtinet solum, plures rei determinationes sunt in sese possibiles; non igitur ipsâ rei naturâ excluditur electio: Secus est in absoluta. Contingens igitur priori casu est res & rei oppositum: Non in secundo. Tum vero & illud universaliter teneo, *hypotheticam* rei necessitatem *non esse*, *nisi tantus* sit rei positæ in effectum *influxus*, ut illa semel admissa, contradictionem involvat, istum non consequi, aut aliter consequi, quam pro illo sui principio. Optem, Lectores attendere ad paragraphos præsentes: Quoniam istis *tanquam clavibus* utar, *ad* reseranda *necessitatis* & *determinationis* futurorum *discrimina*; utilia illis, qui receptam de libertatis & præscientiæ divinæ concordia thesin adversum Socinianos, & Novatores quosdam tueri dilucide suscipiunt.

§. 166. Speciatim *conditio*, de qua hypotheticam Eruditi necessitatem nominant, aliquando est *concomitans* solum; aliquando est *antecedens*. Cum antecedens est, aliquando non influit in effectum, sed *externe* solum *denominat*; aliquando *influit*. Cum influit in actionem & effectum alicujus entis, aut *extrinseca* est agenti, aut *intrinseca*: Cum intrinseca est, aut *a potentia* sumitur agentis; aut *ab attributis* ejus *moralibus*:

Vel

Vel eodem ſenſu, a natura agentis *phyſice* ſpectata; aut *moraliter*. *Differunt* illæ ſpecies, *eo* quidem *pondere* & momento, ut, etiamſi *nulla* contingentiam abſolutam excludat, *aliquæ* voluntatem tamen ita reſtringant agentis, & electionem, ut eliminent meo judicio libertatem; *aliquæ* non item.

§. 167. Ubi *concomitans ſolum* hypotheſis eſt, nullum ab ea periculum metuo: Talis illa eſt, quæ a *ſuppoſitione actionis*, & *concurſu* ſumitur *divino*. Dum enim actio fit; dum actioni DEus generali ſuo in res omnes influxu quoad poſitiva concurrit: Neceſſe eſt actionem fieri. Determinata autem illa eſt a voluntate: Accedit concurſus, non præcedit; acceſſurus etiam oppoſito actionis, pro determinatione arbitrii. Cum *antecedens* eſt, *nec* in effectum *influit*: Nullam illa violentiam agenti infert, neque quicquam ejus intervertit, quocunque ſenſu; igitur neque voluntatem afficit, neque electionis libertatem proprie loquendo reſtringit. Talis eſt *divinæ Præſcientiæ* hypotheſis, *ad ipſam* illam prævisam *actionem* relata: Neque enim influit in ipſam actionem prævisio; etſi res alias conformiter prævisioni illius facti DEUS ordinet ſua providentia. *Neutrum* enim efficienter afficit actionem meam ſuo influxu, ſive ſolam illius prævisionem attendero; ſive addidero, DEUM cetera hujus mundi ita ſapienter ordinaſſe, ut condigna actionem præmia aut pœnæ conſequantur. *Extrinſeca* eſt actionis meæ

de-

denominatio, siquis illam necessario fieri asserat, quoniam DEUS illam præviderit, & consecutiones illi congruas destinaverit.

§. 168. Si *antecedens* conditio in actionem *influit* ea efficacia, quam §. 165. descripsimus, eademque est *agenti extrinseca*; Fateor in agente ipso electionis libertatem, mea quidem sententia, periclitari. Absit, ut *contumelia* afficiam Viros cetera præstantes! Si quis *eam* DEI *præmotionem* asserat, qua ipse *hic & nunc* voluntatem hominis ad objectum aliquod sive appetendum sive aversandum, *physica* aut *morali* operatione, quasi *ab externo*, *ita* efficaciter præexcitet, *ut*, *posita* illa divina in mentem actione, *implicet* non consequi effectum; quoniam ea posita aut immutari ceteræ dispositiones non possint, aut immutatæ licet effectum non invertant: Illum precor, ut examinet, quænam *activa* voluntatis humanæ *optio*, aut inter plura determinatio locum habere eo casu possit? Atque an eo casu *determinatio* sit ipsius *animæ*? An *suæ* actionis ipsa *auctor*, *ratio* & *principium* persistat? An *subjectum* quidem actionis, præcipue determinationis, aliunde *recipiendæ*? An *caussa* quoque ejusdem *faciendæ* dici mereatur? Fecerint operæ pretium Eruditi, si ista collocare in aprico possint.

§. 169. *Gravius* oportet *in illos* dici, qui hominem arbitrantur ita caussis aliis externis alligatum esse, ut *anima* suæ volitionis caussa aut

prin-

principium non ſit, ſed *occulto externorum impetu* feratur; ludibrium ipſa neſcio quorum agentium, geniorum an corporum? *Similis globulo luſorio*, externa impellente cauſſa lato, ſed ſui forte conſcientia prædito, & ſuam hanc directionem eſſe perſuaſo; *hydraulicus trito*, aquarum aſſultu, per buccinam ori admotam, editurus ſonum, quem ſibi tribuat. Cujusmodi portenta *Bælius* loquitur, *Spinozæ* tributa, & ſimilibus. *Tolli* autem *ejusmodi conditionibus* antecedenter influentibus *electionem* voluntatis omnem, & ſubrui, quicquid illa nititur, id facile unicuique manifeſtum eſt, & odioſum.

§.170. Quando *antecedens influens* conditio *intrinſeca* eſt, ſed *e phyſica ſolum rei conditione* deſumta: Voluntatis illa imperio non ſubjacet, eoque electionis cum libertate incapax pronunciabitur. Talem illam voco, quam *phyſicam alii* appellant. *Hypotheticam* enim illam eſſe, in noſtra ſaltim explicatione §. 157. enarrata, facile omnes vident: Siquidem alius rerum ordo poſſibilis eſt, eoque naturalia non niſi hoc ipſo rerum curſu ſuppoſito ſunt neceſſaria. *Influere* naturas rerum in effectus earum naturales, nemo dubitat: Neque quisquam ambiget, eſſe illas rebus naturalibus *internas*. Dum igitur ignis corpori combuſtibili vicinus eſt, antecedanea, & in effectum influens, & intrinſeca igni, & phyſica ratio eſt, qua propinquum ſibi corpus

pus adurit. *Nulla hic electio* locum habet, nulla ignis ad hanc oppositorum partem a seipso determinatio fit. *Similis* illi *necessitas* videtur, qua dolorem anima præsentem sentit: ea enim animæ natura est antecedenter ad doloris præsentiam, ut eorum sibi conscia sit, quæ fortiter ipsam afficiunt; est illa conditio intrinseca, influit in effectum, & est physica solum, non moralis. *Neque* id *libertatis* est, an præsentem sentire velis, an nolis? Dixi *similem* tamen, quoniam indirecte & mediate voluntati sensus ille subjacet, prout doloris præsentiam evitare, aut animum a præsenti nonnihil avertere licet, cum volueris.

§. 171. Denique, si conditio illa *antecedens influens intrinseca* est, sed *moralis*: Illa non in ipsum *immediate* effectum influit, sed in voluntatem eligentem; determinando illam, sed infallibiliter, in eam partem, quæ moralibus attributis est convenientissima. Moralem illam vocavimus §. 160. & exemplis quoque illustravimus. Memineris tamen *exempla ab hominibus* sumta laxius adhuc intelligenda esse, quam ubi de Divino Numine loquamur. Neque enim illa sustinent examen §. 164. præscriptum: Sustinent ista, per §. 140. sed vero hic gravis quæstio est, *difficultates* operi haud paucas illatura; nisi distincte necessaria exposueris. *Dicemus, DEUM infallibiliter*, vel eodem sensu *morali necessitate* eligere *optimum* inter inæqualia: Si libertatem id divinam offende-

ret, grave ſcelus foret. *Abſit* enimvero ab homine Philoſopho, nedum Chriſtiano blaſphemia iſta, qua *DEUM* ens quaſi Mechanicum, aut Geometrica neceſſitate actum, aut *fato* cuidam Homerico *alligatum*, vel per longas & anfractuoſas quoque conſequentias, inſanus aliquis conciperet, aut effingeret. Expediemus viam nobis, ut ſine offendiculo liceat incedere, in tramite complanato.

§. 172. Ut intelligas, *offenſionem a vocabulo ſumi*: Attende, ſi placet, huic ordini. Cum DEUS abuſiva & impropria, & ut verum fatear ambigua, & duriter ſonante, & exoſa mihi appellatione dicitur ad eligendum inter plura inæqualiter perfecta moraliter neceſſitatus: Hic *dicti ſenſus* eſt, aut eſſe debet. Divinam quidem *ſcientiam* noſſe modos agendi plures, intelligere plures rerum poſſibilium ordines & genera, complecti in idea ſua varia mundorum poſſibilium exempla; *Potentiam* quoque divinam ſufficere producendis ſingulis: Igitur *determinationis* cauſſam neque *ſufficientem*, neque *neceſſitantem* eſſe in objecto *ipſo per ſeſe* ſpectato; ſed neque in eodem *ad potentiam* collato. *Exponi* igitur *electioni* voluntatis *objecta* abſolute eligibilia, *magno numero*: illam *voluntatem eſſe* divinam, hoc eſt, *perfectam*; voluntatem perfectam *non agere ſine* motivis: Motiva illius *eſſe perfectiones*; igitur illam tam *certo* approbare & ſeligere, quod perfectiſſimum eſt, quam *certum* eſt, eſſe illam perfectiſſimam. *Sequi* igitur

tur *determinationem* pro optimo quidem e morali caussæ attributo, sed *mediante* voluntatis perfectissimæ *arbitrio*: quæ *non minus* inter plura eligit, ubi cum ratione agit, *quam si* sine ratione in objectum incideret; *ubi* sine ambigua hæsitatione interna sua perfectione duce convenientissimum infallibiliter approbat, *quam si*, nulla sapientiæ suæ ratione antecedenter habita, e perfecto æquipollentiæ statu, sine argumentó determinationis, in hanc magis partem faciendæ, exiret in alterutram.

§. 173. Nondum laboro de veritate propositionum huic paragrapho innexarum; Pertinet id ad tertiam libelli sectionem: Hoc saltim ago, ut pervideas, *moralem* illam *necessitatem*, dextre & ex Auctorum mente intellectam, non excludere, sed *involvere* voluntatis *electionem* inter *plura* factam, eandemque, ab intrinseco agentis caussæ principio, morali argumento urgente, pendulam. Non datur aliud necessitatis moralis exemplum perfectius: Igitur in illo permanebimus. *Potest* allegata *locutio* teneras aures *offendere* diversis e caussis, Cum audiunt, DEUM moraliter necessitatum esse ad electionem Unius optimi: Videntur sibi observare, *Unicum* tantum *objici* divinæ *electioni*; atqui eo casu nulla est electio. Cum unum illud optimum dicitur antecedenter ad divinæ voluntatis determinationem: Videntur animadvertere, rationem *Universam* electionis *ab objecto* sumi; sed quæ electio est voluntatis,

cum universa & infallibilis determinationis ratio est in objecto? Cum audiunt, DEUM necessitari ad objecti electionem: videntur deprehendere, *externam* quandam *rei* a DEO *independentis actionem* in divinam voluntatem quasi *irresistibilem*; atque id DEO indignum esset, quoniam non ipse auctor suæ determinationis foret, sed eidem ab objecto sumtæ quasi obediret. *Siquid ejusmodi* in mentem Lectori venerit aut veniat: Sciat ille, *justum horrorem* esse, quo concutitur. Sed vero *nihil tale* admittimus, neque *ego*, neque *Leibnitius*, neque *Scholastici*, quorum id tritum, & commune est, DEUM necessitate morali eligere optimum; in eo triumphare divinam libertatem, quod moraliter necessitata sit ad optimum; malo dici, quod tantæ sit divinum arbitrium perfectionis, ut infallibiliter id approbet, eligat, agat, quod fieri maxime convenit, & DEO est dignissimum.

§. 174. *Dic* itaque nobiscum, *optimum* quoque mundum *non* habere *sufficientem* suæ existentiæ caussam in sese ipso; *Dic*, *alios* non minus, atque hunc ipsum, per sese spectatos *esse possibiles*; *Dic*, *determinationem*, quare alter præ altero in actum deducatur, sumi *a divina electione*; *Dic*, electionem *respicere ad perfectiones* objecti, ipsas etiam *a DEO pendulas* in prima sui origine §. 130.; *Dic*, *eas* in diversis objecti individuis *inæquales esse*; *Dic*, *illas* a Divino intellectu *mensurari*, & dijudicari; *Dic*,

sua-

suadere intellectum divinum, ut in collisione *optimum* præferatur; *Dic*, voluntatis *perfectissimæ arbitrium* infallibiliter *eam* partem *apprehendere*, & ceteris antehabere: Dixisti *omnia*, quæ postulant patroni necessitatis moralis; an ideo arbitrium sustulisti? Jugulasti libertatem? Indignum DEO aliquid admisisti? *Absit* vero sane, ut hæc talia DEUM dedeceant! *Absit*, ut *ambiguæ* locutiones, aut *subtilitates non* perfectissime *evolutæ* animum ab ejusmodi sententiis alienent!

§. 175. *Alteri* quidem incommodo medicinam explicatione terminorum clarissima applicuimus: *Alteri* parata & in promptu est. Non demiror, siquem id suspensum teneat, quod *moralia* illa attributa sint *DEO* intrinsece & *Metaphysice necessaria*: Eoque id etiam Metaphysice necessarium videatur, quod ab iisdem immediate proficiscitur. *Scholastici* hac in parte aliqui turbarunt aquas: Deductis in diversa rivis serenarunt alii. Num *de necessitate operis* sermo est? An de necessitate *inexistentiæ perfectionum* in DEO? *Necessarium est* Metaphysice, & siquid amplius dici posset, *ut sapiens*, ut bonus, ut sanctus, ut suæ actionis Dominus *sit DEUS;* contradicit enim, ultra quam dici potest fortiter, DEUM id non esse. *Sed* vero *opus* a DEO productum Metaphysice necessarium *non est*: Nulla enim in opere contradictio foret, si aliter constitutum sup-

poneres; hæc definitio eſt neceſsitatis Metaphyſicæ, philoſophis approbata *omnibus*.

§. 176. Diſſonaret, *inquis*, divinæ perfectioni, ſi aliter (hoc eſt, imperfectius) opus conficeret: Negare illam DEUS non poteſt. *Agnoſco* ſententiam ſane, eamque approbo & urgeo. Neceſsitas eſt abſoluta, ut ſapienter DEUS agat; namque *oppoſitum repugnat* Naturæ divinæ: Dico *oppoſitum* generaliter, ut utrumque uno vocabulo excludam, *ſive* a maleſanis ſupponeretur incongrue & contra rationem agere, *ſive* præcipitato ſaltim judicio diceretur, ſine determinationis ſuæ cauſſa, fortuita quaſi & caſuali optione ferri. Sed vero hæc neceſsitas *naturam* afficit divinam, *non* ipſum immediate *effectum* ejus: Influit in effectum *mediante* voluntatis inter plura poſsibilia electione, ſapienti infallibiliter conſilio facta. *Non igitur* poſsibilitatem *excludit* ab oppoſito rei, ſed *præſupponit*: Excludit futuritionem. *Non* eligibilitatem *abſolutam* omnibus aliis, non electis, denegat: Sed *comparatam* ſolum in ordine ad melius. Itaque *Electionem* inter plura divinam *non tollit*: *Sed* ad optimum ſolum *dirigit* infallibiliter. *Nihil in* ipſa rei *natura* immutat aut *invertit*: *Sed actualitatem* ſolum illius *diſſuadet* efficaciter. *Non* igitur *voluntati* eligentis, & arbitrio *opponitur*: Sed *conjungitur*.

§. 177. *Nihil* hic *novum* dicitur, etſi diſtinctius fortaſſe evolutum. *Scholaſtici* ex longo

tem-

tempore distinxerunt illa duo, *esse necessitatem Metaphysicam*, & *habere per essentiam* suam hoc, quod est, esse necessitatem moralem. *Arbitror*, *hunc* dicto *sensum* esse: Sapientiam DEO Metaphysice necessariam esse; ut sapiens agat optimum, id esse moraliter necessarium. Alias, necessitatem illam *ex parte objecti* moralem vocant; perfectionem a qua pendeat *ex parte subjecti* esse necessariam Metaphysice. Et quæ sunt plura ejus generis: In quibus amplum *ambiguitatum campum* pandi video, apertum omnibus, quos religio non prohibet specioso obtentu luxuriari in rebus seriis. *Odi* ego *vagas* vocum acceptiones, præcipue barbararum; Itaque præscindi posse arbitror omnem evagandi licentiam, *si* in explicatione *antecedentis* paragraphi *substitero*. Idem precor, ut Lectores faxint: Confiteor enim, *videri mihi*, cum argumenti alicujus efficacia elanguet, quam primum vocabulis significatum substituas, enervem illius vim esse, solis terminorum tenebris involutam. Et *frequentior* hujus cautelæ usus est, quam illi credant, qui non ex instituto rei isti attendunt.

§. 178. Dabo *specimen facti*. Superius ita ex antecedentibus, §. 172. enarratis, intuli: Igitur voluntas tam *certo* seligit, quod perfectissimum est, quam *certo* illa sunt perfectissima. Posset facile in mentem venire, eadem consequentiæ ratione inferri posse: Tam *necessario* seligere perfectissimum, quam *necessario* illa sit

perfectissima; atqui est Metaphysica necessitate perfectisma. *Obiter* intuentibus videbitur, argumenti mei nervum sumi ex similitudine attributi & electionis; servatur illa, sive certum dicas, sive necessarium: Atqui non ea vis est argumenti! Ut plana sit differentia, substituamus vocabulo sensum, & examinemus. *Meum* hoc est *argumentum*: Exposita sunt voluntati essentialiter perfectissimæ res plures in sese possibiles inæqualis perfectionis: Voluntas perfectissima nunquam se determinat sine ratione suæ determinationis: Ratio infallibiliter optimum suadet perfectissimo: Igitur tam infallibile est DEUM velle optimum, quam est infallibile, esse ejus voluntatem perfectissimam. *Alterum substituta* termini *definitione* facilius redditum *hoc erit*: Exposita sunt voluntati essentialiter perfectissimæ res plures in sese possibiles inæqualis perfectionis: Voluntati, cui repugnat non esse perfectissimam, repugnat quoque, ut se determinet sine ratione. Ratio illa non potest non optimum suadere. Ergo tam Metaphysice necessarium est, optimum fieri, quam Metaphysice necessarium est, voluntatem esse perfectissimam: *Substitutis definitionibus*: Ergo tam perfecte repugnantiam res non optimæ in sese ipsis involvunt, quam involvit repugnantiam, voluntatem ipsam divinam non esse perfectissimam.

§. 179. *Quis non videt*, contradictionem in argumento involvi, & supponi res plures in

se

ſeſe poſſibiles ab initio, & *concluſionem eſſe contra hypotheſin* principio aſſumtam. Id inde eſt, quod adhibitis ſolum vocibus technicis, metaphyſicæ neceſſitatis &c. non obſervetur liquido, *tranſitum* fieri ab Auctore ad opus, ab electione voluntatis ad objectum: Imputarique alicui internæ rerum repugnantiæ quod demum ab illarum comparatione cum aliis ſui generis melioribus, & voluntatis divinæ perfectionibus extrinſecùs accedit. Diſcrimina iſthæc evolvimus in antecedentibus, §. 140. Non intercedam tamen, ſiquem *alium* argumento nervum ineſſe deprehendatur a ſagacioribus: Mihi ſollicite, & tranquille licet inveſtiganti, nullum licuit detegere.

§. 180. Satis iſta prolixe, arbitror, de neceſſitate hypothetica, ea quidem, quæ definitionem §. 164. expoſitam, atque adeo examen neceſſitatis ſuſtinet. Eſt *alia conditionum ſpecies*, quæ cum neceſſitate hypothetica confundi facile poteſt; atque in præſenti negotio momentum trahit: Illa ſollicite excuſſa *diſcrimen infallibilitatis*, certitudinis, & *determinatæ futuritionis a neceſſitate* omni, etiam *hypothetica*, diſtinctius cernere & judicare licebit. Ad neceſſitatem rei hypotheticam *poſtulavi* conditionem ejusmodi, qua ſemel poſita impoſſibile ſit effectum non conſequi; cujus tanta ſit efficacia, ut ea ſemel admiſſa contradictionem involvat, effectum interverti aut ſufflaminari: Hoc enim eſt neceſſitatis, ut *unicum* ſaltim ſit

possibile; aut absolute, in metaphysica, aut ob conditionem præsuppositam, in hypothetica. Datur autem & *alia* conditionum *species*; *minus* illa *efficax*, & amicior electioni, eoque & libertati. Nimirum *ratio* illa, a qua effectus aliquis pendet, nonnunquam est *ejusmodi*, ut *ea* licet *posita*, *naturaliter* quoque effectus possit *non* consequi, *ita* tamen, ut intelligatur, consequi *potius*, quam non consequi. *Si illam* conditionem *præsupponas*, eidemque, *nullas opponi* rationes efficacius agentes, animo *adjungas*; Arbitror *determinatum* esse, quid futurum sit; *non* esse *necessarium* tamen. Scilicet hoc *omnes* tenent, necessarium quidem omne esse determinatum; non vice versa tamen, determinatum omne esse & necessarium.

§. 181. *Edisseramus* etiam illud *discrimen*: Est enim difficilis theoria, & utilis. Recte præcipitur, ut *ex uno latere* tantum determinatæ futuritionis conservetur, ut divina futurorum præscientia definita esse possit; non hæreat ambigua, & quasi expectabunda eventus dubii, boni sive mali: Influit utraque, & boni & mali præscientia in hujus mundi regimen, ut, nisi utramque teneas, providentiæ divinæ opprobria cavere non possis. Neque minus *ex altera parte* oportet tantum evitare, ut futurorum quoque contingentia, & agentibus debita moralibus libertas consistat salva & incolumis; ut suarum actionum Dominus unusquisque ipsus maneat; ut sua determinatione

ne eligat, non determinetur aliunde & extrinsecus; ut determinationis suæ rationem necessitantem, externam aut internam, creatura nullam habeat; ut agat, non agatur. Ut *utrumque* obtineas, placet aliquanto *profundius* eruere theoriam determinationis futurorum, eandemque, nisi penitus fallor, omnino planam facere.

§. 182. *Determinationem* paragrapho antecedente sexagesimo tertio definitam dedimus. Ejus indicio *res actu existentes* determinatæ sunt, quatenus illæ caussarum suarum operatione ex vaga possibilitatis generalitate, ad unam aliquam illius partem, modum, speciem, actu jam reductæ sunt; ut, cum potuerint existere aliter & aliter, nunc quidem existant hoc præcise modo, non alio: Neque hactenus refert, quacunque id principii operatione acciderit. *Res futuræ demum* sunt determinatæ, vel (eodem sensu) res sunt ante determinatæ, cum rationes aut principia præsto sunt, ex quibus intelligi potest, quænam rerum futurarum modificatio, pars, species, aut limitatio futura sit? *Valetque* id mea sententia, *sive* consecutio illa effectus ex illis rationibus sit tanta, ut non possit non sequi; *sive* talis solum, ut possit quidem non sequi, magis tamen hoc, quam aliud secuturum esse appareat.

§. 183. Ita *determinationis* futurorum eam *formalem rationem* facio, ut rei aliquod principium adsit, ex quo sumi decisio possit, uter e di-

diverſis caſibus exſtiturus ſit? Id *principium* poteſt eſſe *efficaciæ* multum *diverſæ*. Poteſt *tantum* eſſe, *ut* eo ſemel poſito effectus non conſequi non poſſit: Id rei neceſſitatem infert ex illa conditione hypotheticam; conſecutio enim cauſſæ & effectus neceſſaria eſt. Sin id *tale* fuerit, *ut* ex eo quidem principio futura ſit hæc actio magis quam altera; poſſit tamen, eodem licet admiſſo, fieri & altera, naturalibus agentium viribus: Neceſſitatem ipſi effectui hypotheticam non infert; neque enim conſequens antecedenti cohæret nexu indiſſolubili. Utrum tamen oppoſitorum eo caſu futurum ſit, *eatenus determinatum* puto, quod rationum ex altero latere præpondium vagæ atque æquivalenti generalitati, in alterius partis prærogativam, jam tum præjudicet. Atque *hoc omne* eſt, quod in rebus ipſis *poſitivum* agnoſco; *hoc unum* eſt, quod futurorum determinationi requiritur: *excluſa*, uti planum eſt, neceſſitate antecedanea univerſa.

§. 184. Tum vero ad *determinatam* rei *ſcibilitatem* neceſſe eſt, ut conditionis quoque illius futuritionem aut non futuritionem intelligas. Et *in primo* quidem *caſu* conditionis, neceſſariam poſt ſe ſequelam trahentis, liquida res eſt: Cognita conditione infallibilem eſſe effectus cognitionem. In *ſecundo* autem diſtingui oportet; Poteſt conditio *dupliciter* ſpectari; *aut* ipſam *ſolam*, ejusque ad producendum effectum vim conſideras, *aut* eandem

cum

cum ceteris rerum argumentis *comparatam.* *Si solam* illam: Dixi tantam non esse, ut effectum necessario post se trahat; posse illum non sequi, etiam naturaliter; posita licet ea conditione nondum restringi facultatem agendi ad oppositorum unum: Itaque *nec determinatam* futuri scientiam ex ea licet deducere; minus necessariam. *Adde* considerationem *alteram*; intuere eandem rationem, *ut* inter ceteras *prævalentem*, ut fortiorem oppositis: Nihil hic novæ virtutis intrusisti principio; *extrinseca* hæc est consideratio; *non* igitur ipsam effectus consecutionem ex illo principio *necessariam* fecisti, quam contingentem modo deprehendimus. *Quid ergo?* Manente eadem effectus a principio dependentia, contingenti illa, & inclinante, non necessitante; *definitum est* tamen, *uter* contingentium casus *præ altero* exstiturus sit? *Itaque* determinatam futuri præscientiam licet illi fundamento superstruere.

185. Equidem videor mihi distincta Determinationis futurorum fundamenta suppeditasse; Velim tamen, ut cauti Lectores omnia *per seipsos* examinent. Ut facilius negotium sit, eandem denuo rem aliter atque aliter inflexam proponi non gravabuntur. *Ut* determinatum sit, quid in posterum expectare liceat; ut *præsciri* igitur *hodieque possit*, & infallibiliter quidem: Videtur mihi aliquam futuri *facti caussam cognosci* oportere, eandemque aut *necessitantem*, aut *prævalentem* quidem, sed *inclinantem* tantum. Illam *in na-*

turalibus deprehendo rebus, in prædictionibus v. g. Astronomicis. & physicis, quando certæ illæ sunt: Caussæ enim, a quibus pendet effectus, & e quarum positione deducitur, eæ sunt, ut naturaliter id unum consequi ex illis principiis possit, quod expecto. Aliter *in moralibus* res habet, & *intelligentibus* rebus: Ut enim, cum agunt, ex caussa agant, *non est* illa *ejusmodi*, ut impossibile sit, aliter agi, posita etiam ratione illa omni, quæ actionem agenti nunc quidem persuadet; *est hujusmodi tamen*, ut hanc potius partem agenti persuadeat, quam alteram; ut adeo, nisi novum quid illi & fortius opponatur, certum sit, agens sequi hoc potius, quam aliud. Ita videor mihi *sine offensione* illud obtinere, quod determinationi sufficiat, & necessitatem tamen nullam inferre, salva persistente rerum contingentia, &, quod inferius addam, libertate quoque agentium moralium.

§. 186. Postulavi ad præscientiam Determinationis futurorum, *non solum*, ut determinate fiant, *cum* fiunt: de illo enim nemo quisquam dubitat, determinatas esse res omnes, quando existunt, ita ut hoc, illo, individuali modo existant; non genera sint, & vagi saltim conceptus rerum. Volui, ut *hodieque* determinatum sit, quid in crastinum futurum sit: alioquin determinate illud jam tum cognosci posse non intelligo. *Scientia* enim & cognitio, etiam infinite perspicax, *supponit* scibile,

le, & determinata cognitio *determinatè scibile*: Determinate autem scibile non est, nisi *Determinatum*; dissonaret alioquin a scientia objectum, eoque scientia ejus nulla foret. *Fontem* illius determinationis intelligendæ nescio, *an sufficientem* arbitrari possis, illud receptum *axioma* & contradictionis principium: Quo certum & cognitionis omnis fundamentum merito audit, *idem non posse simul* esse & non esse, fuisse & non fuisse, *fore & non fore*; & quo facile deducitur, alterutram propositionum contradictoriarum esse certam, atque infallibilem. *Constat* sane ex illo axiomate, *utramque* contradictoriarum veram non esse; constat, *utramque* falsam non esse; constat, veram esse *alterutram*, & solam quidem, & certissime: *An ideo* constat quoque, *utra* duarum vera sit? & utra non sit? Atque *is demum* determinatam futuri cognitionem habet, qui novit, *utra* oppositarum propositionum vera sit? indeterminatam ille, qui novit, *alterutram* esse veram, falsamque esse alteram.

§. 187. Hæc ratio est, quare, *suppleri defectum* amplius posse & debere ratus, fundamentum quæsivi aliquod, quo derivari decisio possit pro parte altera præ altera: Videor illud deprehendere in *caussis rerum* & actionum principiis, antecedaneis quidem; & *aliquando* necessariis, ubi locum habent, *aliquando* inclinantibus solum, & in comparatione ad oppositas suas, prævalentibus. An id *supplementum* suf-

ſufficiens & licitum ſit, deliberato intelligentium judicio ſubmittam. *Mihi* illud *innocuum* videtur; quia neceſſitatem rebus nullam infert: *Sufficiens;* quia determinationem parit: Et *neceſſarium* quoque, ſalvis tamen melioribus; quia nullum alioquin cognitionis determinatæ *in rebus ipſis* fundamentum, neque adeo definitæ rerum ſcibilitatis, cognitioni omni, etiam infinite perſpicaci, præſuppoſitæ argumentum infallibile ego quidem pervideo. *Scio*, quod *Leibnitius* alicubi admoneat, præſciri futura poſſe, etſi, quod ingens abſurdum vocat, electio illorum in ſua cauſſa prævideri non poſſit: Vellem, ut id intelligere liceret; *fateor* autem, me argumento Illuſtris Viri non aſſurgere.

§. 188. Poſt enarrata, opinor, mirum amplius eſſe non poteſt, *plurimas* in hoc negotio *lites* exſtitiſſe omni tempore; adeo quidem, ut communis *Philoſophorum labyrinthus* audiat illa de contingentium determinatione materia. Agnoſco *delicatum* ſane *diſcrimen* eſſe, & fines, niſi caute quis attenderit, ambiguos; *facilem* ex determinatione lapſum in neceſſitatem, *facilem* ex contingentia tranſitum ad indeterminationem futurorum omnimodam: Servanda tamen *illinc*, libertas eſt; *hinc* eſt tuenda prævifio. Si eruditorum in eo genere labores pervolvam, *alios*, tuendæ libertati intentos, video negaſſe determinatam futurorum contingentium veritatem, & præſcientiæ fundamenta luxaſſe, *alios* illam agnoſcere, non

ta-

tamen explicare plenissime: *Alios* divinam ad futura curam extendentes, ut indeterminationem effugerent, contingentiæ rerum, aut Libertati saltim actionum futurarum, suis prædeterminationum speciebus, *aut* præjudicasse, *aut* agnitam verbis & assertam non satis in tuto collocasse. *Si utrumque* incommodum, *subtili* licet *discrimine*, evitavero: subtilitatem veritati detrahere, aut obesse dictis nolim. Non repugnat, *subtile* discrimen esse solidum quoque, & omnino momentis plenum. Potius id constare puto, in collisione rerum sæpissime eo deveniri & posse & solere, ut difficillimæ quæstiones *subtilissimo* discrimine expediantur: Nimirum ea de causa sunt difficillimæ, quod res in speciem oppositæ sint oppositionum legibus quam simillimæ, eoque discrimina non nisi diligenter attendentibus observari possint, & exponi.

§. 189. Sollicito mihi, num aliqua *adhuc* parte difficultas esse possit, visum est, facilem in hoc negotio labendi occasionem *ex modo* sumi, *quo* determinationem futurorum intelligere *homines* solent. Scio, *Deum intuitive* omnia cognoscere, neque aliud ex alio demum intermedia ratiocinatione per partes eruere: itaque illum in causis cognoscere effectum posse sine syllogismo, ipsam & solam utriusque naturam intuendo. *Aliter homines* solent, quos non sine discursu & syllogismo de ejusmodi argumento certos feceris. Sed vero *una* solum *propositione* posita,

nimi-

nondum est conclusio *determinata: positis* præmissis *duabus*; non determinate solum, sed *necessario* illa quoque consequitur. *Ita videri* possit; cum solam pro futuro statu rationem prævalentem attenderis, determinatam conclusionis futuritionem non esse; cum in majore addideris, rationem prævalentem semper obtinere effectum suum, conclusionem sequi necessariam. Apertius id *in exemplo* dicam. Si rationes pro futura scriptione mea fortiores afferam, quam pro ea non futura, negem vero, esse necessitantes illas: hærebis, opinor, an certum sit & infallibile, susceptum iri scriptionem? neque igitur, *sola* hac suppositione attenta, *satis* determinate pronunciari potest, *utra* pars contradictionis *certissime* futura sit? Ex *unica* enim propositione quid inferas? *Adde* alterum: nil sine ratione fieri, in collisione adeo id accidere, quod argumentis urgeatur fortioribus. Integrum eo facto syllogismum obtines, eundemque perfectum, cujus adeoque conclusio ex præmissis *non* consequi *non potest.* Ita *necessitatem* obtinere *videris*, *hypotheticam* saltim, non determinationem solam futuri.

§. 190. Est hæc consideratio ejusmodi, ut vel ipsum *Leibnizium* permoverit, ad *vocem* necessitatis *hypotheticæ aliquo sensu* admittendam. Cum in *Theodicæa.* §. 53. vel edit. Lat. §. 52. inquit: „ Nexus causarum cum effectibus inclinabit solum, non necessitabit agens liberum; Sicque *ne* necessitatem

quidem

quidem hypotheticam efficiet, *nisi* extrinsecum aliquid addatur; nempe axioma, quod inclinatio prævalens semper vincat.,, Ostendi *alio* loco, quomodo id intelligi & conciliari conveniat, in commentatione hypothetica de Harmonia animi & corporis præstabilita, Sect. 6. §. 190. p. 194. *Clarius* id hac vice edisseram, quod lucem argumento præsenti aliquam præbere potest; & removere dubia quoque. *Distinctio* est *Logicis* non inusitata, ut conclusionem spectent, tanquam *propositionem ex antecedentibus illatam*, aut tanquam *quæstionem*; ut conclusionem *Syllogismi quoad formam* spectati discernant a consecutione *rei quoad materiam*; ut conclusionem *necessario illatam* sejungant a conclusione *necessaria*. Fundamentum distinctionis ex ipso etiam *Aristotele* exhibui loco allegato: Philosophamur hic ex rationibus; seposita testimoniorum omnium validitate.

§. 191. Qui *rem conclusionis* arbitratur *absolute necessariam*, solam illam spectare tenetur; & oppositi repugnantiam ostendere: illud autem hic non attenditur. Qui *rem* conclusione denotatam *hypothetice necessariam* contendit; ex definitione §. 164. nexum rei & consecutionem ex suo principio, vim influentis principii, & in producendo effectu virtutem attendere tenetur. Si *posita* conditione, effectus productrice, *implicat* eum non consequi; hypotheticam agnosco ipsius rei necessitatem. Res enim a re, effectus

realis a conditione positiva & influente separari eo casu non potest.

Quod si igitur ea est propositionis hypothesin illam complexæ, natura, ut ex ea, *sola licet*, non possit alia sequi conclusio : sola illa infallibiliter & necessario conclusionem infert, & hypotheticam rei necessitatem fundat. *Sin* illa non sufficiat sola, si *aliunde* debeat *accedere* propositio *contingens*, sed *vera:* ob veritatem utriusque præmissæ *certa* sequitur conclusio, & sequitur illa quoad formam *necessario*, tanquam propositio ex præmissis; ob connexionis contingentiam *necessaria non sequitur*. Est igitur *conclusio* per præmissas certa & *infallibilis: res* conclusione designata est, & manet *contingens*. Ibi altera enim propositio *aut* omnino extrinsecus accedit: aut in ipsum saltim effectum positive non influit. *Nulla* igitur *ipsius rei* necessitas est hypothetica: Est illationis aut *cognitionis*.

§. 192. Atqui vero, *hoc ipsum* est, quo *necessitas* futurorum *ab infallibilitate* discernitur. *Illa* pertinet ad rem ipsam; atque postulat positivam sui rationem necessitantem : *Ista* pertinet ad illationem; neque rationem sui necessitantem postulat, contenta inclinante, cui fortior non obsistat. Neque id *pro salvanda* tantum *hypothesi* confingimus : *commune* hoc arbitror *cæteris* quoque sententiis. Infallibilem *præscientiam*, etsi intuitivam illam in supremo Numine, non discursivam, existimo *tantum* tamen *comprehendere*, *ut*, si homi-

homini competeret alicujus futuri casus notitia, *integro* ille *syllogismo* futuritionem intelligeret, & bono quidem. *Id nisi* fuerit, nescio, quomodo esse queat infallibilis? *Sin fuerit*, alterutrum necesse & concedas, *aut* præscientia ipsa everti rerum contingentias, quod absit: *aut* consistere illas, etsi antecedente syllogismo integro cognoscibiles. Nihil dubito, quin *ultimum* sponte seligas: eoque concedas, conclusionem *non ideo* necessariam sequi, quoniam necessario consequitur ex duabus præmissis cognitis, & conjunctis; *neque* hypotheticam rei necessitatem ex syllogismo demonstrari, nisi ratio consequentiæ sit necessitans. Obiter indico, *novum* hic *syllogismorum usum* occurrere, *in* dijudicanda futurorum necessitate aut determinatione & *præscibilitate* positum: quo neglecto altum de fundamento præscibilitatis determinatæ rebus interno silentium obtinuit ex una parte, ex altera determinatio fere degeneravit in necessitatem. Ita fieri potest, ut *in trivio* posita, & eo nomine neglecta, insignes aliquando usus præstare possent. *Aliud* ejusmodi exemplum noviter observati usus syllogistici vid. in Metaph. *Christiani VVolffii* §. 341. & seqq, Redeamus in viam.

§. 193. Ut *breviter* omnia dicam: E *duabus* præmissis, etiamsi *contingentibus*, determinata sequitur conclusio; absolute necessaria non sequitur, nisi e *duabus absolute necessariis*; hypothetice necessaria sequitur *ex con-*

tingenti altera & *altera necessaria*, sed
qua consecutionem indicat aut complec
Atqui vero *in præsenti* casu, *&* *contingen*
ponitur *conditio positiva*, ut scil. hæc ve
futuri casus ratio existat; & continger
gativa, ut opposita fortior non adsit; *&*
tingens quoque *consecutio*, ut prævalen
fectus respondeat. Neque enim illu
cessarium est, ut sequatur effectus, cur
tio non est necessitans: etsi certum sit
qui illum, cum inclinanti nihil resti
Primum ex terminis ipsis *manifestum* est:
cundum inde pendet, quod unicuique a
ni effectus respondeat proportionatus,
que inclinationi in alteram partem *præ*
senti rerum statu respondere deprehend
determinatio decisionis, ita tamen, ut
repugnaret existere aut condi entia, quæ
semper determinationem suspenderent,
argumenta adforent necessitantia.

§. 194. Consentiunt illa *sermoni recepto*
berum illum *assensum* dicimus, si quis adh
firmissime illi parti, quæ probabilior e
tera, sed nondum demonstrata: si a
mentis demum cogentibus, & ab ipso
talibus quoque agnitis aliquis assentiat
necessarium illum arbitramur, non omi
liberum. Impossibile enim est, ut dem
strationi intellectæ & perspectæ amplius
versetur. *Fac esse* hominem, qui *per om*
vitam consentiat, & firmiter insistat pa
quam *probabiliorem* putat, num ille asse

Liber non est, & contingens, quoniam constans & ex ratione prævalenti? aut, *an determinatum non est*, quam unoquoque casu decisionem laturus sit? denique an *præsciri non potest* sententia hominis, & pro altera parte determinatio, si intelligas, quam is partem habiturus sit probabiliorem? *Scio* quid intellectus *differat* a voluntate; puto tamen *in simili* facillime intelligi, quomodo prævalens ratio necessitatem determinationis nullam inferat, inferat infallibilitatem tamen. Isti igitur *scopo* simile velim adhiberi, non ceteris.

§. 195. Prolixius ista, quam constitutum erat ab initio: fortasse non inutiliter tamen. Si *ex professo* determinationem futurorum expendere suscepissem: possent *plurima* subjungi, utilia in non paucis casibus. Indice solum digito ostendam, *qua via* Lectores mei, si qui earum rerum curiosi & non ante gnari fuerint, veritates in eo argumento plurimas eruere per se ipsos possint. *Licet* enim *determinationes* ex hypothesibus quoque non necessitantibus *eodem fere modo* investigare, quo de necessitantibus egi in hypothetica rerum necessitate §. 165. & seqq. *Licet* eas quoque cum libertate agentium moralium contendere; fundamenta illarum & effectus comparare; & theoremata illo artificio haud pauca condere, in examinandis *variis præmotionum* & prædeterminationum systematis,

sive hactenus cognitis. *sive* adhuc inve
dis, utiliter applicanda. Sed vero diff
isthæc opera est, quam pro instituto pr
ti, aliis destinato argumentis: Potius
ad Libertatem transeo, mediante quasi
grapho antecedente.

§. 196. *Posset* fortassis accidere, ut absol
quidem rerum contingentiam nostra c
minationis theoria non everteret;
cessitatem ipsius rei sive actionis futura
potheticam non inferret: ut *Libertati*
sua certitudine præjudicaret. Non i
dior *integram* de Libertate agentium M
lium commentationem: *definitionem* ex
bo Libertatis, *quatenus* illa cum deter
ta actionum futuritione contendi deb
amicitia utriusque possit intelligi. Sed ne
in negotio, difficili semper viso Philos
mea aut lectoris culpa, lubricum m
aut ambiguum possit: Principio *facu*
ab *exercitio distinguam*. Primo igitur i
gentis creaturæ *Libertatem* dico *facu*
ejus, qua agens nulla naturæ suæ nec
te ad unam solum oppositorum parte
plectendum restrictum est, sed pro co
& attenta plus minus actionum condit
in seipso potestatem habet, determina
se ad hanc vel illam oppositorum spe
adeoque eligendi inter plura optioni p
sita, quod maxime approbat, & rejic
cætera. Tum secundo *exercitium Lib*
voco ipsam unius præ altero approbatio

factam ab interna eligendi & sese determinandi facultate, suis illam partem decisionibus apprehendere solita, quam ceteris hic & nunc anteferendam esse argumentis sibi persuadet, qualibuscunque illis quidem, sed hoc casu in mente prævalentibus. Dico, *qualibuscunque*, ut & legitima concluderem & illegitima; distincte cognita, aut clare. Sed & confuse & omnino obscure obversantia; intellectum sollicitantia aut appetitum stimulantia; inclinantia quoque, & si non necessitantia; *prævalentia* quidem, sed in hoc subjecto, tempore, & circumstantiis etsi non suo merito & jure, generaliter & constanter.

§. 197. Nondum *applico* definitionem ad homines, aut angelos: Memini, quid institutum postulet? *quæritur solum*, an ejus modi libertas sine necessitate determinationem exhibeat futuri? *Assero* id vero cum fiducia. *Tres* illud assertum, distinctissime evolutum, sententias complectitur: *Necessitatem* hæc libertatis enarratio *nullam* infert; infert tamen & *fundat determinationem* futurorum; *Consistit* etiam *cum illa* hactenus exposita determinatione. Nolim lectores indignari solicitudini meæ, qua distinguere diversa studeo. Possent *ultimæ duæ* assertiones combinari; neque differet multum utriusque evolutio: Sed malo *nimium* distinguere, quam *nimis parum*; facilior in combinatione diversorum lapsus est, quam in separata aut repetita similium

expoſitione. Poſſet etiam accidere, ut, vera licet ſecunda propoſitione, tertia tamen evicta non eſſet: Itaque *ſigillatim* ſingulas enumero.

§. 198. *Primò* igitur, definita §. 196. *Libertas neceſſitatem* futuris actionibus *nullam* infert. Opponimus Libertatem communiter neceſſitati abſolutæ, & Phyſicæ, & externæ coactionis & antecedenti hypotheticæ influenti; de ſingulis breviter & *ex utraque* definitione dicam. De *facultate* dubium eſſe non poteſt; Diximus, illam eligere inter plura; *nulla* igitur *interna & abſoluta* rerum neceſſitate conſtringitur ad unicum §. 152: diximus, nulla naturæ neceſſitate ad alterutram partem adigi illam, nulla igitur neceſſitas eſt *Phyſica* per §. 156: diximus, illam determinare ſe ipſam; *nulla* igitur *externa* cogens aut violenta adeſt neceſſitas §. 168: diximus, illam ad oppoſitas poſſe partes deflectere, poſitis licet argumentis deciſionem ſuadentibus univerſis; *nulla* igitur hypothetica *antecedens neceſſitas* electionem trahit §. 164: Sed ſuadens motivum inclinat, ſponte ſequentem, quo maxime pellicitur. De exercitio juvat attendere ultimo allegata loco. *Si dubia res* videatur, quoniam id exercitium diximus ſequi rationes in colliſione ceterarum *prævalentes*, & conſtanter id quidem, omni electionis caſu: memento ex antecedentibus prævalentem *dupliciter* conſiderari: *quoad ſe*, vel quoad id, *quod poſitivum* in ſe continet, atque in effectum influens;

fluens; tum & *in comparatione* cum ceteris oppositarum partium rationibus suadentibus. *Primo* sensu, necessitantes illas rationes non esse, §. 184. asseruimus & ostendimus; Sed *neque secundo* sensu, in ipso illo prævalentiæ formali spectatas, necessitare, constat ex §. eodem. Igitur nullo sensu necessitant; Igitur nec hypothetica influens necessitas antecedens locum habet in libertate enarrata; sive facultatem in se ipsam spectes, *sive* illius exercitium.

§. 199. Fortasse tantum removimus à libertate nostra, ut neque determinationem amplius tueri posse videamur: Atqui servavimus necessaria. *Secundo* enim loco arbitramur, distinctam *determinationis* futurorum *ideam consistere* cum libertate nostra. Si quis ipsam & *solam in sese* facultatem spectare velit, *quatenus* ad neutram præcise & unice partem propositorum ipsi objectorum restricta est, eoque definitioni determinationis §. 63. & 182. expositæ contraria haberi potest: *nondum* ille fundamentum determinationi *sufficiens* ex ea consideratione poterit eruere, mea quidem sententia. *Poterit* tamen, *ubi* ad exercendi modum, ordinem, & constantiam attenderit. Etsi enim prævisa decisionis ab arbitrio creatutæ pendentis argumenta necessitantia non sint; eoque ex illis solis sumi decisio non possit per §. 184. Est ille tamen *constans* & perpetuus *decidendi modus* in agentibus, ut illam apprehendant partem, illi su-

am

am determinationem applicent, illi approbationem suam indulgeant, cujus consideratio intellectum aut appetitum, verbo animum allicit efficacius. *Quod si* igitur *certum* & determinatum est, *utra* pars oppositorum suis mentem suasionibus sit tentatura *fortius*: *certum quoque* & determinatum est, *utram* facultas illa sententiam, sua quidem sponte, optione sua, sua electione & verbo, sua ipsius determinatione, sed infallibiliter tamen, *sit* alteri *prælatura*? Atque *hoc illud* est, quod futuros verum etiam libere agentium eventus è generalitate sua ad alteram oppositorum speciem reducit, & determinatos facit, & determinate scibiles; modo, quem prolixe satis excussimus in antecedentibus.

§. 200. Superest *tertio*, ut quemadmodum determinationem cum libertate conciliavimus, ita *libertatem* quoque cum *determinatione* conciliemus. Si *tacitam* definitiones §. 196. enarratæ *pugnam* comprehenderent, *posset fieri* sane, ut determinatæ futuritionis fundamentum esset in secunda; sed cum determinatione illa non consisteret prima definitio. In exercitio libertatis *tantum* fuit, ut futura possint statui determinata: Requiritur, ut *tam parum* sit in determinatione, ne futura desinant esse libera. Atque illud è superioribus facile deducitur. Determinatio prævalentibus *æque* rationibus consistit, *ac* necessitantibus. §. 183. *determinatio* igitur necessitatem nullam infert; igitur *facultatem ipsam*

ad

ad oppositorum unum *non restringit*: igitur *electionem* inter plura non excludit. Sed neque *cognitionem* actionis excludit; neque *principium* determinans *intrinsecum* sive spontaneitatem; neque *potentiam deflectendi* in alteram partem demit; sed futuritionem ejus negat; futuritio enim opponitur futuritioni, non ipsi rerum potentiæ, sive objectivæ, sive activæ; neque *argumentis* opponitur, *suadentibus* & moralibus, quasi solis deduci efficientibus & physicis posset. Igitur *stante* licet ea, quam diximus, futurorum *determinatione*: *manet* agenti cognitio actionis suæ; *manet* principium suæ determinationis internum; *manet* facultas eligendi inter plura possibilia; *manet* rerum contingentia; *manet*, argumenta decisionis esse suasoria solum, moraliter moventia; *manet*, decisionem fieri ex motivis nequaquam tantis, ut iis positis naturaliter quoque aliud sequi non possit; *manet*, per argumenta facti non ipsam constringi facultatem agentium, sed illius exercitium dirigi ab allicientibus, non pelli à trudentibus.

§. 201. *Manet adeoque* amica determinationi libertas agentium: quam præsentem puto, ubi *omnia* ista obvia fuerint & *conjuncta*; non ubi separata. *Novi* enim *de cetero*, cognitionem esse præsuppositum, non esse ipsam libertatis naturam; spontaneitatem distingui à libertate posse; contingentiam esse in rebus omnibus, etiam non liberis; & requiri

comperio, quorum mihi conscius sum; *solvere* enim illa possem, si in argumenta transfunderem, & solvi sæpe similia. Si cum oppositis *collata* judicem; *majorem* illa vim trahere existimo: Itaque, cum *aliter* possim, *hoc* ago tamen, sponte id mea, & omnino *libere*; etsi *non casu* sane, sed argumento; optione consulta, non cœca sane aut fortuita. Hæc ratio est, qua præsciri optio intelligitur: quomodo determinate *præsciatur*, quod *absolute fortuitum* est, non attingo.

§. 204. Atque ista quidem, *sine præjudicio dicta*, expendi opto similiter. Possem aliqua testimoniis firmare, & *auctoritatibus*: sed *abstineo* me ab omnibus, quæ utcunque ambigua esse posse prævideo. Unam *extorquendæ* Lectorum *attentioni* machinam admovebo, *communemque* hanc cum philosophia recepta *caussam* faciam: *eo fine*, ut sollicitius dicta Lectores excutiant, & vel vera esse deprehendant, vel suæ causæ discrimina acutius evolvant, & edisserant determinatius; illa *maxime*, quæ ad intelligendam futurorum determinationem, & ipsam præscibilitatem in rebus determinatam pertinent. *Visum est* aliquando, *offensionem* in hoc negotio ex eo omnem sumi, quod voluntatis determinationi argumenta *præmittantur*, eo cum effectu, ut nunquam eligat, nisi cum ratione, atque inter rationes, pro diversis electionum partibus inæquales, arbitrium sequatur fortiores. Equidem, si libere *semel* sequi fortiores potest, potest libere *semper*

sequi

sequi. Nihil enim præjudicat facultati determinativæ, si similiter se *sæpius* determinet: sed vero illud hic non ago. *Communiter* Philosophi tuentur: Voluntatem v. g. hominis, nunquam eligere malum, *ut* malum, semper bonum, *ut* bonum; & consistere illam consuetudinem cum libertate omnes agnoscimus. Puto autem, si curatius attenderis, *aut* cum illo *idem* esse, quod *Leibnitius* de ratione prævalente disserit, *aut* arctissime tamen cohærere.

§. 205. Si *nunquam* voluntas appetit quicquam, nisi *ut* bonum; sequitur, illam se non determinare, nisi *argumento bonitatis* motam. In collisione duorum inæqualiter bonorum, eorundemque pro talibus habitorum, *nullum* facta collatione argumentum *bonitatis* manet *pro* minori *in* exclusione ad majus: Igitur *minus* bonum, *pro* tali agnitum, *cum* exclusione majoris nunquam voluntas eligit. Dico autem *minus*, & *agnitum*, & *cum exclusione*. Scio *minus* bonum esse bonum, & *absolute* loquendo posse eligi ut bonum: sed *minus ut tale*, cum exclusione majoris *deliberata* eligere, est eligere minus bonum, (non ut bonum, sed) ut malum. Id faceret voluntas, si argumentis annueret imbecillioribus *contra* fortiora *simul* attenta: Igitur *idem* mihi videtur, *sive* cum Leibnitio dicas, voluntatem in dubio semper appetere partem sibi plausibiliorem visam, *sive* cum philosophis quoque cæteris urgeas, semper illam appetere

tere bonum ut bonum. Nimirum *in collatione* duorum inæqualium ſeſe excludentium, *tantum* alteri bonitatis *decedit*, quantum ab optione excludit: Quod ſi igitur minus bonum excludat majus, non id ſolum impenditur integrum ſupplendo defectui propter alterius excluſionem invecto, ſed amplius quoque aliquid requiritur; *ita* fit, ut *mali rationem* in colliſione, ſaltem intellecta aut agnita, nanciſcatur. *Aliter* pronuncio, ubi magis bonum ſeligitur; compenſato enim defectu excluſi minoris boni, manet bonitas reſidua, cujus intuitu ipſum eſt eligibile.

Arbitror *itaque* in comparata conſulto electione inter duo inæqualia mutuo ſeſe excludentia illud, quod minus viſum fuerit, præferri non poſſe, niſi malum eligas, ut tale; eligeres enim *minus ut majori oppoſitum*, hoc eſt, ut malum. *Secus eſt*, *ubi* à majoris conſideratione & collatione *attentionem averteris*; ſed ille caſus *non eſt* loci *præſentis*, ubi de argumentis prævalentibus *ut talibus* adeoque *ut* comparatis inter ſeſe rationum momentis, ſermo eſt. Dixi, *quo ſine* iſthæc ediſſeram: ſuffecerit, ſi illum obtinuero, neque enim id ex inſtituto perſequar, ut identitatem utriusque ſententiæ extorqueam invitis. Utramque arbitror eſſe ejusmodi, ut libertati nihil præjudicet, argumentis, quæ hactenus expoſui: Lectorum eſt judicare, an ſufficientibus?

§. 206. *Si placeant*: Illud theoriæ huic *pro*

merito erit, *quod* ea duce intelligatur, *non solum*, quod præscientia necessitatem *non inferat*, aut ipsam per sese contingentiam non extrudat & libertatem; *sed etiam*, quod *nihil* contingentiæ adversum *præsupponat*. Duplex illa *quæstio* est, eademque haud parum *dissimilis*: facilis prima; qualem §. tetigimus; & communiter resolvi videmus. Non facit præscientia, ut res sint futuræ; futuritio potius fundat præscientiam: uti reminiscentia præteritum non facit, sed supponit. Manifestum id est adeo, ut mirum sit, si quis ea in re hærere possit: Et hærent tamen de præscientia haud pauci; nimirum illi *præterea* & *illud* considerant, quod præscientiæ præsupponendum est. Vidimus *determinationem* prærequiri futurorum; *Diversa* illa est; alia contingentiæ adversa, amica est aliqua; si in *prioris* generis *aliquam* incidas, mirum non est, difficultatibus animum involvi. Videmur igitur nobis, *ejusmodi speciem* enarrasse, quæ scientiæ fundandæ sufficiat, & contingentiæ servandæ conspiret: *Ampliorem* igitur de præscientia libertati consona, tractationem aperuisse, quam ab illis fieri comperimus, qui primam solum quæstionem attendunt, de secunda altum silent.

§. 207. Similiter intelligi ex antecedentibus posse confido, quale *libertatis* cum *bonitate* & *sapientia consortium* sit, etiam illa, quæ tantam in agente vim exercet, ut optimum

ſuadeat infallibiliter, & obtineat. Ut *ne mirum* videatur Lectoribus, laborari in conciliandà libertate bonitate & ſapientia, quas nemo hominum diſertè committat: memineris, *variam* eſſe *rationem conſiderandi* bonitatem & ſapientiam; aut *antecedere* electionem ſupponuntur, atque in illam ipſam ſuis influere conſiliis; aut *ſequi* factam, & reſtringi ad ſolam electi operis executionem; aut *imbecillis* adeo gradus bonitatis & ſapientiæ ſupponitur, ut optimum non ſemper diſcernat, vel non perſuadeat agenti; aut ita *perfectius* admittitur, ut intelligatur id exquiſitè, & perſuadeatur infallibiliter. Nihil dicam de ſuppoſitionibus, quæ ad præſentem propriè locum non pertinent; etſi plurima admoneri poſſent, haud rarò neglecta, quin & perversè exiſtimata: *Hoc ago*, ut perfectiſſimæ omninò bonitatis ſapientiæ & libertatis in divino Numine *concordiam* ex *noſtris* quoque theſibus quàm planiſſimè oſtendam. *Monitus* enim eſt aliquando *Leibnitius*, libertatem periclitari divinam, ſi bonitatem & ſapientiam *eo usque* extendat, ut morali neceſſitate optimum Deus eligat.

§. 208. Ut id breviter & perſpicuè expediam, de *libertate* quidem *divina* illud Lectores admonebo; *eandem ferè* illius rationem eſſe, quam hactenus de altera in creaturis obvia expoſui, *demtis* imperfectionibus. *Puto me* ſuperius *obtinuiſſe*, *neceſſitatem* quoque hypotheticam quam *moralem* vacant, non eludere

dere ipsam *rei* in sese spectatæ *contingentiam*; non excludere *electionem* voluntatis; non eliminare *principium* determinationis *intrinsecum*; non tollere *eligibilitatem* omnis *rei alterius* in sese spectatæ; sed solam illius, quæ optima est, *determinationem* inferre, *infallibiliter* id quidem, & eo vinculo, quod dissolvi non possit, aut dissolutum concipi propter attributa causæ agentis moralia. Habemus *omnia*, quæ libertatem ingrediuntur, si *discesseris* ab imperfectionibus, *cujusmodi* sunt, argumenta decisionis posse esse apparentia solum, eoque illegitima; posse adeò determinationem à voluntate fieri in partem, in quam non debuerat; & posse voluntatem (sed non perfectissimam) concipi, quæ anceps hæreat, ubi argumenta in alteram partem verè meliora sunt, sed nondum tamen necessitantia. *Vinculum* illud, quod optimum voluntati cohæret perfectissimæ, *ex bonitate* est, & *sapientia*: Illas igitur ex more nostro declarabimus, sed concisius.

§. 209. *Bonitatem* variè efferimus. Sumitur hic *pro attributo* causæ intelligentis *morali*; eodemque *relative* spectato ad illos, quibus bona destinat aut confert. *Eo sensu* bonitas *est* promtitudo conferendi aliis realitates; si mavis, conferendi rebus perfectiones; aut conferendi bona. *Bona* enim sunt, quæ statum illius rei, cui attribuuntur, perfectiorem reddunt. *Perfectiones* rerum consistunt in realitatibus. Sequitur id ex definitione

ſuperiori §. 78. Omnes enim inter ſeſe realitates conſentiunt, ut tales; pugna eſt ex limitationibus, adeoque ex negationibus, aut privationibus realitatum. Id deinceps oſtendam clarius. Conſentit definitio cum recepto *veterum dicterio*, quo omne bonum eſſe ſui communicativum ſtatuerunt; niſi quod ſuo more *obſcurè* rem ediſſerunt, cum ſui communicativum dicunt: Fert adpellatio ſignificatum à nobis enarratum, eoque ſenſu admittitur hic quoque; quia tamen & alios recipit, malo non ambigua loqui.

§. 210. *Bonitatis* illius arbitror eſſe *gradus* ex diverſo capite. Cum gradus loquor, *ad finita* attendo: In illis deprehendo, proniorem eſſe *alterum* altero ad benefaciendum; *Alterum* ſubjectis pluribus ſuam indulgere bonitatem; *alterum* plures conari perfectiones conferre; de motivis & fine nihil dicam. *Summam* verò illius agentis bonitatem puto, quod intenſo, quantum fieri poteſt, ſtudio, entibus, quot concipi poſſunt, omnibus, realitates, quot capere poſſunt, univerſas conferre nititur. Illam *divinam* eſſe, omnes admittent, qui DEUM venerantur Ens perfectiſſimum, eoque inter cætera attributa, & optimum. Utemur in ſequentibus hoc aſſerto, itaque *illud* breviter *evolvere* convenit. *Certum mihi* eſt, ſi quam definitionis partem demere velis aut reſtringere: bonitatem ſummam non eſſe; poſſet enim major concipi, ea ſcil. quam definivimus. *Si* ſtudium

illud

illud serium non est, imo etiam, si summum non est, & intentissimum: bonitas aut nulla est, aut non perfecta; posset enim corrigi & augeri. *Si* ad omnes res possibiles non extenditur, sed ab aliquibus quasi abstrahit, sine necessitate: Universalis non est, eoque nec maxima erit; sed ipsa, etiam in sese spectata, poterit appellari limitata, quia particularis. *Si* plures rebus perfectiones conferri possent sine absurdo emergente, quam illis actu conferantur: major illa bonitas foret, quæ conferret, quam quæ negaret non impedita. Neque arbitror dubium hac parte ullum subnasci posse, si attenderis, quid summum dicatur, & quam id à maximo absit, quod augeri potest?

§. 211. Diximus tamen de bonitate *in se* spectata, adeoque de illa *voluntatis alacritate*, qua perfectiones rebus omnes conferre nititur: Hoc *institutum* est bonitatis, atque illimitatum in summa bonitate. *Exercitium* potest limites nancisci, in partibus præcipuè sigillatim spectatis. Quicquid realitates *ab alio* accipit, non potest omnes accipere: facit natura finiti, ut non omnis in uno bonitas exerceri possit. Accedunt aliquando considerationes quoque *morales*, quæ *vetant*, bonitatem *indifferenter* exerceri. Inter illas est præcipuo memoranda loco sapientia; adeo quidem, ut *justitiam*, bonitati communiter coordinari solitam, recentiores definiant bonitatem secundum regulas sapientiæ exerci-

 tam.

tam. *Quo* id *in casu* obtineat, ut aliquæ realitates absolute possibiles, à bonitate produci non conveniat, deinceps enarrabimus explicitè: *Hoc loco* id solum *præliminariter* admonendum duxi, institutum ipsum bonitatis serium & illimitatum esse, & manere tam posse, quam debere; in exercitio tamen aliquando causas intercedere, quo minus universæ unicuique rei perfectiones inferri aut possint, aut debeant.

§. 212. Sapientiam modò adpellavimus: Ejus hanc animo ideam concepi, *Wolfianis* metaphysicæ institutionibus explicatam. *Sapientia est* aptitudo subordinandi media & fines: vel *verbis philosophi*; est scientia fines ita dirigendi, ut alter sit medium alterius, & eligendi media obtinendis finibus idonea. Consentit definitio *vulgatis* locutionum *formulis*: Admonuit id Cel. Wolfius, & ostendit breviter §. 914. 915. Agnosco etiam *gradus* sapientiæ, *quales* ibidem enumerat: *Sapientior* est, *qui* plures sibi fines subordinare potest; est, *qui* media obtinendis finibus plura excogitare valet; est, qui media præstandis finibus accommodatiora, hoc est, ea, quibus finem licet plenius assequi, & brevius quoque. *Sapientissimus* ille est, *qui* omnes suos fines, generalem & speciales ita novit connectere, ut neuter alteri repugnet, sed unusquisque alteri ut medium subserviat; *Qui* media novit illa seligere, quibus fines sibi propositos, omnes simul possibiles,

ple-

leniſſimè ſimul & via quoque breviſſima btineat.

§. 213. Poteſt aſſertum demonſtrari *eodem ado*, quo ſupremæ bonitatis notionem aſſe-ıimus. *Non* eſt illa *maxima* omnium ſa-ientia, qua cogitari poteſt major alia. Fac, ɛeſſe requiſitorum aliquod, major illa agen-s ſapientia erit, quæ præſtando illi quoque ım cæteris poſtulato ſufficiat, quam prior a non ſufficiens. *Maxima* igitur opificis pientia neceſſario *omnia* complectitur, & *tum opus* coordinat, quo uſque id fieri po-ſt, nulla ullibi parte inſuper habita aut ne-ecta. Nimirum *id niſi* fieret, *major* ille fo-t ſapientiæ gradus, qui neglectam quo-ıę partem ſalvis cæteris ſubordinare, con-ngere, aut innectere poſſet appoſitè. *Fac*, *e* ın diverſis locis, aut partibus univerſi, ſe temporibus ſeu proximè ſibi ſuccedenbus, ſeu disjectis quoque, quæ nulla me-orum & finium habitudine connexa ſint, ſi illa quoque connecti poſſe, nec abſolutè ıplicet, nec attributis cauſæ moralibus ad-ɛrſetur: *Nego, ſummam in eo* opere ſapien-ım elucere. Quid enim? *Si* diſtinctè omnia *adæquatè* ſapiens attenderet, perviderit ſa-:, *quâ parte* hiatus ſit, idemque ſine emer-ɛnte abſurdo *evitabilis*; eoque intelligeret, *i* parti *nullum* ſapientiæ veſtigium impreſ-m ſit, etſi ipſa recipiendo illi non fuiſſet idonea. Non ıgitur *tantam* mediorum & ıium ſubordinationem deprehenderet

quantam operi inferre licuisset: Neque igitur ex *eo* facto potest ratiocinando colligere, summam in artifice sapientiam adfuisse; namque & minor illi effectui praestando sufficeret, *non* possumus verò *majorem* causae virtutem asserere ex effectuum contemplatione, quam ad illos producendos *praecise* necessariam esse deprehendimus. Potest esse major quoque, quàm requiritur ad effectum, sed verò ex effectu id non cognoscitur. *Oportet* igitur, *tantam* esse mediorum atque finium subordinationem, *quanta* esse maxima potest: *Si summam* quidem opifici sapientiam adjudicare ex *operis* consideratione intenderis.

§. 214. *Eatenus* aliquid dici potest *opus sapientiae*, *quatenus* definitioni subest sapientiae; *quatenus* ordinem res complectuntur, altera cohaerens alteri; *quatenus* altera est propter alteram, & per alteram; unaquaeque appetibilis propter se, & desiderabilis propter aliam; *unaquaque* finis & medium. Ingeniosè *Leibnitius* more suo postulat media ejusmodi, quae possint appeti, *non seulement parce qu'ils sont, mais encore parce qu'ils font*: Cui facile geminum adjungas, *non seulement parce qu'ils font, mais encore parce qu'ils sont.* Namque si sapientis est, fines & media coordinare exquisitissime; mea quidem sententia, *illud sapienti problema* propositum est, ut fines suos *mediis* expediat *paucissimis*, ut mediis suis *fines* obtineat *amplissimos*, hoc est plurimos

illos

illos, & plenissimè. Est hæc mixta è *maximis & minimis* quæstio: Maximum ad fines pertinet, minimum ad media. Sed mixta illa est, quoniam & media sunt fines, & fines media; diverso considerandi modo. Itaque *denominationem* potest â solis mediis accipere; potest à solis finibus; potest generalem. Ad *media* R. P. Malebranchius attendit præcipuè, quando præstantem divinæ sapienriæ partem in *simplicitate* viarum divinarum collocavit. Recte id sane: est illa nobilis consideratio, & conjuncta *fœcunditati* negotium absolvit. A *finibus* appellationem illi capiunt, qui fines sapiente dignissimos optimo modo præstitos postulant, aut optimum opus optimè productum volunt. *Generalis* illa est, si maximam possibilium perfectionem urgeas, aut sapientem dicas agere secundum leges optimi.

§. 215. Monuit *Leibnitius* quoque, si *fœcunditatem* viarum *simplicitati* earundem addideris, reduci illas *ad unicam* conditionem posse, maximam scil. possibilium perfectionem; eoque facto Malebranchii systema in suum dixit recidere. *Postulari utramque* in opere perfectissimo, facile attenti viderint. Simplicitatem posco verbis Leibnitii in Theodicæa §. 208. „ Si *effectus* supponeretur *major*, *via* autem *minus simplices*, censeo posse dici, quod, omnibus computatis atque perpensis, effectus ipse foret minus magnus, habita ratione non modo effectus finalis,

finalis, ſed etiam *effectus medii*; nam ſapientiſſimus facit, *quoad poteſt*, ut *media* ſint quodammodo *fines*, hoc eſt, deſiderabilia non ſolum quia faciunt, ſed etiam, quia ſunt. Viæ *magis compoſitæ nimium* fundi, nimium ſpatii, nimium loci, nimium temporis occupant, quæ melius impendi potuiſſent.,, *Fœcunditatem ſimili* diſcurſu requiras: Si *viæ* ſupponerentur *magis ſimplices*, ſed *effectus* ultra proportionem *minor*, cenſeo poſſe dici, quod, omnibus computatis, effectus ipſe foret minus magnus, habita ratione non modo *conſenſus* mediorum *ad fines*, ſed *paucitatis* finium; nam ſapientiſſimus facit, *quoad poteſt*, ut media *eadem* obtineant fines *ampliſſimos*, ſintque adeò deſiderabilia non ſolum, quia faciunt, ſed etiam, quia plurimum & pleniſſimè faciunt. Effectus enim *pauciores*, quam obtineri ſine abſurdo poſſent, *nimis parum* realitatis continent, quam ut ſummam agentis ſapientiam, bonitatemque & libertatem demonſtrent, adeoque deceant. Vis *breviter* iſta dici? Repete ex §. 212. *Sapientiorem* eſſe, qui *eundem* finem obtineat *brevius*; eſſe, qui medio *eodem plus* obtineat; *magis* igitur & *illum*, qui *breviori* via *plus* finium obtineat.

§. 216. *Non* igitur illi univerſam animo rem complectuntur, qui vel *media ſola* attendunt, vel *fines* ſolos. Scio id *tribui* aliquibus: puto neminem id conſulto exiſtimaſſe. Aliquando *Malebranchio* id vitio

Eru-

Eruditi vertunt, ſoli viarum ſimplicitati virum ingenioſiſſimum attendiſſe: Id *non arbitror*, neque excluſam memini fœcunditatem; ſimplicitati, putem, ideò inſiſtere, quod ante ipſum disertè illam non urſerint Eruditi, & momentum trahat tamen; Cætera ſuppoſuiſſe multitudinem finium eandem, quam alii viis longioribus & anfractuoſioribus obtineri ſupponant. *Jurieus* aliquando viarum ſimplicitatem ex illa conſideratione *videtur* ejicere, quod neque compoſitæ plus Deo negotii faceſſant, quam ſimplices. *Rectè* id *potentiæ* reſpectu dicitur; cui operoſum nihil eſſe finitum poteſt: *Sapientiæ* conſideratione habita, ſuppoſitisque finibus *iisdem*, ſimplici aut compoſita magis via præſtandis, non arbitror recuſare virum doctiſſimum, ut *ſimpliciora* quis exiſtimet *præſtantiora*. Eum ſaltem caſum an adverſus Malebranchium decidat, non novi: hoc novi, edicere illum; quod perfectio ſapientiæ non ex ſimplicitate mediorum (intelligo *ſola*, propter determinationem caſus ſtatim ſubjunctam) ſed ex ratione finium æſtimanda ſit, *quibus ſi* media & viæ ſimplices non ſufficiant, ea ipſa de cauſa magis compoſitæ & amplæ adhibendæ ſint, adeo quidem, ut niſi illas Deus adhiberet, ſapientiæ id divinæ repugnaret. *Non* enim *ſolam* in operibus *ſapientiam* manifeſtare voluiſſe Deum, quamvis nec illi multiplicitas *ſimpliciter* repugnet, ſed majeſtatem quoque, poteſtat-

testatemque & magnitudinem. ,. Aut p
nitus fallor, aut *combinare*, *illa* nostris lice
& ad concordiam reducere adversarios, p
adjunctam simplicitati fœcunditatem ; &
mutuam utriusque temperaturam *ita* factam
ut ex utriusque considerationis societate sum
ma operis perfectio possibilis enascatur.

§. 217. *Precor* hic *Lectores* meos, ut, dum
profundius rem eruere molior, haud gravat
dictis attendant. *Faciamus*, alteram conside
rationem sine sapientiæ incommodo posse
negligi, & videamus, an aliquod absurdum
ex ea hypothesi profluat. Si *solis finibus* sa
pientia divini Numinis attendat, & viarum
sive mediorum simplicitas nullum in æsti
matione divina momentum trahat : puto
nullum opus posse confieri, quod supremam
demonstret sapientiam. *Idem* dico, de sim
plicitate mediorum, si *neglecta finium ration*
aut multitudine illis solis attendere quis veli
unice. *Primum* inde colligo. Quantacum
que sit finium in rebus *finitis* multitudo, pu
to, *novos addi* posse prioribus, donec omne
res possibiles simul & constanter existente
obtineas; fines, inquam, si non generales
saltim speciales, sed fines tamen. Itaque
alterutrum necesse est eligas, in hypothesi
memorata æstimandæ ex solis finibus sapien
tiæ, *aut* omnia semper possibilia existunt
quod nemo facile admiserit; *aut* existen
plura possunt unoquoque tempore, si medi
illis obtinendis idonea fuerint in antecedent

Quod si igitur illa est sapientiæ majoris opus, quod ampliores in sese fines continet, *utcunque* sit de mediis: *Nullum* existet, aut existere potest, *quo non* aliud *majus* concipi queat. Igitur *nullum* dabitur, quod *supremam* demonstrare possit sapientiam.

§. 213. Similiter *alterum* concludo: Uti enim hic fines multiplicari in infinitum posse arbitror, multiplicatis mediis; ita *media*, puto, *minui* in infinitum posse, imminutis finibus. Quod si igitur nulla finium consideratio accederet, & sola simplicitas viarum attendenda sit, potest mediorum simplicitas *subinde* exquisitior obtineri, *donec* universum omne fiat uniforme. Itaque *vel* uniformem rerum omnium habitudinem, nullaque omninò varietate distinctam admittere necesse est; *vel* agnoscere, quod fieri possit mediorum major simplicitas: adeoque si ex *sola* simplicitate sapientia pendet, *summam* illam demonstrare *nullum* unquam *opus* poterit, varietate rerum aliqua interstinctum.

§. 218. *Mihi* quidem *ex* illis *tribus nullum* placet. *Nolim* evidentiæ sensuum & rationis adversari, & *res* omnes *uniformes* asserere; *aut possibilia* omnia *semper simul* existentia concipere; *aut* admittere, quod *nullum summa* sapientiæ opus queat existere. *Evitabo* incommoda, si sapientiam ex utroque dijudicem, & fines æque ac media conjungam. Dum enim *utrumque* in *summo* absolute gradu obtineri *non potest*, sed finibus pluribus plura adhiberi

hiberi media, diversis differentia necessum est: obtineo illud *in genere*, quod in methodo de maximis & minimis Geometræ observant. Non datur maximum aut minimum, cum ex uno res capite pendet: Datur, cum è duplici, quorum crescente altero alterum minuitur; ita quidem, ut alterius augmenta decrementis alterius possint quantitate sua comparari, iisdemque modo majora sint, modo minora. *Minimum* in præsenti causa *non quæro*: Neque enim repugnare videtur, si supponam, & simplicitati viarum & fœcunditati simul, aut earum alterutri saltim, detrahi in infinitum posse; eoque effectum in toto semper minorem præstari: Cum v. g. eandem rem mediis subinde anfractuosioribus obtineri nihil impediat; aut iisdem mediis, sed aliter collocatis, aut magis magisque per contraria sponte prognascentia aut intrusa, impeditis obtinere effectum in toto majorem. Dico id *obiter* tamen, quod rei, in sequentibus non necessariæ, scrupulosius hic attendere non vacat.

§. 219. *Maximum* in hoc negotio aliquod *locum habere* existimo: idemque *inferius* firmabo ratione generali, sed *à posteriori* aliquid præsupponente. *A priori* illam *specialiter* eruere propositionem omnino arduum judico: Ut enim *facile* sit intelligere, *quod* auctis finibus augeri, & differentibus illis variari media debeant, eoque fœcunditas viarum extensa simplicitati præjudicet, & vice

ce versa; ut facilè pateat, *quod* augmenta
a & decrementa perfectionum sint mutuo
mparabilia, quoniam neutra respectu al-
orum infinite parva maneant: illud *diffi-
ius* erit ostendere, *quod* augmenta & de-
ementa ex utroque latere sibi responden-
ia sint inæqualia, ut modo illa, modo
c majora sint; eoque in illius inæqualita-
confinio maximum aliquod deprehendi
eat. Nimirum *de gradibus perfectionum*
ndum publicè tantum innotuit, ut ad ejus-
odi considerationes adhiberi theoria pos-
. *Aliam* igitur *viam* deinceps ingrediar,
a, dari maximum, hac in parte, consta-
: Hoc loco id *à priori sufficiat*, quod, *dari*
id *posse*, per nostram sapientiæ æstimatio-
m, sit vero quam simillimum; sufficiat,
am sapientiæ ex operibus dijudicandæ *ratio-
s* ostendisse generaliter, eoque facto *sup-
visse*, quod alii alios neglexisse conten-
nt, mutuis defectuum imputationibus si-
invicem molesti.

§. 220. *Corollaria* ex dictis non pauca infer-
tiam hoc loco possent: Dabimus aliqua,
breviter. *Sapientem eligere* & agere id,
od est *perfectissimum*, ex enarratis facile
nsequitur. Approbat præ aliis rebus sa-
ns, eoque eligit, & agit id, quod sum-
um mediorum & finium consensum ha-
t; Ita hactenus ostendi: Igitur sapiens
probat maxima, eligitque & agit perfe-
ssimum; perfectio enim consensu, sum-

ma maximo continetur. *Quatenus* igi *sapiente* opus est, eatenus consensum net partium; quatenus à *summo*, eatenu ximum possibilem. Intelligitur itaque, sit id, quod dicitur, sapientem agere *ex bus* perfectissimi, vel, eodem sensu, *op* Intelligitur, quid sint *Leges sapientiæ?* E scil. agendi ratio, qua *perfectiones* sunt *m actionum*: majores quidem sive plures (eodem sensu dici potest, ex §. 122. & tiora quoque, prout excellentior est sa tia. Intelligitur, quod *maximè harmo* est, id sapiente rerum Auctore dignissi esse, & *convenientissimum*: dico conve tissimum tamen, non absolutè necessar quia *non* est *unicum* possibile, neque suffi tem suæ existentiæ rationem *in se ipso* h mutuandam extrinsecus à suasione sapie in agente causa obviæ.

§. 221. Intelligitur præcipuè, quam i *pientiæ* non repugnet, imò verò, qua egregiè *consentiat*, ordinare opus suum quantum fieri potest, omnia *consequenti* aliquam *rationem*, naturæ unius cujuscu rei convenientem, habeant *in antecedent* ut v. g. corpora efficientes & trudentes telligentia finales & suadentes suarum pa num & actionum causas agnoscant, or sibi succedentes. Quin imo ex hac ipsa c sideratione pendet, quod insignem sect quarta usum nobis præstabit, & natu ad pietatem virtutes elevabit. Quod

illud? *Naturales* quoque rerum *consecutiones* posse spectari ut *media & fines*, *divinitus* ordinata, aut intentos. *Num rectè colligo?* si quod opus à Sapiente ut tali, vel eodem sensu à sapiente maximo conditum agnovero, atque in illo consecutiones observavero ordinatas, atque omninò tales, ut semper alterum ex altero pendeat, & alteri cuidam subserviat: Num rectè, inquam, colligo, illa mutuo connexa, in judicio sapientis esse media & fines, esse adeo illa his effectibus producendis destinata, quoniam adhibita per sapientem? Quo deinde semel firmato, illam *Epicureis distinctionem* licet *extorquere*, noxiam in morali doctrina, cum *usus* rerum *à finibus* longè discernendos poscunt; atque omnem de finibus doctrinam sive subruunt, sive luxant: licet etiam *in* rebus *naturalibus* venerari fines, atque adeo *voluntatem Dei*, & *legem naturalem* ostendere divinam, non origine solum naturæ, sed *intentione* etiam *obligandi*. Distinctius illa, cum ex instituto, sectione opusculi quarta; namque hic admonere solum de vinculo licet; quo præsenti enarratione altera illa connectitur.

§. 222. Illud non urgeo prolixè, *sapientiam*, per ante tradita, *supponere* rerum *habitudines possibilium*, non facere. Oportet, ut fines sint agente principio digni, ut media sint finibus accommoda: Id nisi foret, si eo ipso digni fines, aut idonea fierent ad fines media, quod eliguntur; dic, quæ sapientia

foret, *hos potius quàm* alios appetere? *ha*
tius eligere, *quàm* quæcunque alia? U
cunque igitur rerum *possibilitates* sint, aut
deant: id postulo ex antecedentibus, u
tecedant in signo rationis, quod dicitur,
in modo considerandi *sapientiam*; Cuju
casu specimen nullum intelligo, ubi sin
tentione & motivo consensus finium &
diorum, verbo, sine argumento perfe
nis §. 78. eligere quis dicitur, aut a
Nitor etiam hic eo nervo, quem §.
seqq. jam adhibui: Si quod *opus sap*
dici debeat, *vestigia* quoque *sapientiæ* ex
elucere; atque adeo sapientiam ex *ips*
opere debere intelligi, & demonstrari p
Atqui vero, *cum ratio* perfectionis præc
tæ *nulla* est, quare hoc magis quis pr
quam alterum: *ex ea* sanè *præpositione* i
ligi non potest, an sapiens electionis a
fuerit, nec ne? Non est igitur illa præpo
opus sapientiæ.

§. 223. Transeo cetera: Hoc dici co
nit, ut *ne nimium* ex dictis inferas. A
pientiam postulavi *ordinem*: In exempl
turalem allegavi. Si festines, facile est
naturalem rerum ordinem ita sapientiæ
nexum putes ex hac sententia, ut om
sit inviolabilis. *Dicam clarius*: Si natu
rerum series est opus, non potentiæ so
sed sapientiæ præcipuè: si miraculum in
spectatum est opus non præcise sapien
sed potentiæ: (utrumque asseruerunt

do

doctiſſimi:) *videbitur fortaſſe*, ita excludi miracula abſolutè omnia ex opere ſapientis. Monuit *Cel. Chr. VVolfius*, excludi *eo* caſu, ubi naturalibus quoque rationibus obtineri idem plane, qui miraculo, effectus poſſit; *Sin* id fieri non poſſit, ſi fines divini naturaliter obtineri non poſſint, ſique ad eò miraculum ſit finis obtinendi medium; eo caſu eſſe opus quoque ſapientiæ, & ordinem ingredi rerum creatarum; v. Cogitat. Ration. de DEO, mundo & anima §. 1041. 1042. ſcilicet *hic modus* eſt, quo ingredi optimam mundorum poſſibilium ideam poſſunt, neque *ſupremo* ordini repugnant, deducenda principio altiori, quam naturalia; quod utrumque *Leibnitius* aſſeruit in Theodicæa §. 54. 114. & 207. coll. Epiſtola prima ad virum *Cel. Samuelem Clarckium* §. 4. Credo intelligi ex hactenus enarratis, quæ ſit *ratio* adhibitæ *limitationis*, & efficacia. *Nihil* enim *DEO* præjudicatur. Quoties id fines poſtulant, ut interponantur naturalibus miracula; toties id ſapientia ſuadet: itaque nec *frequentia* hic *abſolutè* aſſeritur, nec negatur illa; *reſtringitur* ad illos caſus, quos divina approbat ſapientia & conſilium. *Quoties id* vero accidat, philoſophi non eſt decidere; neſcit ille neceſſaria deciſionis præſuppoſita.

§. 224. Diximus de *bonitate* pauca; Pauca de *ſapientia*: *Conjuncta* utraque doctrinam *de voluntate* elucidant; illâ præcipuè, quæ *antecedens* dicitur, & *conſequens*. Habitum id eſt diffi-

difficile argumentum à nonnullis: videamus, an distincti aliis quoque conceptus videantur, quos ego legitimos arbitror, & distinctos? *Voluntatem generaliter* dico illam in Ente intelligente facultatem, qua rem sibi propositam tanquam bonam appetit, aut tanquam malam aversatur, atque adeo ad illam præstandam, obtinendam, removendamve connititur. *Leibnitii* verba sunt, in Theodic. §. 22. „Sensu generali dici potest, „voluntatem consistere in inclinatione faciendi aliquid secundum mensuram boni, quam „continet. *Dogmaticum* in his definitionibus *aliquid* comprehenditur, sed observatione, argumento rei, & consensu universali fultum; voluntatem scil. non appetere nisi bonum, ut tale: Nihil igitur formido, id vel ipsi statim definitioni interserere. Si malis tamen, deme id ex definitione vocabulum: Et de natura appetitus atque aversationis theorema subjunge indicatum, & vulgare. *Non memini* difficultates ex natura voluntatis *generali* intermixtas esse negotio *præsenti*: transeo igitur illa, quæ distinctius circa eam evolvi merentur in alio studio versantibus. *Ejusmodi sunt*, quæ *de* natura motivorum agendi, & earundem in voluntate efficacia in genere causæ finalis aut efficientis spectata; *de* appetitu voluntatis ipso, sive conatu illo transeundi ex uno statu in alium, in creaturis obvio, & mutationum in animis principio; *de* ordine illius transitus; & *de* differen-

ferentia quoque voluntatis divinæ à ceteris &c. dici utiliter possent; quorum, si quid in sequenti sectione necessarium erit, suo id loco inseram discursui.

§. 225. *Perfectionem* voluntatis, & illius naturam, criteria, aut judicandæ normam breviter hic edissero. Collocavimus perfectionem *in consensu* §. 78. voluntatis igitur perfectionem in consensu quærimus. Quonam illo? Nimirum isto, qui est *inter* repræsentationem objecti & objectum volitum itemque *inter* repræsentationem motivorum, & arbitrium voluntatis; tum denique *inter* volitionem unam & alteram. *Primum* ad præsupposita reduco: *Postrema* ad voluntatem ipsam refero. *Illud* ad objecta pertinet; *istud* ad motiva; *hoc* ad utraque illa, diverso respectu. *Perfectior* autem *vulgo* quoque *voluntas* creditur, quæ *verum* bonum appetit, quam quæ falso existimatum, & apparens solum; quæ *plura* & *majora*, quam quæ pauciora & minora, in collisione saltim & solide æstimata; quæ *ob ipsam* rei *bonitatem* potius, quam illa, quæ per accidens; Quæ majus bonum *ardore majori*, quam quæ remissius aut æqualiter; quæ *constanter* & sibi similiter, quam quæ alternis vicibus, & sibi repugnans. Si omnia illa in *summo* conjuncta gradu cogites, dic, quæ voluntatis natura sit perfectissimæ? Num *ea* est, ut velit bona in universum omnia, & perpetim, sed pro gradu unum quodque suo, adeoque

maxima maxime tanquam maxima? Num igitur rectè in compendio *Eruditissimus Chr. WWolfius* §. 907. Metaphyſ. illam eſſe perfectiſſimam voluntatem, quæ pro motivis habeat adæquatam optimi repræſentationem? *Evolve*, ſi placet, definitionem viri diſtinctius & comprehenſa ibi ſive antecedenter ſive conſequenter, *omnia* deprehendes, quæ expreſſius hic expoſui. Erit hujus expoſitionis *uſus* nobis in ſequentibus: Nolim tamen facili per ſeſe negotio immorari diutius.

§. 226. Præcipuè illam hoc loco diſtinctionem perſequi placet, qua voluntas alia dicitur *antecedens*, *conſequens* alia. Loquimur *generaliter*: Generales igitur definitiones daturi, quæ & creaturis competant, & *creatori*, eidemque & *gratiam* moderanti, & *naturam*, *corpoream* ſimul, & *ſpiritualem*. Principio quidem *Ill. Leibnitii* verba exhibeo, & declaro ſenſum dicti: Deinde breviter ipſam rem ediſſero. Ita autem ille *in cauſa DEI aſſerta*, §. 24. „Prior diviſio eſt, ut voluntas ſit vel *antecedens* ſeu *pravia*, vel *conſequens* ſeu *finalis*; ſive quod idem eſt, ut ſit vel *inclinatoria*, vel *decretoria*; illa *minus plena*, hæc *plena* vel abſoluta. Equidem ſolet aliter (*prima* quidem *ſpecie*) explicari hæc diviſio à nonnullis, ut *antecedens* DEI voluntas (v. g. omnes ſalvandi) præcedat conſiderationem; *conſequens* autem (v. g. quosdam damnandi) eam ſequatur. Sed illa præcedit

dit etiam *alias* DEI *voluntates*, hæc sequitur; Cum ipsa facti creaturarum consideratio non tantum à quibusdam DEI voluntatibus præsupponatur, sed etiam quasdam DEI voluntates, sine quibus factum creaturarum supponi nequit, præsupponat. Itaque *Thomas* & *Scotus*, aliique divisionem hanc, eo, quo nunc utimur, sensu sumunt, ut voluntas *antecedens ad bonum* aliquod in se & *particulariter, pro* cujusque *gradu* feratur, unde hæc voluntas est tantum *secundum quid*: Voluntas autem *consequens* spectet *totale*, & ultimam determinationem contineat; Unde est *absoluta* & *decretoria*; & cum de divina sermo est, *semper effectum* plenum obtinet. Cæterum si quis nostram explicationem nolit, cum eo *de vocabulis* non litigabimus; pro antecedente & consequente *substituat*, si volet, præviam & finalem. Voluntas *antecedens* omninò *seria* est, & *pura*, non confundenda cum velleitate (ubi quis vellet, si posset, velletque posse) quæ in DEUM non cadit; nec cum voluntate conditionali, de qua hic non agitur.„

§. 227. Si rectè mentem intelligo, *Leibnitius universaliorem* reddere appellationem voluit, ut non ad solum futuræ fidei aut meritorum prævisionem applicata & restricta maneat distinctio, sed, generalius enunciata, *omnes illos* sub sese *casus* complectatur, quibus aliqua voluntatis species ea præsupponat, quæ ad alterum demum consequuntur.

tur. *Non* id arbitror *sine exemplo* esse; præsto enim sunt Theologi nostrates, iidemque philosophi, quibus placuit extendere illam distinctionem de DEO usurpatam ad Angelos quoque; aut, quibus visum est, ad homines & œconomiam gratiæ applicatam, declarare *exemplis* quoque aliis, Medici, Principis, Præceptoris, hortulani, Herois Christiani, Regis &c. Non enumero illa prolixius, quod auctoritatibus niti humanis lubricum puto & indecens. *Leibnitio* id *familiare* fuit, quæ particulatim alii usurparunt, reddere universaliora, & accommodare usibus eo artificio pluribus. Non id igitur mirum est, extendisse consuetam in aliquo casu distinctionem, & voluntatis antecedentis & consequentis *appellationem ampliasse*. *Si quod* ea re *incommodum* Theologiæ intulit, peccâsse existimator: *Sin minus*, fruatur jure, quo neminem prohibemus: *Si commodum* eo instituto aliquod veritati accedat, habeat ille gratias quoque, quod admonuit.

§. 228. *Utrum* ex facto viri expectare liceat, facilè Lectores pronunciabunt, cum ad sequentia attenderint. *Ratio*, quod antecedentem & consequentem in DEO voluntatem nostri contemplantur & asserunt, ea est, *quod* inter utramque *aliquid medio* quasi loco interjicitur; cujus respectu antecedit altera, altera consequitur. Ad *scientiam* id quidem pertinet communiter: quid impedit, eadem vocabula etiam eo loco applica-

re,

re, ubi *alia* supponuntur intermedia? præcipuè cum *hac ipsa distinctio* prout usitata est, non *solum* supponat præscientiam, sed alia quoque per ipsam præscientiam in DEO & homine præsuppoſita. Accidet eo facto, ut distinctione generalius explicata, & *prior usus* subsistat integer, & *fulciatur* quoque, saltim ab objectionibus nonnullis *liberetur* facilius, *& alii* quoque in aliis negotiis *accedant*: *Antecedentem* igitur voluntatem in genere *illam dico, quæ* obtinet nondum consideratis omnibus actionis circumstantiis & motivis: *Consequentem*, quæ perpensis demum omnibus locum habet. *Differuntque* illæ voluntates & mutuo se antecedunt atque consequuntur, cum *de creaturis* sermo est, quoad rem ipsam; Accedit enim aliquando, ut non solum tempore disjectæ sint, sed & sententia diversæ voluntates, antecedens & consequens. Cum *de DEO* loquimur, quoad nostrum concipiendi modum, & in signo rationis; nihil enim in DEO prius & posterius est tempore, nihil re ipsa multiplex, multo minus adversum & pugnans.

§. 229. Intelligitur vero *primam* esse quasi *excitatoriam* ad agendum, & *inclinatoriam*: *secundam decisivam* esse & *decretoriam*. Ex quo consequitur, primam ferri *in omne bonum*; namque bonum omne excitat, movet, inclinat, allicit voluntatem, plus minus id quidem, pro sua sive bonitate sive specie bonitatis, verè tamen & realiter. Secundam

ferri

ferri in *bonum prævalens*; perpensis enim, & comparatis adeo (plus minus distincte aut clare, aut confusè, aut obscure) omnibus, ex *ea sola* parte bonum *manet*, & voluntatis adeoque inclinatio persistit, *qua* in comparatione instituta major visa fuerat, & super ceteras abundans. *Primam* igitur, cum de divino Numine sermocinamur, *à bonitate* totam repetimus: *secundam* à Bonitate & *sapientia*. *Illius est* conniti, ut omne bonum producatur, realitasque & perfectio omnis: *Hujus est*, ordinare opus & dirigere, ut si omne obtineri non possit, obtineatur tantum, quantum fieri potest. *Utriusque* considerationis conjuncta operatio est, ut *omne, quod potest*, salvis DEI decentiis; ut omne, quod potest sapienter; ut adeo omne, quod potest in connexione mediorum & finium.

§. 230. Ut distinctius omnia patescant, potest in præsenti negotio resolvi prior distinctio in alteram *triplicis membri*; præeunte etiam hic *Leibnitio* in *Theodicæa* §. 119. Ejus hæc verba sunt: „ *Inter* voluntatem *purè antecedentem* ac primitivam, & voluntatem *consequentem*, finalemque *medium* concipi quoddam potest. Voluntas *antecedens primitiva* quodlibet bonum & quodlibet malum in se ab omni combinatione præcisum pro objecto habet, & tendit ad promovendum id bonum, & prohibendum id malum. *Voluntas media* fertur in combinationes, cum scil. alicui malo bonum aliquod affigitur;

&

& tum voluntas aliquatenus in combinationem istam tendet, cum bonum malo potius est. At *voluntas finalis* & decretoria ex omnium bonorum, omniumque malorum, quæ nostram deliberationem ingrediuntur, consideratione, ipsaque totali combinatione resultat. Ex his liquet, voluntatem *mediam*, etsi respectu voluntatis *puræ* ac primitivæ *consequens* quodammodo dici queat; *respectu* tamen voluntatis *finalis* ac decretoriæ tanquam *antecedentem* posse considerari.,,

§. 231. Arbitror, voluntatem illam primam purè antecedentem primitivam, vix aliud *esse*, quam Entis intelligentis *bonitatem*, superius expositam, *aut immediatum* ejus *consequens*, diversa saltim formali ratione: Itaque ferri illam in bonum omne pro suo cujusque gradu & merito, vero vel apparenti; adversari illam malo omni pro suo itidem uniuscujusque demerito, reali aut imputato tantum. Neque intelligò sanè, quo sensu v. g. *summam* in DEO bonitatem venerari liceret, *nisi* propenderet ad bona, perfectionesque & realitates in universum *omnes*, *serio* id quidem, etsi pro diversis bonitatum gradibus. Non loquimur hic de *ostentatione* bonitatis; loquimur de voluntate: ea nisi seria est, nulla est; Itaque *seriam* illam *antecedentem* postulamus. Obtinebimus id quoque, cum *efficacem* plane, & fructus plenissimam mox ostenderimus. Neque id sufficit mihi: *Puram* illam, *non conditionatam* affero;

ſero; Velleitatem fortaſſis aliquam interpretaturus, ubi ad rem ipſam venero. Non ille ſenſus eſt, aut vis dicti: Quod vellet DEUS, ſi poſſet, omnia ſimul bona largiri, aut, quod vellet id poſſe. Vult largiri omnia; voluntate tamen inclinatoria, nondum decretoria. *Placet* illi, non ſub conditione, ſed *ſimpliciter*, quicquid bonum eſt: placet autem *proportionate*, prout unumquodque majus eſt aut minus bonum. Hæc *prima* voluntatis *conſideratio* eſt, ex ipſa *bonitatis* idea pendens, *quæ* nullum excludit bonum à divina approbatione; *quæ* unumquodque bonum in ſe ipſo, ſingulatim & ſeorſim ſpectat, ut bonum eſt; *quæ* ſolum à divina complacentia malum exulare jubet, idemque ejus averſationi ſubjectum eſſe declarat; *quæ* ab accedentibus operationi conſiderationibus univerſim omnibus hucusque abſtrahit, eoque ſimpliciter antecedens & primitiva eſt.

§. 232. Ubi *ſapientiam* bonitati *Comitem* feceris, non ſingulas in ſeſe res amplius conſiderare licet; ſapientia nexum ſpectat & ordinem: Itaque eo caſu bona mutuo combinata oportet tanquam media contemplari & fines. Diximus in antecedentibus, §. nimirum 83. ubi fines per media finitæ virtutis obtineri debeant, non poſſe *omnem* in effectibus defectum, & diſſonantiam quoque, *omnibus* in caſibus evitari: Itaque ſi bona mutuo connexa, ſi realitates mutuo dependentes ſpectare DEUM intelligas, perfectio-

nes imperfectionibus, bona malis mixta contuebitur, alteram approbaturus partem, aversaturus alteram. Igitur *mixta* est supremi Numinis (liceat *humano more* loqui, ut in signo rationis) in illam rem *affectio*, ex propensione & aversatione, quarum illa hactenus prævalere supponitur, cujus in combinatione ista objectum prævalet, sive bonum sive malum. *Resultat hæc* è priori voluntas, modo res mutuò connexas velis contemplari; considerationem illam sapientia infert, qua dignum DEO concipitur, non efficere disjectam rerum multitudinem, sed ordinatam construere. *Fieri* autem hoc loco *potest*, *ut malum* in combinatione *prævalent*, eoque illa quidem combinatio intermedia hujus voluntatis approbativæ objectum non sit, cum sola respicitur: etsi bonum ea combinatione contentum, sit voluntatis primitivæ objectum omninò gratum. *Ex adverso*, ubi bonum abundat in combinatione: est illa universim spectata objectum hujus voluntatis acceptum; etsi malum combinationi intermistum, pro sua parte, sit omnis divinæ voluntatis objectum constanter odiosum. Ista arbitror, de singulis rerum combinationibus, de speciebus rerum, de partibus totius seorsim sumtis dicta, *neque falsa esse, neque indecora DEO*, cui nequaquam displicet, haberi bonum simul & sapientem.

§. 233. Quemadmodum verò sapientiam diximus supremam esse, cum omnia omnibus

bus attemperat, neque parti saltim prospicere nititur, sed universum valet mediis suis atque finibus instruere: Ita *tertiam* prioribus *voluntatis speciem*, potius respectum, addere juvat; qua non singulas solum, aut compositas quidem, sed partiales tamen combinationes rerum attendit, sed *universas*. Facit *bonitas* sane, ut tantum perfectionis in ea decisione præsto esse debeat, quantum potest: facit *sapientia*, ut summam possibilem invenire DEUS valeat. Ita fit, ut ex *omnibus* illis considerationibus, primò singularibus, in voluntate primitiva; deinde particularibus, in voluntatibus intermediis; resultet *decisio finalis*, atque generalis, *universum* rerum *ambitum* complexa. Hæc decretoria est, & effectum certissime suum & plenissime obtinet, cum de DEO asseritur. *Secus* est in homine. Cujus ab enumeratis Dei voluntatibus ea est differentia, quod *in primitiva* voluntate bonum quidem generaliter, & ut bonum appetat, non specialiter verò, minus individualiter omne bonum; & apparens aliquando, non verum: *in media*, neque omnes possibiles combinationes; neque cognitarum momenta omnia; neque momenta distinctè satis attendat: *in consequenti* & decretoria, quod visum sibi optimum, sed falso sæpe; moliatur quidem, non verò semper obtineat.

§. 234. Putem, ex hac theoria intelligi quam clarissime, quod *antecedens* voluntas & in to-

to & in omnibus ſui partibus *ſeria* ſit: *habet enim effectum*, eundemque præſtantiſſimum, & inter poſſibiles *maximum*. *Num* illa *ſeria eſt* voluntas, *quæ* maximum poſſibilem effectum *non* obtinet? *Num* illa *ſeria non eſt*, *quæ* maximum poſſibilem obtinet? *Primum in applicatione* expreſſius recurret, ſectione libelli *tertia*, cum ex voluntate antecedenti ut ſeria, facili ſimul & certa illationis conſequentia deducam, effectum divinæ actionis, ut à Deo ſpectatum, omnino maximum atque optimum, verbo perfectiſſimum eſſe infallibiliter. Hic *utrumque in theſi* attendo, & voluntatis præſertim divinæ, antecedentis efficaciam breviter indico. Præcipuus *antecedentis* voluntatis *effectus eſt* ipſa *conſequens* voluntas, quæ nihil aliud eſt, quam decretum generale & finale, ex omnibus antecedentibus inclinationibus ſingularibus & particularibus reſultans. Id *extra dubium eſt* mihi, ſi potuiſſet major, ſine abſurditate aliunde naſcitura, effectus obtineri, quam in conſequenti voluntate decernitur, voluntatem antecedentem, quoad partem ſine urgenti incommodo neglectam, non fuiſſe ſeriam. Ille mea ſententia *vult ſerio*; *qui* facit non impeditus: *non ille*, qui, non impeditus licet, non facit tamen. Per hypotheſin præſentem agens ſupponitur partem præterire & negligere, quam præſtari nihil impedit: itaque niſi & illam ceteris adjungat, ſeriò illam voluiſſe non concipitur. Ita meo qui-

M dem

&, si earum aliqua se mutuo exclu
qui tam parum excipit, aut excipi pa
quam fieri potest. *Ita* enim ostendit,
se illa projicere, sed, ubi facienda vel a
tenda sit exceptio, indulgere minorem
tem, ut majorem obtineat. Credo
homines eam *consequentiam admitti*, si q
arguat: In metu naufragii mercator ta
rum mercis projicit, quam fieri potest;
omnes amat, omnes etiam servare st
& seriò. Scilicet hic *attendimus* notio
lius *formali*, cum quis dicitur *tantum* ap
re, quærere, curare, obtinere, *quantum*
potest; & credimus illum seriò omnia
le, cujus in eo cura versatur, ut tantu
vetur, quantum fieri potest pro circum
tiis. Quoniam tamen id fortasse *non om*
æque *planum* videbitur; quoniam *nece*
est, ut *ex ipsa* maximi effectus *notione* s
esse in omnes voluntatem directè co

ne objectio *facile* dissolvi possit, ostendamus. Si cui in mentem veniat, DEUM non serio omnia intendere bona, nisi omnia quoque actu perficiat: *speciosior* difficultas est *adversus illum, qui* existimaret, è bonis omnibus seligi aliquâ solum, & *nonnulla* præteriri, *etsi* nullum sit urgens argumentum, separationem posteriorum à prioribus postulans & persuadens; supposito enim, quod & neglectis partibus idem destinari posset, & conferri sine emergente incommodo, seriusille circa omnia non videtur, qui *sine causa* alteram sive negligit, sive deserit partem.

§. 236. *Decedit* autem *argumento* vel species vel spectrum veri; si adversus nostram inflectatur seriem dictorum, qua nullam sine urgenti & fortiori causâ partem ex omnibus negligi aut præteriri adstruximus; sed *tantum* boni actualiter à suprema bonitate confieri & distribui asseruimus, *quantum salvis* attributorum divinorum, sapientiæ præsertim, &, quæ ex combinatione bonitatis & sapientiæ oritur, justitiæ honoribus fieri unquam potest. Statuto enim hoc rerum ordine, *neglectus* aliquorum, quoad ipsam eorum existentiam sive decernendam, sive exhibendam, *non* ex primitiva Dei *voluntate pullulat*, tanquam minus seria, aut minus ad rem intenta, sed eidem ad bona omnia, pro gradu unius cujusque propensæ demum ex aliis circumstantiis *accedit*. *Non* igitur *ostendit* hæc exceptionum admissio, *quod* volun-

tas antecedens *minus ſeria* non feratur in rem propoſitam, aut ad bona omnia præſtanda non inclinet: *ſed decreto* ſolum, atque adeo conſequenti illud executioni *interceſſiſſe obſtaculum* monſtrat. Neque adeo (ita ex hactenus dictis conſequitur) antecedentem voluntatem, prout illam explicuimus, ea de cauſa licet convellere; quod ſeria illa non ſit, nec efficax: *Effectum* enim *habet*, eundemque *maximum*, quem poteſt; ita enim arbitror id intelligi, poſtquam oſtendimus voluntatem ipſam *conſequentem, quatenus maximum* decernit & optimum, ex illa antecedentis conſideratione ſcaturire.

§. 237. Putem, *ſpecialius* quoque hanc theoriam, non ſine fructu applicari poſſe *illis* caſibus, in quibus memoratæ diſtinctionis uſus *huc usque* fuit frequentior. Cogitabunt de illo, quorum intereſt, objectionem adverſariis ſuis illam extorquere, qua antecedentem Dei voluntatem Philoſophis atque Theologis noſtratibus aſſertam, aliqui ideò contemnunt, quod inefficacem illam, & minus ſeriam, atque adeò indignam ſummo Numine arbitrantur. Non enumero, *quid alii* de effectibus voluntatis antecedentis congruè paſſim docuerint, interque illos præcipue Vir acute Philoſophus, *Jo. Georgius Dorſcheus*, de illo præſertim argumento, quod ad divinam voluntatem pertinet, benè meritus. *Num* id *incommodum* cenſeri poteſt, *ſi quis* illo etiam argumento ſeriam antecedentem

vo-

voluntatem agnoscat, quod DEUS pro illa universaliter obtinenda faciat, quantum salvo divinitatis decoro potest; atque adeo illa quoque obtinendis finibus suis media seligat, ordinet, & applicet, quibus finem illum & moliri convenit, & præstare licet, quam fieri potest, plenissime. Fortassis illa non incongrua *disquisitio* foret; sed *sobrie* instituta, qua *distinctius* & specialius inquireretur *in Leges* & specimina *sapientiæ*, quatenus è divina antecedenti & media voluntate, finalis decretoria resultat, ductu sapientiæ. Neque desperem, erui posse *aliqua* nondum universaliter cognita; etsi plurima sint quoque, ingenium humanum longissimè excedentia.

§. 238. Mihi duo hic adjungi breviter & utiliter posse videntur; quibus *scrupulos* forte aliquos è Lectorum quorundam animo *eximi* confido. Alterum est, *non pugnare* id *cum sapientia* divina, si antecedenti primitiva voluntate velit singulatim omnia, pro suis gradibus, etsi conjunctim omnia obtineri non possint: Alterum, *non pugnare* id *cum* divina *beatitudine*, si non eveniant omnia, quæ velit, primitiva scil. voluntate, quam dixi: *Communis* hæc *causa* est mihi cum aliis non paucis: quorum & vestigia legam, etsi eorum testimonia & auctoritates non adhibeam. *Primum* quidem in ipsa theseos enarratione solutum est: dicam id tamen expressius. Sapientiæ non præjudicat voluntas

luntas antecedens; neque voluntati illi sapientia. *Non sapientia voluntas*: Hæc enim singula seorsim spectat, & antecedit sapientiam: Probat omnia bona sigillatim spectata; sed combinationes ea approbatione non excludit; neque decernit illa, quod disjectim existere bona velit; sed inclinat solum, ad omnia quidem, sed pro gradu uniuscujusque, quem & sapientia præsupponit & attendit. *Manente* igitur divina omnium bonorum approbatione, non *ea propter* illorum combinabilitas tollitur, neque gradus æquantur, neque adeo alterius boni super alterum eminentia tollitur, neque eligibilitas optimi ad decernendam illi præ cæteris existentiam eo facto intervertitur: *Nihil* igitur *sapientia*, in *posteriori* demum considerationis *momento* accedenti, quicquam video *præjudicari* voluntate nimirum inclinatoria universali. *Secus foret*, cum *sapientia* suaderet optimum neglectis minoribus: & *consequens* decretoria tamen fingeretur esse *universalis*; aut universalis *antecedens* supponeretur esse *decretoria*.

§. 239. Iisdem argumentis intelligitur, neque *sapientiam præjudicare* antecedenti primitivæ *voluntati*. *Effectum* sane ipsius, ob rationes Deo extrinsecas, & quoad ipsas rerum existentias, limitatiorem, quam pro universali inclinatione, futurum esse animadvertit: Ipsi in sese *approbationi* omnis boni possibilis nequaquam adversatur. Nimirum

rum *voluntas* illa *pro gradibus* bonorum temperata est; non igitur illi repugnat, *sapientiam discernere* gradus eorum, & attendere illos quoque in combinationibus, & in decernenda rerum existentia suadere eam partem, quæ optimum complectitur. Quin potius id quasi *præludium sapientiæ* aliquod agnoscere licet, quod *voluntas ipsa* quoque primitiva, etsi *universaliter*, non tamen *æqualiter* feratur in bona omnia; majori erga isthæc propensione affecta, quæ majorem in sese bonitatem comprehendunt. Ita enim in ipsa antecedenti inclinatione ratio est aliqua & præparatio, ad alterum alteri anteferendum; quæ plenum deinde suasionis effectum interveniente sapientia nanciscitur in voluntate decernente. Quare non possum non approbare *verba* magni inter nostros *Theologi*, cum recensito salutis ordine ex sententia nostratis Ecclesiæ ita pergit: „ Quod *voluntas sit inefficax* futura respectu eorum, qui contra voluntatis divinæ ordinationem Mediatorem contemserunt, ad instans, ut sic loquar, *ordine posterius* pertinet, in quo divisio fidelium ab infidelibus oritur & præscitur. Quod consequens est, & ad eventum referendum. Neque verò summæ DEI *sapientiæ* repugnat, ferri in id, quod vidit, nunquam futurum esse. DEUS enim naturæ suæ *summe bonæ* potentiam hoc modo demonstrat. „

§. 240. Puto *hanc* fore *pugnam* voluntatis & sapientiæ, si voluntas *decernat*, faciendum esse, quod fieri sapienter nequeat; si voluntas non faciendum esse *statuat*, quod fieri suadet sapientia. *Neque eo* casu *attendendum* reor, an sapientiæ considerationem antecedat decretum, an sequatur? *Pugnant* enim *motiva decretis*; illa ex sapientiæ ratione sumta, hæc euntia in contrarium: sive jam attenta illa motiva ab agente putes, sive factam sine destinato adversus sapientiam consilio decisionem. Utriusque rei casus frequentiores sunt, inter homines sane, quam ut exemplis dicta firmari necesse sit, facilè unicuique succurrentibus. Tum vero & *in inclinante* voluntate *pugnam* sapientiæ & affectus in rem propensi, locum obtinere aliquem posse reor, *eo casu*, cum absoluta est propensio, & ultra rei bonitatem extensa. *Sin* ex adverso *neque decretoria* voluntas sit, *neque* inclinatoria absoluta *ultra meritum* causæ extensa; *sed vel* hypothetica, *vel* absoluta quidem à conditionibus, non tamen à motivis, utraque autem proportionata objectis: nullam in eo facto pugnam sapientiæ & voluntatis deprehendo. *Pugnam* novimus *requirere eosdem* ex utraque parte terminos & conceptus: Atqui discrimen hoc loco multiplex ostendi. Antecedens *primitiva* voluntas *seorsim* singula considerat; *inclinat*, non decernit; *proportiones* complectitur, non excludit: *sapientia* res mutuo combi-

bi-

binatas spectat; suadet decretum & *executionem* particularem, non inclinationem & affectum; idque non simpliciter, sed pro natura rerum, & *secundum proportiones* in antecedenti quoque voluntate attentas. Nulla igitur hic *pugna* est, *nisi vagè* loquaris & indeterminatè, & ambiguè, ut fieri solet, cum dicitur: „*Antecedens* vult omnia; *sapientia* vult solum aliqua.„ Equidem sapientia propriè non vult, sed consulit, & suadet: transeat id verò. Posses dicere: *Antecedens* vult omnia voluntas; *Consequens* non omnia: Hæc pugna est. Nequaquam verò. Evanescit dubium, si *voci explicationem* addideris vel substitueris. Quam id *contemtum* & utile *præceptum* est de attendendis & substituendis terminorum loco definitionibus in discursu!

§. 241. Sed neque *beatitudini* divinæ & felicitati *repugnat*, si velit, quæ non eveniant, vel, eodem sensu, & ordine retrogrado, si non eveniant, quæ velit. Potest id fontibus iisdem deduci. Rectè Leibnitius in causa DEI. §. 27. „Neque verò aliquid felicitati perfectionique voluntatis Dei decedit, dum non omnis ejus voluntas effectum plenum sortitur: Quia enim *bona* non vult, nisi *pro gradu* bonitatis, quæ in unoquoque est; *tum maxime* ejus voluntati satis fit, *cum optimum* resultans obtinetur.„ Quicunque bona vult pro gradu bonitatis, ille *non* vult existere, *nisi* quæ merentur produci. Si

quæ in collisione merentur ceteris anteferri; Si quæ posthaberi in decernenda rebus existentia; Id voluntati *consonum* est, non adversum aut repugnans; *neque* adeò *obtrusum* illi, & consequenter *invisum* aut odiosum. Nihil igitur eo facto beatitudini decedit, & plenissimæ in se ipso acquiescentiæ. Tantum igitur abest, ut id beatitudini repugnet divinæ, discrimen inter bona observari, atque aliqua aliis sapienter anteponi, etiam in existentia rerum, ut *hoc ipsum* potius sit divinæ beatitudinis *objectum*. Loquor, uti *Dorscheum* aliquando loquentem observavi, cum de voluntate Dei, non omnem plenissime effectum obtinente, exposuit: dabo verba viri, ut contendi possint, cum de applicatione præsentium ad divinam mali permissionem tractabitur. Hic *alia* ejusdem *viri* verba subjungam, penitus accommoda negotio, & solida: „ *Illud ipsum objectum* (loquitur de voluntate antecedente, & ejus efficacia, & modo, quo ad divinam beatitudinem conferre dicitur:) etsi in ipsa rerum existentia non repræsentatum, *amabile* nihilominus *Deo* est; Deus illo fruitur tanquam sapientiæ suæ quapiam quasi idea in se, & infinitæ delectationis habet dulcedinem.„

§. 242. Diximus de Bonitate & sapientia; & quæ inde pendent, voluntate antecedenti, media & consequenti, quæ *sufficiant*, instituto quidem præsenti: neque enim *de media* necessium est *separatim* agere; pertinet aliquo

aliquo respectu ad antecedentem, aliquo ad consequentem. §. 230 adeoque de media & consequente valent, quæ diximus de antecedente & media §. 232. atque sic deinceps. Superest, ut & *mali notionem* evolvamus, & naturam *permissionis* simul explicemus: Eius enim utriusque, & postea frequens mentio incidet, & in antecedentibus aliquando facta est, ubi communes appellationes supposui. *Malum*, si quid judico, ex opposito *definitur* optime. Possem dicta *Aristotelis* allegare, qui sexto Topicorum, cap. 2. & 9. postulat, ut oppositi sit opposita definitio; locutis in ea sententia philosophis deinde omnibus: quoniam tamen *diversa* oppositionis genera aliquam in negotio difficultatem generare possent, *facilius* me *ita* expediam. *Bona* dixi, *realitates* §. 209. Realitates enim omnes consentiunt, eoque præstant perfectiones, eoque bona sunt; bonum enim est, quod perfectionem exhibet. *Consentire* omnes facilè intelligitur, quod pugna non sit, ubi positivum negativo aut privativo non opponitur, sed positivo conjungitur. *Hæc* causa est, quare *omnes* in *eodem* Ente realitates convenire possint, eoque Ens perfectissimum *à priori* intelligatur esse possibile. Sin *argumentum* postulas magis receptum, sectione autem tertia distinctius evolvendum, accipe illud: Realitates omnes sunt ab *una* origine §. 133. Quam summè bonam, adeoque & unicè bonam indigitavimus §. 210, nequaquam

ex bono & malo mixtam ; quæ igitur nullius mali rationem in ſeſe poteſt comprehendere §. 64. Realitates igitur omnes bonæ ſunt, vel, eodem ſenſu, bona ſunt. Si realitates *omnes* ſunt bona ; mala non poſſunt eſſe realitates. *Sunt* igitur *defectus realitatum* ; ſimplices aut multiplicati, prout imperfectiones ſupra diximus eſſe remotivè dictas, aut contrarie, easdemque in defectus reſolvimus utrasque §. 117. ſunt negationes vel privationes, prout in ſubjecto habili aut inhabili intercedere judicantur.

§. 243. *Malum* illuſtri *Leibnitio* triplex eſt, uti bonum: Metaphyſicum, phyſicum, & morale. „*Metaphyſicum* generaliter conſiſtit in rerum etiam non intelligentium perfectione & imperfectione. Liliorum campi & paſſerum curam à Patre Cœleſti geri Chriſtus dixit, & brutorum animantium rationem DEUS habet apud Jonam. *Phyſicum* accipitur ſpeciatim de ſubſtantiarum intelligentium commodis & incommodis, quo pertinet malum pœnæ. *Morale* de earum actionibus virtuoſis & vitioſis, quo pertinet malum culpæ. Et malum phyſicum hoc ſenſu à morali oriri ſolet, etſi *non ſemper* in iisdem ſubjectis: Sed hæc tamen, quæ videri poſſit, aberratio, cum fructu corrigitur, ut innocentes nollent paſſi non eſſe. „ Ita vir magnus in *cauſa Dei aſſerta* §. 30. 31. 32. & in *Theodicæa* §. 21. „ Malum tripliciter ſumi poteſt, metaphyſicè, phyſice, & moraliter.

Malum

Malum metaphyficum confiftit in nuda imperfectione; malum phyficum in perpeffione; & malum morale in peccato.„ Scio, quid *de* malo *metaphyfico* dici in fcholis foleat, alio fenfu: Neque igitur appellationi ifthuic infifto: appella imperfectiones, ut placet; fimiliter & perpeffiones: Conjunge illas, fi lubet, fub una mali phyfici idea, & exclude metaphyficum; diftingue phyficum verò in illam partem, quæ non animatis, aut non intelligentibus competit, & alteram, quæ intelligentes affligit. Nihil hic arbitrium morabor tuum: Potius ifta tria in *fe ipfis*, quam in vocabulis attendam, & quæ hoc loco neceffaria reor, breviffimè edifferam.

§. 244. *Mala* generaliter definivi *effe defectus* realitatum: Id *per fpecies* eundo fic intelligitur. *Imperfectiones* rerum duplices fuprà allegavi. §. 102. Quin *privativè dicta* fint realitatum defectus, nemo poteft ambigere. Fortaffe dubitas de altera ea claffe, quam ipfe ego *contrariè dictam* appellavi, & contrariam quoque realitatem fubeffe debere arguis. *Non* repeto, illam fuperius claffem à nobis reductam effe ad priorem quoque §. 117. *Non* urgeo, contraria dici illa quoque, quorum alterum confiftit in negatione vel privatione; calorem & frigus, humidum & ficcum &c. adeo quidem, ut Ariftoteles disertè admonuerit, fexto Topic. c. IX. nonnulla contraria effe, quæ privatione alterius dicantur. *Hoc unum* adjungo, *concipi* illas

ima-

imperfectiones quidem tanquam realitates quasdam aliis contrarias; distinctè autem consideratas *non esse* realitates. *Debita* (hæc exempli loco fuerant §. 116.) non sunt realitates paratæ pecuniæ contrariæ; sunt interpretativa pecuniæ præsentis aut adfuturæ privatio; sunt privatio juris utendi parata etiam pecunia; æquivalens absentiæ illius. Inepta *conclavium* ordinatio, fini ædium contraria, quousque malum quid est, & imperfectio etiam contrariè appellata, non est realitas, sed privatio realitatis requisitæ, & intentæ; commoditatis scil. illius, quam ex ipsis illis singulis percipere liceret, nisi dislocatæ essent. Nimirum hoc facit, ut contrariè dicatur imperfectio; quando non est privatio qualiscunque tantum realitatis, sed realitatis instituto præsenti debitæ, & per illud intentæ, ita quidem, ut, nisi ea adfuerit, ceterarum quoque realitatum valorem aut efficaciam imminuat.

§. 245. *Ita* si placet, *multiplicem* defectuum classem comminisci licet: *Primam*, ubi deest realitas in subjecto ejus inhabili, secundam ubi deest in subjecto habili, cui scil. inesse per naturam rei potest, abstrahendo tamen, an inesse debeat; *tertiam*, ubi deest in subjecto, cui inesse ex instituto rei, aut fine, & natura ejus debuerat, abstrahendo tamen, an ejus absentia ceteris quoque præsentibus præjudicet; aut ponendo etiam, quod pro instituto rei illis non præjudicet; *quartam*, ubi deest realitas in subjecto habili, & inesse debita, ita

ita quidem, ut & ceteræ realitates effectus aut valores eapropter minores præstent, quam ipsæ in sese spectatæ exhiberent; *quintam*, cui sensus ejus imperfectionis, adeoque dolor & animi ægritudo accedit. *Ultimas duas* species sub contrarie dictis imperfectionibus complectimur: neque minus tamen absolvuntur privationibus; ut ex dictis intelligitur & exemplis. *Interest* vero, *ut illa* in aprico *sententia* collocetur, ob incommoda oppositæ. *Realitatis* universæ *fontem* & originem DEUM asserimus. Absit, ut Auctorem imperfectionum dixeris. Foret id autem, si imperfectiones, saltim quas contrarie tales appellavimus, realitates esse admitteres, ceteris pugnantes: Pugnantia ab eodem fonte, & simplicissimo, & perfectissimo, nolim derivari. *Attendamus* autem ad intelligentes *præcipuè* causas, & ordine progrediamur naturali.

§. 246. Facile intelligitur, *ignorantiam* & *errores* esse privationes, aut è privationibus scaturire. De ignorantia dubium non est: Ex ignorantia verò & præcipitatione fit error. „*Malum*, inquit *Leibnitius*, Theod. §. 23. est sicut *tenebræ*, nec solum *ignorantia*, sed etiam *error*, & *malitia* in quadam privatione consistunt. Exemplum *erroris* sit illud, quo supra usi sumus. Video turrim, quæ rotunda mihi apparet eminus, quamvis sit quadrata. *Cogitatio*, quod turris sit talis, qualis apparet, *naturaliter* fluit ex illo, quod

video. *Si* in hac cogitatione *sistam*, fit affirmatio & judicium falsum; sed si examen prosequar, si qua mentis attentio moneat, me specie decipi, errorem vitavi. *Sistere* alicubi, nec ulterius progredi, vel observationem aliquam non advertere aut negligere, *privationes* sunt.,, *Mihi* quidem id certum est, *errores omnes* ex præcipitatione nasci, cum specie decipimur, minus in rem attenti, aut necessaria decisionis præsupposita ignorantes, acquiescentes adeo in sententia nondum deducta ad liquidum: Atqui ista *omnia* sunt *privativa* potius, quam positiva; Accedunt positivis sane, sed eo usque non sunt errores. Ita *error* non est in eo, quod rotunda turris videatur; *est in eo*, quod sensum non ex regula optica dijudices, sive quod nescias illam, sive quod non attendas. *Hoc* illud *est*, quod dici solet, non sensus fallere, sed præcipitata de sensibus judicia. Rectè *Leibnitius*, id naturale esse, ut primo intuitu suspiceris, tales esse res ipsas, quales appareant; Obtinet enim ita plerumque, & ad finem pertinet sensationum: sed in eo error non est, donec accedat mentis in illo æstimio acquiescentia; docemur enim *in Logicis*, ad judicium generaliter, eoque & ad falsum mentis judicium requiri, non solum plures ideas, earum comparationem, attentionem, an altera alteram contineat, vel excludat, sed acquiescentiam quoque in *illa* convenientiæ vel repugnantiæ, veræ vel

appa-

apparentis, observatione. vid. si placet, I. P. de Crousaz Systeme des Reflexions ou Logique P. II. c. 1. §. v. T. III. p. 976.

§. 247. Ita ex *imperfectionibus*, sive malo, quod vocant, metaphysico, transitum *ad morale* malum præbent ignorantia & errores; fontes enim malitiæ & peccati sunt ignoratio, & falsa de bono atque malo judicia. *Leibnitium* modo audivimus, malitiam voluntatis collocare in privationibus: *Verba* §. 33. ea sunt. Idem est, de malitia sive mala voluntate. *Voluntas* tendit ad bonum universale, ferri debet in perfectionem, quæ nobis congruit, & suprema perfectio in Deo est. Voluptates *omnes aliquem* perfectionis sensum in se ipsis habent, sed ubi in sensuum voluptate, vel alia quacunque sistimus, cum dispendio *majoris* boni, puta valetudinis, virtutis, unionis cum Deo, felicitatis: *in hac* ipsa *privatione* tendentiæ ulterioris noster defectus consistit. Perfectio *generatim* est positiva quædam & absoluta realitas: Defectus autem privativus est, à limitatione ortum habens, & tendens ad novas privationes. Itaque non minus verum, quam vetus verbum est; *Bonum* ex integra causa, *malum* ex quolibet defectu: uti & illud, quod jam attigimus; Malum *causam* habet, non *efficientem*, sed *deficientem*: Quorum axiomatum sensum ex jam dictis melius intellectum iri confido.„ Ista *Leibnitius*.

§. 248. Explanabo dicta, postquam admonuero, *non extenuari* peccata, si collocentur in privationibus. Nescio, quî fieri potuerit, ut ea animo quorundam cogitatio insederit, moliri illos peccatorum excusationes, qui in privatione illa consistere defendunt. Privationis *tantum* penes me momentum est, *quantum* est realitatis, cui opponitur. *Si cui* v. g. homini *ignorantiam* exprobraveris, num illa levis injuria habetur ideo, & contemtibilis, quia privationem imputas, non realitatem? Aut an existimas privationum nullas, aut exiguas solum esse *consequentias?* sunt *maxima* non rarò; sunt etiam, nisi divinitus suppleri defectum contingat, naturaliter *perennes*; sunt *sensibiles*, ut quàm maximè; *pœna* nimirùm, non *damni* solum, sed *sensus* quoque. Num fieri non potest, ut tenuis cujusdam rei privatio in culpa sit, quare vitam & virtutem homines prodigant, æternum miseri futuri? Num privatio est *sterilis*, & effectu cassa, *si quis* circa fidem ignorans Christum sollicitatus abneget, & Mahometi fidem addicat suam? *si* Legis immemor, peccatum admittat? *si* attentionis defectu licitum putet, quod vetitum est divinitus? *Num* illa non est summa creaturæ infelicitas, *si*, insuper habita in actionibus suis & earundem motivis divina perfectione, benevolo ejus influxu privetur? Atqui est *privatio privatione* orta. Est sanè, sed omninò luctuosissima. Non enumero, quæ inter philosophos ali-

quos

quos & Theologos nostrates de malo *olim* disputata sunt: Hoc *postulo*, attendant ad §. 245. quicunque id ægrè ferunt, mala etiam moralia in consideratione physico-metaphysica vocari privationes; nimirum *realitates* ego nullas novi, nisi *à Deo* veniant, quocunque illas nomine alii introductas aut productas vocant; â DEO autem mala scaturire, nunquam inducar, ut admittam, quocunque prætextu.

§. 249. Accedo ad rem: Videor mihi *similia* meminisse *de* R. P. *Malebranchio*, qui & ipse infinitam voluntati tendentiam ad bona omnia & præcipuè summa, divinitus ingenitam tuetur, atque in illo malitiam collocat, quod circa minora hærens non progrediatur ad majora & solidiora. Locum inquirere jam non vacat. Rem ipsam arbitror admitti posse. Est *voluntas* nostra communi consensu facultas *boniformis*, apta nata, ut bonum omne appetat. Neque in illo adversatur divino fini, quod perfectiones *omnino omnes* probat, appetit, quærit: In illo *vitium est*, *si* præter ordinem, *si* minora præ majoribus, *si* ultra proportionem uniuscujusque, & quæ sunt similia. Dicam id in *exemplo*: Fac DEUM vetare, ut ne fructu aliquo cetera appetibili homines vescantur. Non id peccatum puto, si illi appetibilitatem fructus agnoscant, adeoque fructum in se ipso appetibilem esse, admittant: *Hoc vitium est*, si non attendant præcepto aut interdicto

dicto potius divino, eoque illi appetibilitati naturali non opponant aversabilitatem moralem; si acquiescant illi, atque hic & nunc, neglecto scil. interdicto, etiam sibi appetibilem esse vel in animo pronuncient; secuturi decisionem actionibus. Non igitur ipsa illa *naturalis* rerum bonitas, quam, in comparatione & collisione cum melioribus, deinceps bonitatis solum *speciem* appellare consuevimus, ejusmodi est, ut illam etiam *absolutè* appetere malum sit: Hoc *malum est*, divinitus admonitum de majori (per revelationem id fiat, aut per rationem solum, nihil hoc loco interest) non progredi ulterius, & contendere minori majus & præferre. Num hæc positiva actio est? An actionis omissio? & suspensio? aut negatio? aut privatio potius?

§. 250. Est sanè, & *intercurrit positivum* aliquid in peccatis, sed *in eo non consistit* ipsa eorum malitia. *Appetere* & acquirere *divitias*, & positivum quid est, & positivas actiones haud paucas complectitur. Sed vero eatenus *malum non est*. Cum enim ad perficiendum statum hominis & internum & externum haud rarò conferant, & conferre possint plurimum, legitime administratæ: Bonæ sunt omninò, atque eatenus licitè appetibiles. Dic, *unde vitium* sit in avaro? Num inde est, quod curas eo omnes confert; divitias jure & injuria acquirere nisus; neglecto etiam, cui divinitus destinatæ sunt, scopo;

con-

conculcatis officiis longè potioribus ? quod, verbo Juvenalis, sanctissima divitiorum majestas illi ? hoc est, quod attentionem non transferat ad objecta plura, & alia, & meliora plane, & divinitus illi proposita legaliter, & fini hominis simul, atque divitiarum etiam conformia ? id, quod aut ignoret legitimas de rerum usu judicandi normas ? aut, præcipiti judicio ideas nondum distinctas sua decisione sequatur? Atqui inadvertentia, ignorantia, error sunt privativa, non positiva: Ex illis malum est. Est igitur è privationibus oriundum. Itaque malitia ipsa, & inordinatio illa appetitus quid positivum habet?

§. 251. Illud fortassis operæ pretium fuerit annotasse, *dari habitum* quoque *privationum*, ut sic loquar; hoc est, habitum non attendendi, habitum festinandi in judiciis, habitum decidendi ante causam plenè cognitam, habitum sequendi ideas nondum distinctas aut claras, sed confusas solum & obscuras, habitum obliviscendi &c. Non igitur ille *habitum peccandi* negat, qui peccaminositatem in privatione quærit. Sume, quæ modo dedimus, & attende, num ex iis explicari possit, quomodo habitum dejerandi homines induant, aut mentiendi, aut furandi &c. Neque enim profectò Theoriam ejusmodi unquam ego admiserim, qua posita habitus peccandi, & funesta eorundem efficacia intelligi aut consistere nequeant:

Quod si enim ullum unquam argumentum, certè illud mereretur, ut *frequentius* hominibus & *fortius* inculcaretur, quam vulgo fieri consuevit. *Intelligitur* autem ex dictis, quare tam *facile* induantur habitus *peccaminosi*, difficulter virtuosi? Facilius est non attendere, festinare judicio, sequi ideas quoque obscuras, dememinisse officii, obsequi oblectamentis præsentibus; privationes enim sunt nullo operoso labore constantes. Secus est in virtutibus. Eodem fonte derivari potest, quare tam *fœcundi* sint effectuum? quare tam *difficulter exuantur*? & quæ sunt cetera, non inutilia quidem, sed in præsenti instituto aliena.

§. 252. Pergo ad consectarium peccati, *malum*, quod vocant, *physicum*, sive perpessiones in creaturis intelligentibus, saltim sentientibus, spectatas. *Dolorem* in animo aut corpore consideramus communiter. In *corpore* illum interpretantur physici per solutionem continui. Pertinet eo sensu ad mala, quæ superius ex Leibnitio metaphysica appellavimus. *Hoc loco* considerabitur *in animo*. Rectè opinor *Ill. Leibnitius*, & cum eo *Cel. Chr. VVolfius* dolorem definiunt sensum imperfectionis. Saltim in omni dolore, cujus sibi animus *distinctè conscius* est, ita distinctè *advertimus*: in eo autem, cujus *confusè* solum, etsi clare, & vivide *conscius* est, qualis ille est, qui ex corpore sumitur, *argumentum* consonantiæ inter animam & corpus

idem

idem *indicat*. Quæ enim isthæc animi & corporis concordia foret, si aliud anima repræsentaret, aliud & diversum fieret in Corpore. Cum igitur in dolore, corporeis excitato rationibus, imperfectionem illæ ponant in corpore, in animo dolorem: Dubium mihi nullum est, dolorem esse illius imperfectionis *repræsentationem*; & quando *clara* solum, non distincta est, sensum appello, non intellectum. Nimirum *distincta* quoque imperfectionis cognitio dolorem animo *infert*; & aliquando majorem, quo illa certior est, & constantiorem, quo est immutabilior confusa: *Sufficit autem clara quoque*, etsi confusa solum.

§. 253. Arbitror ista non displicitura *illis, qui* summum, atque omnino *infernalem dolorem* in eo collocant, quod à facie divina rejecti, iram ejus, & suorum peccatorum demerita desperabundi intuebuntur. Scilicet hic summæ imperfectionis sensus est, esse sibi conscium, & infallibiliter id quidem, & perpetuo, irrevocabilis ab immenso & unico perfectionum fonte separationis, ejusdemque sua sponte, & culpa contractæ, per abusum ejus ipsius facultatis, quam bono illius Entis infinito Deus destinaverat. Si quis hæreat, *an solus* imperfectionum *sensus* mereatur dici *dolor*: illæ, si placet, attendat, quid sit dolor de admissis peccatis, de infortuniis sua sibi culpâ contractis? Quomodo oriatur, & excitari etiam ab aliis pos-

ſit in homine ? Conferat etiam, quæcunque aut in ſe ipſo deprehendit, aut in aliis obſervavit, cum perfectionibus hominis omnibus, ut intelligat, quarum in ſeſe abſentiam luxerit. Cedam ego iſthuc cauſa, niſi vel *ipſo hoc criterio* doloris genus, & motiva, & ſive merita, ſive demerita, requiſita etiam, & ordinem intelligere liceat. Sed verò id expreſſius perſequi non eſt præſentis inſtituti: Moneo intelligentes ſolum, ut rei non difficili per ſe ipſos, ubi placuerit, attendant.

§. 254. Ad noſtrum proximè argumentum id pertinet. *Senſum* quidem imperfectionis ipſum, *eſſe poſitivum quid*, non abnego, ſed verò ſenſus ille malus non eſt ; Saltim non de ſe ; Poteſt enim aliquando bonus eſſe, & bonis ſubſervire acquirendis. *Imperfectio* dolorem excitans malum eſt, & *privativum quid*, ut ante obtinuimus §. 245. & 248. *Ratio* igitur *malitiæ*, quæ in *malis phyſicis* ſive perpeſſionibus & dolore comprehenditur, in privativo conſiſtit, non in poſitivo. Igitur in univerſum, per ſpecies eundo, deprehendimus, quod à priori illatum eſt §. 242. *Malum ut tale* privationem dicere, non realitatem, ſenſu ſcil. Phyſico-metaphyſico. Malum igitur ut tale, conſentientibus poſt *Auguſtinum* Scholaſticis, Theologisque & Philoſophis, *cauſam* non poſtulat efficientem, quæ realitatem illi ſuam largiatur : Admittit *deficientem* ; Quæ realitatem ſive nul-

lam, sive non sufficientem, sive non omnem, aut producere velit, aut recipere possit. Dixi *disjunctive*, aut velit producere, aut possit recipere. Aliquando enim in causa vitium hæret, sive ratio privationis secuturæ; Aliquando latet in receptivitate objecti. Utrum in nostro argumento locum habeat: Facilè ex antecedentibus concluditur; prolixius infrà demonstrabitur.

§. 255. Illud velim attendi hoc loco, *monitum* quoque à *Leibnitio* Theod. §. 28. „Juvat considerare (verba sunt viri illustris latinè reddita per Interpretem libelli Coloniensem) quod malum *morale* ideo *tam ingens malum* sit, quia fons est malorum physicorum in creatura potentissima, & ad malum physicum inducendum maximè idonea scaturiens. Prava enim voluntas est in *sphæra sua*, quod malum *Manichæorum* principium foret in universo. Et *ratio*, quæ est *divinitatis imago*, pravis mentibus multas ad plurima mala perpetranda vias suppeditat. Unicus *Caligula* vel *Nero* aliquis plurium malorum Auctores fuere, quam ullus terræ motus. Homo pravus aliorum cruciatu excidioque delectatur, nec desunt occasiones. „*Mihi* quidem *ita videtur*, malum *morale gravius* esse ceteris ideo, quod 1. *nonnisi in iis* locum inveniat creaturis, *quas ratione* DEUS instruxerat, eo fine & cautela, ut intelligerent illa, & amarent perfectionem tum suam, tum universorum. Divinitatis ima-

nem philoſophico ſenſu Vir illuſtris appellaverat, *quatenus* diſtinctæ cognitionis fons eſt, qua propiùs ad Deum accedimus, quam cetera; *Quatenus* libertatis origo eſt, qua aliis quoque rebus ex noſtro arbitrio exiſtentias ſuas & operationes determinare poſſumus, atque illarum ope novas producere. *Negligi* primam; Alteramque *adhiberi contra fines* divinitus intentos; *impediri* adeò *bonum* aliquod in divino opere; *induci imperfectiones* per ipſam illam facultatem, quam perficiendis rebus DEUS deſtinaverat: Id verò arbitror ingens & grave malum eſſe in judicio illius, qui perfectè bonus eſt. 2. Quod *moralia* mala ſint malorum *phyſicorum*, ut hic loquar *magis feracia*, & graviorum quoque. *Primum* id eſt, quod modo attigimus, *averti divinum* ab homine *favorem*; num id *Deo grave* non ſit, ſummè bono, perverti creaturam à ſe ipſa, & adeo, ut favere illi; ut perfectiones largiri eo animi ſtatu perſiſtente non poſſit; ut bonitati temperamentum aliunde accedat; ut creaturæ ſtatus non permittat, indulgeri illi bona, quæ DEUS deſtinaverat eroganda, manu quidem pleniſſima? Nolim id quiſquam parvi pendat, quoniam aliunde novimus, hunc fontem eſſe divinæ erga homines etiam averſos miſericordiæ, & de illis reducendis curæ. *Spectavimus* Deum in hac conſideratione, & *hominem Deo* comparatum. *Secundum* eſt, ut *hominem ſibi & ceteris* in ſocietate hominibus, &

& in universo *creaturis* contendamus. Et quis est, qui nescire possit, *vim mali physici* per peccata introducti olim, hodieque & in posterum introducibilis? Efficacia illa sunt *in animo*, perversis *judiciis*, & *appetitibus* inordinatis obruendo, quamdiu in illis homo acquiescit: dum eorum naturam intelligere penitius incipit, *doloribus* mentem exquisitissimis occupant? iisdemque, si solam sequi naturam teneremur, immedicabilibus; soli divinæ gratiæ cedentibus, nisi sera nimium agnitio medicinam quoque istam præcluserit infelicissime. Sunt efficacia *in corpore*, morbis, & morti etiam prææmaturæ non raro, aliquando violentæ hominem exponendo: De naturali non loquor, quam peccato debitam ex revelatione demum agnoscimus, non ex ratione. Sunt efficacia in *subruendis* hominum *fortunis*: Quis nescit? Miror *divitias naturæ*, cum *divinam institutionem* considero: ubi miseriam humanæ, qualis *nunc* est, societatis intueor, *miror* efficaciam deordinati hominum affectus, & artificia, quibus ille *paupertatem* potuit inter divinas naturæ affluentias invenire, & contrahere. Quot homines miseri fiunt, suis aut aliorum factis? Quot alii opinionibus saltim suis aut ignorantia & erroribus? Desino aperta diducere. Esto *id unum* sufficiens, *quo plura* sunt in potestate agentium intellectualium, quam reliquorum: eo plura potest illorum inordinatio mala etiam physica rebus invehere

here, quam ceterorum. *Quo majoribus* bonis agentia per malitiam suæ voluntatis sese ipsa exuunt: eo graviora isthæc mala sunt. *Maxima* igitur sunt *moralia*, *quod* maximis privant bonis; *quod* creaturas præstantissimas; *quod* eorum interventu plurimas; quod constantissime, & immedicabiliter. Disserui in *comparatione* solum, alioquin *plura* allegari potuissent, sed quæ *communia* sunt malis æque physicis ac moralibus.

§. 256. Conducit autem theoria isthæc *ad vindicandas* & systematicè *connectendas* sententias quoque *receptas*, de malo sive physico sive morali, *quatenus id divinæ* voluntatis *objectum* dici aut possit, aut non possit. Neque putem in nostra dissertatione id sine fructu fore, si veritatem rei ostendero, præcipue postquam publicè innotuit, *hærere* viros quosdam Eruditos hac parte, qui malum etiam *morale* divinæ voluntati tanquam *medium à Leibnitio* objici, non verbis sane, sed sententia tamen ipsa, & systematis necessitate, existiment. *Verba* viri Eruditi legere est in *Theodicæa* §. 23, 24. conferenda illis, quæ habentur in *causa Dei asserta*. §. 35. 36. 39. & *nostris* quoque, si placet, expositionibus §. 96. seqq. *Historica* non disputo: Alioquin verba isthæc conciliare & sibi & veritati, non arbitror esse difficillimum. Attendamus ad rem ipsam. Optime Philosophi, qui *malum ut tale* nullius, multo minus divinæ, voluntatis approbativæ objectum esse

tuen-

tuentur, qui *malum physicum* tanquam medium aut pœnam dicunt esse posse objectum voluntatis; Qui denique negant, *malum morale* unquam dici posse objectum divinæ voluntatis, ita ut illud fieri velit, quocunque respectu, ut medium, aut ut conditionem sine qua non.

§. 257. Si malum *ut tale* privativum est realitatis aut perfectionis: fieri non potest, ut eo ipso habitu appetatur à quoquam; minimè à perfecto ente. Ipsum enim se destrueret destinato consilio, quod non intelligo, quî possit accidere? naturali illud rerum omnium appetitui repugnat, mea quidem sententia. Physicum verò *malum* aliquo sensu voluntatis, etiam divinæ, objectum esse posse, quatenus erogandum merentibus, aut sine illo deflectentibus è tramite; Posse etiam objectum esse voluntatis in illo ipso agente, quod perpessione affligitur: id ita infero ex antecedentibus. Agnovimus in malo physico *sensum imperfectionis*: Non id bonum est; *adesse*, adeoque sentiri posse, *imperfectionem*; Neque id sanè conducit, aut confert aliquid ad bona cujuscunque generis. *Sentiri* præsentem, adeoque abhorreri; urgeri hominem ad eruendam illam; persuaderi ad cautelam in sequentibus; sumere ex illa consideratione motiva actionum futurarum; fieri attentum; ut ne similes alio loco imperfectiones animo obrepant &c. Num id bonum est; An medium est cavendia

dis posthac erroribus & peccatis? an motivum voluntatis ad bonum? Num eo argumento pœnarum valor & in animos efficacia continetur? Num *finis* quoque *afflictionum*, quem Christiana extollit disciplina, eo potest argumento defendi; vergere illas, pro divina saltim destinatione, & moderatione, in bonum creaturæ? ut laudari divina in afflictionibus providentia possit; ut perspecto fine & ordine & circa obsequentes executione divina, nollent innocentes non passi esse, nollent nocentes non correpti & correcti esse afflictionibus; ut retecto obscuritatis velo, etiam contumaces debeant agnoscere, DEUM fortissima emendationis motiva, illo sensu mediante, animis ipsorum, sed sua culpa aliorsum intentis, jugiter admovisse. Vides, opinor, quo *sensu* physicum *DEUS* malum *velle possit* ut medium, morali sive impediendo, sive corrigendo, utiliter adhibendum: non quod ille imperfectam esse creaturam velit, sed *quod* imperfectam sua culpa creaturam *velit* ejus suæ imperfectionis *esse consciam. Erit, ubi sapientiam* istam *in pœnis*, divinitus institutis, *venerabimur*, & *physicam punitionem* morali malo, etsi naturaliter non connexam, tamen adjungi posse adstruemus.

§. 258. De morali malo *aliter* rationes subduco. *Nunquam* id puto medium esse obtinendi boni: *Atque ut sit*; Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Recte enim,

vero

vero dicitur, *eveniunt*: mali enim ipsius efficacia produci non possunt; Accederent ex accidenti. Dixi in superioribus §. 97. malum neque *conditionem sine qua non* dici usitato sensu posse. Collocabimus eam sententiam in aprico: idque exemplis, opinor, quam facillimè. *Potest* peccatum aliquod *videri* medium ad bonum, cum *inter duo* peccata *minus* committitur; ita *minor* imperfectio videtur *perfectionem* quasi aliquam connotare: *Potest* videri eo casu, *cum pœna* peccatum insequens *emendationem* operatur, *non* secuturam, *nisi* istæ hominem angustiæ, ex illo peccato profluæ, ursissent. Si qui *alii* casus fuerint, similiter illos dijudicari dabitur. Non succurrunt tamen hac vice, qui differant à prioribus. Esto *primi* hoc *specimen*. Pone tyrannum sanguinis sitientem de bello cum magnatibus injusto consultare, suscepturum id, nisi eorum aliqui pertinaciter resisterent; Fac, undecunque certum esse, quod felix id quidem ex illius parte futurum sit, sed conjunctum cum excidio gentis innocentis universali; Fac, id suspicari aliquos virorum consilio adhibitorum, DEI timentium; ideoque reniti contumaciter; efficere eo molimine, ut à bello abstractus Princeps in eorum capita furorem convertat; & illorum sanguine ferventem & in cædes ruentem animum exsatiet. *Grande* id *crimen* erit, sed *minus* tamen, nostro saltim judicandi modo, quam integræ gentis interne-

cione

cione commisisset: Num dici potest, hoc peccatum fuisse *medium* impediendi majoris? Nec quicquam sane. *Consilium* fuit impedimentum majoris: *Furor* causa minoris. Recte id viri Eruditi dudum attenderunt, quos antea secuti sumus §. 97. *permissionem* minoris præ majori, & *impedimentum* majori per *moderationem* illius injectum, pro medio aut conditione sine qua non admittentes; non ipsum, etsi minus, malum: atque id etiam non sine cautelis. Recte etiam, quod deinceps allegabitur, distinxerunt ea parte philosophi; *neque malum* hic *objectum* voluntatis esse admiserunt; *sed permissionem* ejus, & *moderationem*: *Utramque illam* bonam esse posse pro circumstantiis, dilucide adstruemus; Potest igitur voluntati, etiam perfectæ, utraque objici.

§. 259. *Secundi* casus id *exemplum* esto. Fac, eam esse hominis voluntatem, undecunque cognitam Tibi, quæ in peccatis, quibus immersa hactenus concipitur, perrectura foret absque ulla sui emendatione per omnem vitam; nisi aliquo forte peccato insignes sibi miserias contrahat, iisdemque gravissimis & diuturnis admonita, tandem aliquando expergefiat, atque adeo ad frugem ea pœna aut calamitate reducatur. *Potest* obiter intuentibus medium emendationis *videri*, aut conditio sine qua non haberi id peccatum. *Non ego* tamen id *concesserim*, neque is etiam, utcunque speciosus, eo apud animum meum

præ-

prætextus valuerit, ut ea propter concedi possit, *DEUM* in ejusmodi casu *velle fieri* peccatum istud. Argumentum facti mei hoc reddo. *Medium* id *voco*, quod ad finem obtinendum aliquid confert: *Peccatum* id ad emendationem *nihil* confert; Confert *pœna* peccati, aut *miseria* utcunque consequens. *Conditionem* sine qua non emendationis *id eo non* dico, *quod peccatum* illud *neque* ponit aliquid emendationi proficuum, *neque* tollit impediens: Sed antecedit simpliciter; *quin etiam* cum demerito, dum & culpam graviorem, & emendationem facit difficiliorem. Pœna est, sive consequens miseria, quæ & pertinaciam perfringit, & emendationem promovet. *Non* igitur *illud fieri* vult DEUS; Vult eo præsupposito, *hoc consequi*. Ita non peccatum est medii loco, vel conditionis, sed moderatio, quin ipsa ejus punitio. Non igitur vult fieri; vult puniri.

§. 260. Atque sic in ceteris quoque casibus. *Nunquam* id fieri vult: *Aliquando* vult absolute impediri; *aliquando* ordinate permitti; *Semper* temperari, regi, minui, puniri. Facit ea res transitum nobis ad doctrinam in hac scriptione necessariam, de *permissione peccati*. Illam pro instituto persequar: Postquam admonuero, intelligi etiam ex dictis, *novo* definitionis nostræ *corollario*, non id sine argumento superius esse præsuppositum; cum §. 107. *Morale malum* cum bono physico & morali quoad suam quantitatem

vel gravitatem comparari], atque ita in judicandis universi perfectionibus *compensari* posse subinnuimus. *Quod si* enim moralis mali *turpitudo pendet* à magnitudine & copia privationum, quas universo intulit §. 255. potest utique mensurari & compensari oppositis sibi perfectionibus, saltim in *eodem* genere constitutis. *Duplicem* enim *respectum* attendimus loco citato, alterum hominis ad DEUM, alterum ejusdem ad se & creaturas: *Utrinque* privationes & luctuosissimas sanè & copiosissimas intercedere agnovimus. Num illas vero compensare non liceat oppositis præcisè realitatibus ejusdem generis? Si *mensurare* privationem licet opposita realitate: *licet* etiam *compensare*. Privationes verò quomodo metimur? Neque dubitem, *tantum* DEO virtutis amorem adscribere, *quantum* est vitii odium: utrumque infinitum. *Speciales* tamen mali & boni moralis, multo minus mali moralis & boni physici *comparationes*, nolim attingere. Generalissima hac annotatione utemur, ubi permissionis rationem aliunde firmaverimus, sectione Tertia.

§. 261. *Permissionem* voco suspensionem vel negationem alicujus efficientiæ, qua opposita factum ab agente non eliceretur. *Multa* de permissione disputata sunt inter Eruditos, quæ integram sola dissertationem complerent. Aliqui in sola actionis suspensione; aliqui collocarunt etiam in negatione; *ali-*

qui nullum ejus objectum esse contenderunt, quoniam non sit actio; aliqui duplum, personas scil. queis aliquid permittitur, & actus, qui permittuntur: Aliqui ad sola ea, quæ fiunt, permissionem arctarunt; Aliqui ad ea quoque retulerunt, quæ non fiunt: *Aliqui* ad irrationalia extenderunt; Aliqui ad sola intelligentia; *Aliqui* præter vires agentis etiam propensionem præsupposuerunt ad actum; Aliqui solam potestatem & futuram determinationem, sine præsenti actualiter inclinatione: *Aliqui* actus elicitos non existimarunt esse sub sphæra permissionis, aliqui agnoverunt: *Aliqui* posita permissione actum sequi contenderunt; aliqui negarunt sequelam: *Aliqui* otiosam planè permissionem fecerunt; Secus alii. Et quæ sunt *plura* ejus generis, maximè specialia de modo permissionis & impeditionis multiplici; quæ omnia diligenter, etsi inæqualiter, disputata sunt ab *Arminio*, *Twisso*, & *Dorscheo* nostro. Nobis *illa* solum edissere placet, *quæ sequentibus* sive intelligendis, sive vindicandis necessaria arbitrabimur.

§. 262. Permissionem *definivi* ex *Dorscheo*: *suspensionem* ille vocat *aut negationem* alicujus efficientiæ. *Quicunque* agens aliquamdiu, opposita viribus illius, & earundem applicationi, aut efficaciæ resistentia impedivit: ille, si actionem hanc suam & resistentiam suspenderit, *dicitur permittere* agens suo conatui vel arbitrio, & actionem ejus. Dicitur autem

tem *& ille*, qui nullam hactenus resistentiam adhibuit viribus oppositam agentibus, neque illam, ubi nunc ad actum producendum ab agente applicantur, opponit. Itaque tam suspensio, quam negatio efficientiæ dici permissio solet & potest. Dixi *efficientiam, qua opposita* factum ab agente, *non eliceretur*; *Partim* hic attendo *ad vim* illius efficientiæ; neque enim is solum dicitur permittere, qui nullum opponit obstaculum. Fieri potest, ut obstaculum opponat, sed imbecillius, quo licet posito effectum tamen consequi vel ipse novit aut suspicatur; non secuturum, si aliud fortius vellet opponere: Certe enim, posito licet obstaculo, permittere is dicetur mihi, & volens. *Partim* etiam attendo *ad actus*, ut intelligatur, *elicitos* quoque sub permissionem cadere, sed divinam; Quin enim DEO præsto sint media, quibus impediri voluntas possit humana, ne velit, dubium mihi nullum est: Quod si igitur illa DEUS non physicè & absolutè usurpet, omninò etiam permittere dicetur, ut homo velit hoc vel illud. *Partim* eo additamento permissionem præsentem *à licentia distinguo*, cum aliquando permissum dicitur, quod interdictum non est. Non id ad nostram pertinet tractationem, nulla enim mali permissio divina dicitur eo sensu: Sed neque illa sub definitione comprehenditur; utinam comprehenderetur! Dolemus enim opposito licet interdicto factum elici nihilominus

&c.

& haud raro. *Illam hoc loco* efficientiam attendimus, quæ aut ipsam ita mentem afficeret, ut impediat illam infallibiliter, ne velit, aut nolit, *aut* quæ vires immediatè & applicationem illarum interverteret, aut enervaret: In *priori* tamen *casu* etiam illa attendimus, quæ *morali suasione* mentem pervincerent. Ita si hominem in præcipitia ruiturum meis inde persuasionibus abstrahi posse pernossem, easdemque, etsi id fieri posset, non opponerem illi tamen, permittere & ego dicar hominis præcipitationem, non minus, atque ille, qui ruiturum posset manu prehendere, neque tamen apprehendit.

§. 263. Explicui, quæ in definitione continentur: Accipe rationem quoque, cujus gratia aliquid ab aliis intrudi solitum, omiserim. *Non dixi*, factum, *in quod* antea agens *propendeat. Arminio* visum est, permissionem non referri, nisi ad illos actus, ad quos ipso actu agens inclinet: antecedere igitur propensionem aliquam ante permissionem. *Mea id sententia necessarium non est:* Sufficit, ut actio futura sit, nisi impedimentum illi superius opponatur. Quoniam autem *in actibus imperatis* futura non est, nisi antecedant eliciti: accidit, ut propensionem aliquam agentis antecedaneam in negotio permissionis collocaverint Auctores, neque id incommode, si elicitum actum, sive approbationem actus in Voluntate spe-

ctatam pro ipsa imperati sive executionis propensione sumant. *Eo* etiam *sensu* & limitatione *verum* est, posita permissione sequi actum: quam alioqui formulam universaliter adhibitam non probaverim. Etsi enim *otiosus non sit* circa malum *permittens* DEUS, saltim, quatenus „actus ipse permissus (verba sunt Dorschei) currit sub scientia & pro-„videntia DEI infallibili & frustrari nescia; „atque eatenus non sit in potestate & arbi-„trio ejus, cui permittitur, sed qui permit-„tit; ut adeo non otietur DEUS, cum per-„mittit, licet permissio sit operationis impedientis suspensio: „*Non ea* tamen est ipsius *permissionis efficacia*, ut ea supposita statim actio consequatur; Multo minus, ut ipsa principii cujusdam activi vicem] subeundo aut efficiat aut promoveat actionem & juvet. *Differunt* non impedire, & juvare. *Neque* fiunt *omnia*, quæ permittuntur fieri. Fierent autem, si actualis in illam actionem, atque adeo prævalens propensio afforet.

§. 264. Illud igitur, si placet, Lectores animadvertent. *Permissionem* ipsam *nequaquam* in se complecti *rationem futuritionis* mali; nihil illa confert ad futuritionem actionis: supponit aut propensionem antecedaneam, aut futuritionem saltim. *Ipsa* igitur in *sese* spectata permissio; & circa ipsam actionis futuritionem *operosa non est*: Etsi permittens circa circa illam actionem non semper otiosus sit. *Ita* divinæ alicujus operis permissioni *acce-*

dit

[illegible] quoque *permissi*[illegible] ab impiis *tentari*, dum deterrentur illi, quos nituntur aggredi, sub divino tamen moderamine: Accedit *concessio permissi* saepius *non intenti*, dum in illos incidunt, quos ante non cogitaverant; Accedit *moderatio* mali praemeditati, dum non omnia perficere conceditur: accedit *directio* mali in bonum sive aliorum, sive ipsorum; accedit *punitio* ipsi malitiae actionis connexa, naturaliter aut positive &c. Non pertinent illa ad ipsam permissionis rationem formalem; pertinent *ad connexa* solum: Non igitur *permissionem* faciunt in malo operosam, etsi *permittentem* ostendant nequicquam otiari. Nolim igitur actionem ita conjungi judicio nostro cum permissione, ut permissioni id deberi quisquam existimet, si perpetretur actio. Num illi actionem tribuimus tanquam auctori, qui nulla illam efficientia attigit.

§. 265. Scio inter *causas morales* numerari *permittentem* quoque, eo effectu, ut peccatum contrahat, qui malum permittit; cum impedire id & posset & deberet. Recte *postremum*: *Primum* dicitur vocabulo nonnihil *improprio*; non est grande damnum tamen, si, quod fieri solet, de sensu vocis admonueris. *Non ille* ad actionem aliquid positivè *confert*; non igitur rationem actionis, sive quod illa fiat, in sese continet. Neque adeo actionis causa est, qui permittit solum: Est *causa non impeditionis*, quod si illa non impe-

impeditio mala est: malæ actionis reus est circa factum alterius commissæ; sin accuratius loqui velis, omissæ bonæ actionis alteri debitæ. Non est hæc differentia *in moralibus* disciplinis *præcisè* necessaria, quatenus de reatu solo ex ejusmodi permissione contracto & officio nostro impediendi præcipimus: Est *in metaphysica*, quæ rationem illius additæ limitationis eruere, & exponere tenetur. Quod si enim permittens, vel ut talis, vel omnis saltim, causa actionis ab altero patratæ foret: utroque id casu foret, sive teneretur impedire, sive non teneretur. est *illa fortassis* ratio, *quare* nonnullis *non sufficere* visum est ad excusandam à vitio permissionem, si dicatur DEUM non teneri impedire, adeoque non esse causam mali moralem ea ratione, ut exprobrari id sanctissimo & purissimo Numini queat. Credo illos facilè difficultatem superaturos, cum ex præsenti monito attenderint, *culpam permittentis* non esse ex actione permissa, sed ex omissa impeditione: non igitur habere locum, ubi omissio impeditionis fuerit inculpabilis; esse vere inculpabilem, ubi quis nec possit nec debeat; esse, ubi non possit; esse, ubi non debeat. Quo etiam specimine intelligitur, *subtilitates* in *aliquo* negotio *minus* necessarias, esse *in alio* proficuas.

§. 266. Eò autem res devolvitur per hanc theoriam, ut investigari debeat, *an aliquando* malum impediri non debeat? Quod si

enim

enim id obtineat, permittere malum *eo* casu licet. Uno id ore philosophi fatentur omnes; *Quis ille casus* sit, & qualis ? id pauci attingunt. Recte meo judicio Jll. *Leibnutius*: *solo* illo casu malum impediri *non debet*, cum illud impedire non licet: solo itaque illo casu malum *licet* permittere, *quo debet* permitti. In causa DEI asserta §. 66. adstruit, „permissionem peccati esse *licitam* (seu moraliter possibilem) cum *debita* (seu moraliter necessaria) invenitur: Scilicet cum *non* potest peccatum alienum impediri *sine* propria offensa, id est, *sine* violatione ejus quod quis aliis vel sibi debet, exempli gratia *miles in statione* collocatus, tempore præsertim periculoso, ab ea decedere non debet, ut duos amicos inter se duellum parantes à pugnando avertat. Deberi autem aliquid *apud DEUM* intelligimus „non humano more„ sed DEO decenter, quando aliter suis„ perfectionibus derogaret. „Puto ex eadem generali sententia pendere *effatum* subtilissimi, quem sæpè diximus, Theologi, *Jo. Georgii Dorschei*, quando quæsitus de concursu ad actionem malam, & ejus rationem specificam, ita tandem concludit, p. 293. Interpellationis contra Triglandium: DEUS„ non est causa, ut talis ratio specifica existat. Imo, *quantum* in ipso, causa *esset* non„ existendi, *nisi* conditio primæ causæ &„ creaturæ repugnaret. „ Ita enim tum demum permittit creaturæ arbitrium, deflectere

re ad malum, si impediendo derogaret sibi, aut aliis.

§. 267. Non ego auctoritatem sententiæ ex verbis virorum & testimoniis quæro: Potius *verba argumentis* firmabo, & commendabo ita dissentientibus. *Duæ* sunt *sententiæ* in effato Leibnitii, utraque duas complexa theses: *Altera* est, quod non liceat permittere, ubicunque impeditio non est illicita; *Altera*, quod liceat permittere, ubicunque illicitum est impedire. Dicam *clarius*: Quando impediri mala actio potest sine graviori malo invecto, tum *permitti non potest* sine culpa; neque adeo permittenda est, sed impedienda. Quando impediri sine graviori malo non potest, tum illa permitti sine culpa *potest*; permitti etiam *debet*, non impediri. Facilia isthæc arbitror attendentibus. *Postremum* ex vulgari regula conficitur, qua dici solet, non esse facienda mala, ut inde eveniant bona. *Primum* ex eo deducitur, quod tantum boni faciendum esse præcipitur, quantum fieri potest. Ex *nostra* de permissione theoria *utrumque* sic eruitur. Universa permittentis, si quæ est, culpa ex neglectu impeditionis ducitur, per §. 265. Quod si illa impeditio sine illatione gravioris mali fieri non possit: negligere illam & *licet* & *oportet*; Licet igitur minus malum permittere, sed *oportet* etiam. *Debetur* enim id, *si ad DEUM* attenderis, bonitati perfectissimæ, ut majus malum præ minori non admit-

tat.

tat. §. 210. si ad *hominem* respicias; *debetur* id bonitati eidem, quatenus illam nobis exemplar esse, divina voluntas constituit; argumentis sectione quarta, independenter ab hoc paragrapho, firmandis. Si impeditio sine æquali aut graviori malo interponi potest: *licet* illam interponere; quin *necesse est*. Permittere igitur eo casu nec *debes*; nec *potes*. Argumentum est priori simile: Dicas de impeditione, quod de permissione modo asserui. Nimirum, *debetur* id supremæ DEI bonitati, ut nunquam gravius malum præ minori ab ipso aut ab homine admittatur: Igitur si majus malum admittitur permissione; permissio illa nec debita est, nec licita. Debita est igitur eo casu impeditio. *Generaliter* itaque: Ubi non licet impedire, ibi permittere & licet & oportet, ex *primo* casu; ubi impedire licet, ibi permittere, nec oportet, nec licet, ex secundo. *Nunquam* igitur licet permittere, nisi cum oportet. Sumo autem id *vocabulum oportet*, eodem sensu, quo deberi aliquid dicimus ex morali ratione §. 266. ne vocem Lector abhorreat.

§. 268, Succurrunt *duo*, quæ animum fortasse suspensum tenere possint. *Alterum*, quare ego vocem *gravioris* mali substituerim vocabulo *peccati*, aut offensæ propriæ, per *Leibnitium* adhibito? *alterum*, quare *neglexerim* in enumeratione mea illum *casum*, ubi malum impediri potest, non quidem sine alio

alio *aequali*, sine graviori tamen, & sine minori quoque; ita enim *tertius* exsurgere *casus* videtur, ab utroque priorum diversus, diversam quoque decisionem pariturus. De *posteriori* prius dicam. Dum evolvere sententiam Illustris viri in antecedenti §. constitui: neglexi casum, qui ex illius sententia nunquam obtingit; neque enim admittuntur *perfectè* aequipollentia in Systemate Leibnitiano. Quo id sensu fiat, & argumento, dicemus, cum necesse fuerit, aut utile in sequentibus. Si *meliorem* alii hanc facti mei *excusationem* putent, ubi dixero, duplicem solum in Leibnitiana enunciatione disjunctionem obtinere; vel sine peccato impediri potest, vel non sine peccato potest; ignoverint illi patrocinium detrectanti; *maneret* enim eo casu *dubium*, utrum de duobus dici oporteat: fieri impeditionem sine aut cum peccato, ubi inter duo perfectè aequalia mala alterum impedio, permitto alterum? Igitur malo ita rationes subducere meas: *Aut agnosce* cum Leibnitio, casum illum non obtingere in hoc mundo, atque adeo sufficientem pro hac rerum universitate enumerationem esse §. 267. *aut non agnosce*, sed suppone utrumque malum, quod vel ex impeditione vel permissione sequeretur, esse simpliciter aequale. *Eo casu* consequitur, *rationem nullam* esse, *cur* unum *prae* altero aut impedire aut permittere, vel liceat, vel oporteat; non igitur *suaderi* alterum *prae* alltero,

tero, sed neque dissuaderi. Ubicunque igitur aut permissio aut impeditio, altera præ altera sive *suadetur* sive *dissuadetur* agenti intelligenti & eligenti, ibi inæqualia contendi & præsupponi necesse est. Ubicunque permissio aut impeditio *sapiens* intercedit, ibi argumenta præsto sunt persuadentia unum, & dissuadentia alterum in concursu prioris. Ergo, ubicunque sapiens permissio est, aut impeditio, ibi alterutrum §. antecedentis casum obtinere necesse est. Atqui, ubi de permissionis *norma* agitur, *non casui* leges, sed regula *sapientiæ* præscribitur.

§. 269. Quare Leibnitiano *peccati vocabulo* in demonstratione voces *mali gravioris* substituerim? *hanc causam* habe inter ceteras: *Occupavi* responsionem eo facto, qua videri posset, id sine peccato fieri, à DEO saltim, si malum aliquod, præsertim morale, impediatur eo etiam casu, quo per illam impeditionem imperfectiones in opere majores alibi admitterentur. Obstruximus illi exceptioni viam, ubi *generalius* sententiam elocuti sumus: eoque ipso vim argumenti & effati Leibnitiani, opinor, clariorem exhibuimus: Namque ea causa est, quare *cum peccato* aut per peccatum impedire non licet, quod *majus* peccatum *est mihi* peccatum meum, quam alienum sive peccatum sive miseria. Cetera illud probe velim animadvertas: Cùm *in* ipsâ *applicatione* versamur, *facilius* hoc criterium esse, si attendas

solum

ſolum, an ſine peccato impediri negotium poſſit, nec ne? Illud, opinor, aliquando *difficile* foret *hominibus* judicare, utrum è duobus malis gravius foret altero? Itaque id *operæ compendium* eſt longè præſtantiſſimum, ſi attenderis, an impediri aliena actio ſine tua ipſius offenſa poſſit? nec ne? *ſi nequeat*: neceſſe non eſt, inquirere in graviatem utriusque mali, & ponderare illam. *Sufficit* generaliter, id Tibi gravius eſſe, ſi peccatum ipſe admiſeris. Impedire peccatum alienum eſt inter præcepta affirmativa: Obligant illa, cum occaſio eſt: Occaſio non eſt, ſi actionem nequeas ſine peccato efficere. Et *ſuſpicor* ego, *hanc* cauſam fuiſſe *Ill. viro*, quare ſententiam ita enunciaverit: Facilior enim hac ratione applicatio eſt, inter homines quidem. Conſentit illi tamen criterio, quod æquipollenter enunciavimus §. 267. & facilius ab exceptione modo memorata vindicandum, & cum minori diſſentientium repugnantia ad divina quoque inferius applicandum eſſe putavimus.

§. 270. Confido, *acceſſuros* huic *ſententiæ* Lectores, *quicunque* ad divinam *bonitatem* §. 209. & 210. & *ſeriam* in bona omnia *voluntatem* §. 234. attenderint; *quicunque* etiam didicerint, divinas perfectiones eſſe *exempla* nobis, & ad imitationem, divina quoque voluntate intentam, manifeſtatas etiam naturaliter §. 221. *Priores* intelligent, quo caſu DEUS malum aliquod permittere & poſ-

ſit,

ſit, & debeat, & velit? *Posteriores*: quo caſu homines id poſſint licite, & debeant? *Generalis* enim hucusque *theoria* eſt ad DEUM æque ac ad homines applicabilis. Exemplum *de hominibus* ante exhibuimus è Leibnitio: Neque arbitror quenquam abnuere, quod ſtationem potius tueri miles, quam ea decedere, & impedire duellum debeat. Scio, quid hic in mentem venire poſſit obiter attendentibus: Oriri id *ex impotentia militis*, qui nequeat eodem tempore occurrere malo utrique, aut officium explere utrumque, manere ſimul in ſtatione ſua, & duellum impedire: Secus id in DEO eſſe, cui nullam impotentiæ ſpeciem liceat affingere ſine flagitio. *Abſit* verò *ſanè*, ut impotentiam DEO miſelli homunciones diſertè, aut per conſequentiam attribuant. Non ita ſubruimus fundamenta fiduciæ, in ſola divini Numinis bonitate, ſapientia & potentia ſecuræ! Cùm dicitur impediri malum aliquod ſine admiſſione alterius non poſſe, necquicquam id ex *virium* defectu *divinarum* deducitur, quæ, cum omnibus bonis largiendis abſolutè ſufficiunt, ſufficiunt quoque impediendis malis omnibus: *Creaturæ* finitudinem accuſamus, quæ bona liberaliſſimè oblata recipere ſimul omnia non poteſt. *Receptivitatis* igitur defectus eſt, *non Activitatis*: *Creaturæ* impotentia; *non DEI ſanè*, per §. 38.

§. 272.

[illegible] Si *indignum DEO* pronunciatum [illegible]iversa hac tractatione *unicum*, ce[illegible] [illegible]ententia, & universis eam conse[illegible]entibus. Repeto effata, & quomodo illa contendi cum attributis divinis congruat, brevissimè indico. Existimo, DEUM *tum demum* permittere mala, præsertim moralia, quando illa impedire non potest, nisi graviora velit admittere. Deduco sententiam è divina *sanctitate*, *sapientia*, *bonitate* & consequente ex prioribus *infinito* mali *odio*; quod infinitum non est, si permittat malum, quod impedire liceat. *Quid ita*? Inquis: Nempe id odium, quod tantum impediret mali, quantum impediri sine absurdo posset, majusutique foret, quam alterum, quod fieri etiam illa permitteret, quæ impedire sine absurdo posset. *Num* ille *in infinitum odit* hominem, & felicitatem ejus, qui permittit aliquam felicitatis partem illi obtingere, quam sine suo incommodo potuisset intervertere? *Num* ille *optimus* est §. 210. qui permittit, cùm impedire melius est? *Num* ille *sapientissimus* §. 213. qui dissensum operi suo inferri permittit, quem evitare licuit sine incommodo? Num ille sanctissimus, §. 265. qui non impedit mala, cum potest; sensu & physico, & morali. §. 138. 142.

§. 271. Pertinent ista ad fulciendam sententiam: Si *legitimæ* sunt *consequentia*, certum est, perfectiones divini Numinis *ceteras non repugnare* asserto; repugnarent alioquin attri-

butis

butis quoque ex quibus priora confecimus. Non est verò difficile, ipsam assertionis nostræ cum ceteris DEI perfectionibus consonantiam etiam *specialiter* vindicare. Neque enim eminentiæ repugnat, & *Dominio* DEI absolutissimo; neque id *libertati* dissonat perfectissimæ: agere illum sancte, sapienter, bene; ex rationibus naturæ divinæ conformibus, præcognitis, voluntatem blandissime, & beatissime, & certissimè permoventibus; internis Deo, quoniam sola divinarum perfectionum consideratione deductis. Num is sobriè *philosophatur*, & innoxiè, & omnino *piè*, qui momenta decisionum, & assensus sui motiva e divinis perfectionibus, non verbo solum, sed sententia plane & animo, divinis pervio oculis, deducit? Ego *cultum* hunc interpretor *divinum*, Wolfiana admonitus definitione, quam deperii, ut primum vidi. V. Rationem prælectionum Wolfianarum S. II. c. VI. §. 28. p. 198. Moneo id tamen, ut in transitu; *Plenius* rem istam persequi dabitur, sectione libelli *quarta* & Practica.

§. 273. Similiter id quoque obiter admoneo, ex hactenus dictis intelligi, & divinis conciliari perfectionibus, *vocabulum* §. 95. obvium; quod molliendæ duritati apparenti destinatum, ipsum deinde *durius* visum est aliquibus. *Exceptiones* perfectionum simplicium in aliquo toto composito dixi esse *inevitabiles* aliquando, & speciatim *in optimo*

(individualiter) mundo *malum* fuisse *inevitabile.* Posset *abrupta locutio* sic intelligi, ut existentiam mali necessariam, & necessario fonte scaturientem innueret; illa necquicquam mea est sententia, refellenda inferius ex instituto: *Intexta discursui* propositio manifeste indicat, hoc dici, impediri malum hoc non posse, nisi gravius aliud admittatur, eoque sensu esse in illo individuo inevitabile. Non est *homini* malum inevitabile: Inevitabilis *DEO* isthæc permissio est, quam sine præjudicio bonitatis, & sapientiæ §. 271. non potest intermittere: Inevitabilis, non *potentiæ* respectu, sed *decentiæ*; idque non *simpliciter* spectato permissionis objecto, sed *in collisione* tantum cum altero graviori §. 267. Tum verò inevitabile dixi *ad* denotandam rei *displicentiam*, vide ipsum illum §. 95. *non ad* inferendam illam *necessitatem.* Sensus idem est, qui *Leibnitii* & *Dorschei* fuerat §. 266. Inevitabile Deo est, cui DEUS *causa* esset non existendi, nisi conditio primæ causæ (vel generaliter perfectionum ejus) & creaturæ *repugnaret*: Admitto tamen, ut id *vocabulum* è discursu elimines: *rem* ipsam explices è §. 267. atque 271. si *plura* ejusmodi secunda lectione ipse deprehendero, aut ab aliis intellexero admonitus: *Ambiguitatem* dictis, *duritatem* sententiis omnem facilis atque lubens exuere connitar.

§. 274. De permissione quidem ista: Adjungam pauca *de impeditione*, quæ scil. præ-

mitti

mitti utile erit in sequentibus; Cetera intelligas ex opposito. Impeditionem aliquando *moraliter* dicimus pro interdicto; Impedit aliquo sensu, qui prohibet: sed verò id non attenditur in præsens; *physicam* facti impeditionem considerabimus. *Duplicem* illius *speciem* deprehendo. *Aliquando* est applicatio ejusmodi efficientiæ, qua opposita factum ab agente non elicitur; *Aliquando* est subtractio ejusmodi efficaciæ qua posita factum ab agente eliceretur. Est igitur impeditio *generaliter* ejusmodi actio, qua supposita factum ab agente non elicitur. Propria quidem locutione *supponitur*, factum, nisi impediatur, futurum esse: Nolim tamen de illa hypothesi certare. Nolim quoque teneri ad enumerandos *diversos* utriusque impeditionis *modos*. Minus etiam, ad ventilandas prolixè aliorum *quæstiones*, num rectè ad impeditionem referatur vitæ subtractio: Num recte impediri dicatur, ne agat, qui non est amplius? an impeditus esse? Num impeditionem propensio semper & necessario antecedat? & quæ sunt plura ejusmodi Scholasticis disputata. *Hoc ago*, ut intelligatur, an DEUS *possit voluntatem impedire*, ut ne velit illa, vel nolit? *Qualibus* id *mediis* fieri possit? num *salva* agentiam *libertate* possit? & *quo casu* vel ipsam DEUS *libertatem* sua impeditione restringeret? Influunt illæ quæstiones in argumenta P. *Baelii*, speciosissimè proposita, & repetita non semel, di-

verso eventu, prout animo lectores erant magis aut minus composito.

§. 275. Fecit hac parte otium mihi subtilissimus, quem sæpe dixi, Theologus & Philosophus *Jo. Georgius Dorschëus.* Primum monet, DEUM impedire posse *voluntatem*, ne velit, aut nolit. Adopto cum sententia Argumentum *viri*; sic ille: „ Potest sanè „DEUS ostendere rationem mali, quam ho„mo non percepturus fuisset, nisi talis o„stensio præcessisset, adeoque arrepturus il„lud objectum sub ratione boni. Illa uti„que ostensione impeditur in volendo, & „juvatur in nolendo. Rursus potest ostende„re rationem boni, quam, nisi accessisset, „talis ostensio, non fuisset homo cognitu„rus, nec bonum amplexurus. Sic impe„ditur in nolendo, & juvatur in volendo „. . . . . . . Ejusmodi præventio effi„cit, ne quis hoc aut illud velit aut nolit. „Quid hæ aliud est, quam impedire?„ *Rectè* mea sententia impeditio hic consideratur *antecedenter* ad volitionem ab anima elicitam; *Concomitanter* considerari non potest, quoniam implicat; dum vult, eam impediri, ne velit; etsi *consequenter* ad hanc volitionem impediri possit, ne *amplius* velit, ne pergat velle, & perseveret eliciendo eandem diutiùs, aut novam quidem, sed priori consimilem voluntatis determinationem. Et quis dubitet, *infinita* Deo *media* præsto esse, quibus interpositis queat efficere, ut volun-

voluntas creaturæ sua ipsius electione certissime & infallibiliter ab ea parte deflectat, quam apprehensura fuisset absque illa divina interventione. *Exempla* facti ex sacris petit *idem Theologus*, loco, quem exhibuimus, Interventione contra Triglandium p. 327. Neque arbitror, ideo voluntatem non dici debere eo casu impeditam, quoniam id animo *naturale* est, sequi motiva: sufficit, si motiva noviter accedant divinitus. Num ille non impedit, qui convenienter naturæ intelligentium generali, hoc est, per argumenta impedit? præcipuè illa, quæ in hoc, de quo agitur, individuo naturaliter præsentia non fuissent; & quibus remotis, alia voluntatis electio sequeretur; positis, non sequitur. *Idem* & *Dorscheus* monuit, l. c. p. 322. „ Species mali potest dici impedimen„tum homini, ne velit, licet naturalissi„mum sit homini, propter speciem mali „voluntati objectam nolle. Non enim im„pedimentum est volitionis, quia species „mali est, sed quia singulariter & ex divina, „(addo, speciali) providentia voluntati objecta est, quo non facto utique voluisset homo. „ Nimirum adest eo casu, quod in *definitione* requiritur: igitur vocem casui applicare quid impedit?

§. 276. *Quibus* id mediis aut *modis* fieri possit, ut voluntatem Deus *praveniendo* impediat: id neque *singulatim*, neque *speciatim* plene quisquam enarraverit. Optimè no-

ſter p. 327. „ Prævenire *infinitis* rationibus „ humanam voluntatem poteſt DEUS, ne „ obveniente objecto velit aut nolit. „ & pag. 322. Poſt enarrata paragraphi ſuperioris, ita pergit ſpecialius : „ Poteſt ſanè DEUS, „ dum ſpecie apparentis boni homo aliquid „ voliturus prævifus eſt, ſubitò denudare bo- „ num apparens, & latens malum oculis ho- „ minum aut animis objicere, quo facto a- „ vertuntur à conſectatione boni apparentis, „ & ſic efficitur, ne velint homines. Hic „ ipſa *denudatio boni apparentis*, quæ *variis* ra- „ tionibus fieri poteſt, tanquam actus pro- „ videntiæ ſuperioris, eſt impedimentum „ volitionis erupturæ, licet ipſum malum de- „ tectum naturaliſſime à volitione abſterreat „ voluntatem. „ Quin DEUS in animo hominis *efficienter* producere volitiones ejus, & ut ſic dicam, nolitiones poſſit, futuras in voluntate tanquam in *ſubjecto*, etſi non dependeant ab illa, tanquam ab efficienti in *principio*; id nemo quisquam abnegaverit. Qui *totum* fecit & ſervat, num ille *partem* facere aut immutare non poſſit? *Quibus* id *caſibus* DEUM *deceat*, & quæ cetera ſunt ad illum modum pertinentia: hoc loco perſequi nihil attinet. Potius id monere convenit, *non* eſſe *ſolum* hunc divinæ impeditionis modum; poſſe voluntatem *ſuaſionibus* impediri, quæ, ut obſtent, quo minus aliam voluntas determinationem eliciat, non obſtant tamen, quo minus ipſa ſuam hanc de-

determinationem eliciat, *ipsa* non subjectum solum, sed *principium* quoque volitionis *suæ* futura.

§. 277. Fuit, qui *modum* illum negavit *à Legibus* & interdictis *distingui*: Optimè verò negotium *Dorscheus* expedivit, l.c. p. 332. „ Suasio omnino *à lege differt. Lex*, qua ali- „ quid non permittitur, potest universali- „ ter & nude proponi. *Suasio* impediens „ non tantum legem *applicat* individuo, sed „ addit insuper *rationes* deterrentes à trans- „ gressione Legis *speciales*, *singulares*, *illustres*; „ addit *avocamenta*, suadentia aliud obje- „ ctum ab illo, quo apprehenso in violatio- „ nem Legis incidere homo posset; addit „ etiam *gratiosas inspirationes*. Et hæc omnia „ in tanta DEUS præstat *intensione* & eviden- „ tiâ, ut sequatur sine ulla coactione impe- „ ditio. Sic *Protoplastis* Lex fuit proposita. „ Si accessissent suasiones, quas diximus, „ potuisset divinitus impediri contrectatio „ arboris vetitæ. „

§. 278. Intelligitur *duo summa* genera esse, quibus impedire DEUS potest, ne velint homines, aut nolint, *efficiendo* actum voluntatis, *aut suadendo* satis efficaciter. Sed verò, quæ sive ad suasionis hujus modum pertinent, sive ad productionem volitionis ipsam, illa nostram non arbitror causam contingere. Hoc juvat attendere: Posse voluntatem *impediri*, ne velit, *salva* persistente animi *libertate*; in *secundo* saltim casu, ubi

 suá-

ſuaſione impeditur, præcipuè ſi tantum *morali.* Eſt, qui tuetur, impediri, ne quis non velit, idem eſſe ac *cogi*, ut velit. Atque ita cogi voluntatem ſuaſione, ut velit. Ego *coactionem* refero ad *vim externam.* Non ille *vim* infert, qui ſuadet, etſi efficaciter adeo, ut certiſſimè perſuadeat. Neque *externum* eſt principium determinationis efficiens, cum voluntas ex motivo agit: *Motivum* ab externo *oblatum* eſt voluntati eo caſu, quo divinitus exhibetur argumentum ex animæ natura non ſecuturum; *Principium* approbationis atque *determinationis*, ſecundum illud motivum factæ, eſt ipſa ſibi anima. *Non* igitur in illa impeditione *vis* eſt; neque eſt *externum* determinationis principium efficiens: *multo minus* eſt vis externa. Rectè igitur, etſi breviter, & alio argumento, *Dorſcheus* p. 332. „Eſt magna differentia inter „impediri, ne non velit, & cogi, ut velit, ſi ſuadendo illa impeditio fieri dicatur. „Suaſio autem non contranititur propenſioni voluntatis indeterminatæ, qua generaliter ad bonum propendet, ſed determinandæ ſeu concipiendæ, niſi interceſſiſſet contraſuaſio. „ *Non* igitur *coactio infertur* impeditione per ſuaſionem interpoſita: quæritur, *an neceſſitas* adſit? an libertas maneat?

§. 279. Jam dixi *dari* impeditionem voluntati oppoſitam, quæ libertatem creaturæ non excludat: *Datur* tamen *& alia*, qua coer-

coerceri & restringi libertatem contingit. Qui suadendo consulendoque bonum, dissuadendo, repræsentandoque malum; atque adeo *argumentis* persuadendo, voluntatis, alio deflexuræ, consensum aut dissensum demum elicit: ille libertatem non jugulat; impedit tamen dissensum aut consensum memorato contrarium, & sine adhibita hac suasione futurum. *Inclinatur* hoc casu voluntas ad electionem unius præ altero, & efficaciter id quidem: non ea propter tamen *necessitatur* quoque. Datur inclinatio, & prævalens illa, quæ non est, necessitans. Ostendimus id argumento discriminis. §. 184. & 198. Et quis dubitet *esse casus* quoque, in quibus voluntati, in mala ruituræ, ad præcautionem sufficeret *consilium* ejusmodi, quod blandè mentem afficeret, & commendaret objectum, non obtruderet? Esset ista tamen voluntatis impeditio non minus, atque altera, quæ tantum illi argumentum admoveret, quo semel posito impossibile foret voluntatem reniti. Equidem voluntas in ipso libertatis suæ exercitio spectata *alio* divertit, quam factum fuisset absque hoc consilio: Sequitur illa tamen id consilium *sua* electione, & ipsa sese determinans; arbitrio, licet rationabili, suo tamen; persuasa argumentis, electioni liberæ non oppositis, sed propositis. Quid multa? si *homo hominem* suadendo impedire potest & prævenire, ut ne id velit, quod absque monito illo appe-

tiisset: Certum est, impediri voluntatem posse, salva & incolumi ejus libertate; voluntatem enim alterius quis hominum potest aut cogere? aut necessitare solum? Neque arbitror, negari assumtum posse. Quod igitur homines possunt, id DEUS non possit?

§. 280. Obtinuimus, nisi me omnia fallunt, DEUM impedire voluntatis actum quoque *elicitum* posse *antecedanea* operatione, libertati *non contraria*: Non igitur ideo *tolli semper* libertatem hominis, cum illa divinitus impeditur actum aliquem elicere aut producere; non, inquam, tolli libertatem *respectu* ipsius illius actionis sive elicitæ sive imperatæ, multo *minus* omnem subrui, cum semel aut aliquoties impeditur. *Superest unum*, prioribus adjungendum utiliter. Posse casus supponi, in quibus *ipsam* creaturæ *libertatem impedire* Deo & liceat & conveniat; adeoque DEUS id *possit* simul, & *velit*. *Suppone* actionem creaturæ, quæ permitti non possit, quin summa totius operis perfectio possibilis eo facto intervertatur; *Suppone* illam impediri salva agentis creaturæ libertate non posse: Non licet *eo casu* actionem permittere, §. 267. Igitur impedire actionem atque ex hypothesi usum libertatis, licet atque convenit, quin etiam oportet, §. 265. Rectissime in hanc sententiam *Dorscheus* loquitur c. v. de voluntate DEI, p. 323. „Si in libertate exercitii & contradi-

ctio-

ctionis homo agere velit, cum agere vel *bono universali* vel *fini* divinitus intento *omninò* repugnat, nec ad illum ordinari potest, DEUS agere nòn permittit, sed voluntati subtrahit concursum ad volendum necessarium, vel alio objecto impedimento avertit voluntatem, ne in actum exeat, in quem exitura fuisset, nisi isto objecto aversa fuisset. *Alias* indifferenter agere vel non agere permittit, adeo ut sæpe non agat homo, cum sub permissione divina agere posset, aut etiam agat, cum non agere in ipsius manibus fuerat. Eadem est ratio in *libertate specificationis* seu contrarietatis, cum hoc potius acturus prævidetur homo, quam illud. Sanè & hæc à providentia divina ordinanda est. Quapropter cum usus libertatis humanæ, cursurus *contra bonum universale*, aut contra *finem* divinitus intentum absolutè pugnans, nec in illum ordinabilis, impeditur; omninò libertas humana in ordinem redigitur, & coercetur intra providentiæ limites. Idemque fit in usu libertatis *Angelorum* apostatarum. Illi primos homines nòn tantum in apostasiam à Deo præcipitare, sed etiam ante prolis productionem perimere misera morte velle potuissent. Hic potuit sane „ DEUS objecto impedimento facere, „ne sic & hactenus uterentur sua libertate.„

§. 381. Rectissime enimverò *Vir Doctissimus* monet, cum usus libertatis *contra* bonum *universale*, aut contra divinum *finem*

(intellige *totalem*, & absolutè intentum) simpliciter pugnet: restringi illum divinitus; neque tanti esse in oculis DEI *privilegium* libertatis creaturæ concessum, ut *illi* in ejusmodi actu derogare non liceat. *Pugnat* autem adversus finem divinum adeo, ut in illum ordinabilis non sit, *ubicunque* gravius malum admissa actione exsurgit in universo, quam impeditâ illâ. *Eo* igitur *casu* satius est, *particularem* Entium quorundam prærogativam constringere, quam illi indulgere contra bonum *universale*, & perfectionem *totius*. Si quis igitur *ejusmodi casus* aut obtingat aut obtingere supponatur: nullus dubito, quin DEUS libertatem malit coercere, etsi liberaliter tributam, quam ea sibi relicta gravius aliquid permittere. Nimirum *vel homines* ita solent & debent, tributa singularibus privilegia subordinare bono universorum: Quid ni DEUS ita velit, possit & faciat? §. 91. 210. 213. 225. *Memineris* dictorum tamen *antecedentium* §. 99. eademque & huic loco applicata attenderis.

§. 282. Properamus *ad finem* sectionis *Ontologicæ:* Explicuimus autem vocabula §. 50. allegata, nisi quod *finitum* incidenter definivimus, & in transitu solum, & *individui* naturam nondum ex instituto excussimus. *Finiti ideam*, §. statim 83. suppositam, & 86. applicatam ad spiritus, illam sequor, quam Celeberrimus *Christianus VVolfius* exposuit in Metaphys. §. 109. conformem universali

i Sermonis consuetudini. *Finitum* enim
, *quod* non omnia simul habet, quæ habe-
potest: finitum est, *quod* non omnes simul
alitates possidet. Dico *utrumque eosem* sen-
: Cum enim realitates ut tales mutuo ne-
iaquam pugnent, sed pugna sit è collisio-
: positivi & negativi, enti ut tali omnes
ossunt competere sine contradictione; eo-
ie perinde est, sive dicas, Ens aliquod non
bere omnes simul perfectiones, sive dicas,
ud Ens non habere simul omnia, quæ ens
oteft habere. Si quod Ens simul omnia
ibeat, *infinitum* dicitur: eoque cum realita-
s mutuo non pugnent ut tales, à priori
nul *infiniti* Entis *possibilitas* intelligitur ex
sa per sese spectata ejus definitione, vid. §.
:. Monadolog, Leibnitii. Si non omnes
ibeat realitates, sed aliquas; potest *successivè*
ias nancisci per priores; Igitur finitum
t; & utroque illo charactere dignosci po-
st, defectu scil. realitatum quorundam ab-
ntium, aut successione præsentium. Sed
:rò *plura* in hanc partem necessaria non ar-
tror. Dicam de Individuo: & breviter id
ioque.

§. 283. *Individui* notionem *primus* distin-
e vir doctissimus explicuit, quem modo
pellavi; in Logica sua sive cogitationibus
ationalibus de viribus Intellectus c. 1. §.
'. Ex ea definitione *unicum* huic loco *Co-
llarium* debetur, quo secundam sectionem
ofignabimus. *Individuum est*, quod *omni-*

modo

mode determinatum est, non in iis solum, quæ ad naturam ejus & essentiam pertinent, sed in istis quoque, quæ utcunque illud denominant, intrinsecè, aut extrinsecè. Determinationem ante definivimus §. 63. & determinatum §. 182, Intelligitur ex illis, quid omnimodè determinatum sit? *Idem* tamen *alias* quoque ita efferre consuevi, ut *individuum* illud *dicam*, de quo respectu *totius* hujus *universi* cogitari aut quæri nihil potest, quin præcisè *alteram* contradictoriarum partem de illo affirmare, & negare *alteram* ex veritate liceat. Si de homine quæras, an dives sit, aut pauper, aut juvenis, aut senex? Tum sane non licet præcisè affirmare alterum contradictoriorum, & negare alterum; homo enim nec dives est, nec pauper, in genere spectatus. *Hic* homo *individualiter* consideratus dives est, juvenis, cœlebs, jejunus, nunquam visus Imperatori Turcarum, nunquam in America pransus, nequaquam ex Luna redux, & quæ sunt *cetera* adhuc *absurdius* quærenda. Dixi tamen, respectu *hujus universi*: neque enim comparari *hic* homo potest aut debet rebus, *quibuscum*, aut *inter quas* existere *non* potest. *Contradictionem* id aliquam *involvit*, considerari hunc hominem *in alio*, quam præsenti mundo. Quid ita? Nimirum, qui *hunc* dicit, ille respectu *omnium* rerum præexistentium, coexistentium, & sequentium *hoc præcisè* modo determinatum hominem dicit. *Non* potest

test id obtinere, *nisi* & præexistentia, & coexistentia, & consequentia *omnia* supponantur *eadem*; quæ nunc sunt: Itaque *non* potest *hic* individualiter homo cogitari, *nisi in hoc mundo.* Itaque *idem* individuum in *diversis* exsistere mundis *non* potest.

§. 284. Sed *neque* in *hoc* mundo existere potest aliter. *Quicquid* in *hoc* mundo possibile est, illud aut fuit, aut est, aut erit. *Durum* hunc & lapideum planè *sermonem* quereris, quem nemo possit concoquere. Retrahe, si placet, ambiguitatis velum: & rem intuere oculatius. *Hic mundus* potest *diverso* non parum significatu dici: si *individualiter* illum, & *in universo* spectes complexu, impossibile est, ut *hic* mundus *non* sit *hic* mundus; hoc est, ut res hoc præcise modo determinatas intueare, easdemque salva ea hypothesi *aliter* determinatas simul intelligas. *Sensum* hunc *compositum* vocant philosophi antiquiores, quod, nisi hypothesin thesi componas, falsum asseris. *Num* ille *lapides loquitur*, qui asseverat; Unumquodque cum est, necesse est esse, ex hypothesi; idem non potest simul esse & non esse; quod supponitur hoc modo, non potest simul alio supponi? Scilicet hæc prima sunt rerum principia. *Sed* vero is venenum lectori & *serpentes porrigeret*, non lapides solum, qui possibilia & actualia sibi *coextensa* statueret, qui negaret DEUM posse plura, quam velit aut faciat. Sed vero quantum ab ea

sen-

ſententia abhorream, in antecedentibus luculenter oſtendi. Sunt DEO plura poſſibilia, *non* in aliis *ſolum* mundis, *ſed* in hoc noſtro *quoque*, modo illum non attendas ſub reduplicatione: Sunt eadem adhibita cautione, *creaturis* quoque, & intelligentibus præcipuè.

§. 285. Nolim cauſeris, *verba* dari, ſenſu & momentis vacua: Equidem talia videri aliquando non attendentibus poſſunt. Quæ legitima eſſe ſolliciti rerum cognitores judicant. Accipe *diſcrimen* vero, planiſſimè enunciatum. Poſitis futurorum eventuum cauſis præciſe iisdem, quales nunc in hoc mundo experimur, aut ſupponimus, *necquicquam* implicat contradictionem, conſequi effectus alios; *in naturalibus* quidem DEUS conſecutionem poteſt & ordinem invertere §. 156. & ſeqq. igitur alia poſitis his cauſis ſunt poſſibilia §. 127. *in moralibus* id vel creaturæ arbitrio non repugnat §. 184. etſi diſconveniat §. 199. ob argumenta futuro facti prævalentia quidem, ſed inclinantia ſolum, non neceſſitantia §. 198. Igitur id, quod in *hoc* mundo poſitivum eſt in cauſis, & in effectus influens, impoſſibile non facit oppoſitum ejus eventus, qui nunc ſequitur. §. 164. ſed *neque* id, quod negativum concipitur in argumentis fortioribus, quatenus ſcilicet alia in contrarium majora non adſunt §. 198. ſaltim *in moralibus* argumenta potentiam non afficiunt, ſed volun-

ntatem §. 161. 162. non igitur possibili-
n tollunt, sed futuritionem dissuadent
xciter. Vides, *quo* sensu *dici* & possit
beat, in *hoc* mundo possibilia esse, quæ
fiunt: *sensus* hic *divisus* est, ubi solum
amus causam, & virtutem ejus, aut in
lucendo effectu influxum.

286. Sin *composito sensu* hunc mundum
iidualiter, id est, secundum omnes simul
rminationes suas supponere institueris,
ossibile est, hunc *non* esse *hunc*, supponi
eterminatum, & aliter. Num id in *so-
c* Philosophia deprehenditur? An *uni-
ile* est? *si quis* cognoscat aut *supponat*,
um esse Oratorem optimum, num pos-
e est, ut Sempronius aut quicunque alius
n eloquentiâ suâ antecedat? Num igi-
livisim quoque implicat, majorem inter
iines facundiam Titianâ dari? Nec-
quam verò! Fruamur igitur industria
cessorum, qui distinguere diversa docue-
. *Ubi de* rerum *consecutione* sermo est,
ndamus ad principia eventuum, & quan-
llorum vis & efficacia concedi debeat,
stigemus. Neque ex *suppositione* even-
consequente, *antecedaneam* ejus *necessitatem*
oostero conatu extorqueamus. Quic-
l igitur sit, de mente aliorum, dextrè
minus intellecta mihi aut aliis, *æquipollen-
go sequentia* dicerem, si quando aliquid
modi enunciarem, quale est §. 282.
cquid in hoc mundo possibile est, id est,

quicquid in determinationibus hujus mundi ut talis comprehensum est, id aut fuit, est, aut erit: & vice versâ, quicquid nec est, nec fuit, nec erit, id in determinationibus hujus præcise mundi comprehensum non est, eoque in hoc, ut hoc & tali, evenire non potest.

§. 287. *Admonebo* Lectores, cum operæ pretium fuerit, præsentis *dicti*: Erunt enim aliqua in sequentibus, non minus, quàm in antecedentibus fuerunt, quibus lucem ex eo fœnerari licebit. Ejusmodi sunt *locutiones Leibnitii*, cum inquit, mundum optimum non fore optimum, nisi hoc præsens malum foret, & quæ sunt similia; vide, si placet. §. 96. *Optimum* ille mundum *individualiter* appellat, non *specificative*, non *reduplicative* §. 97. pleniorem distinctionis ibi adhibitæ sensum opinor è præsentibus scaturire. Simile judicium esto de similibus. *Sufficit* enim aliquando tandem, præivisse viam lectoribus. Si quid *aliud* superest, explicationem postulans: facile id lectores per se ipsi assequantur; saltim ubi *eundem* in interpretandis aliorum sententiis *typum sequi* velint, quem hactenus ego tenui. *Quem illum*? ut verba *malint* molliter intelligere, cum fieri potest, nedum ubi systematis connexio id imperat; quam studiose sensus suspicari crudissimos: Ut magis ad divinas perfectiones tranquillo examine sententias illas contendere; quam supponere examinatas, aut præcon-

ceptis

otis solum opinionibus dicta onerare : ut
gis ponderare momenta rei , præcipuè
jectiones profanorum ; quam avertere ab
s animum & festinare. Ut enim , quod
est , confitear : nunquam *ego* , salvis acu-
ribus , profanorum hominum refellere
putationes potui sufficienter sine isto, quod
e manibus est , Systemate ; neque cum
inæ bonitatis , sapientiæ , verbo perfe-
onis idea contradictorias præsentium the-
conciliare , §. 271. nedum , ut illas ex di-
is eminentiis , sigillatim aut conjunctim
nsideratis , queam inferendo deducere.
alis ea sit sive gloriatio , sive imbecillita-
confessio , dilucidius opinor è sequenti-
patebit , postquam integram proposi-
num seriem exhibuero. Dico omnia *sal-*
doctiorum honoribus , quibus ego publicas
terno gratias, si me *alterutrum* ex modo
moratis edocuerint. Ut facilius & spe-
cè intelligatur , quo digitum hic inten-
im , admonebo in decursu , quidnam il-
sit, quod præcipuè explicandum putem,
demonstrandum ? Accedamus bono o-
ne ad rem ipsam.

SECTIO TERTIA METAPHYSICA.

Doctrinam de Origine & Permissione mali connectens in Systemate.

§. 288.

Diximus §. 11. felicius de permissione mali illos philosophari posse, qui *originem* ejus *ante* declaraverint. Scio, non id omnium esse institutum. Scio *aliquos*, ne quidem istas quæstiones, discernere. Scio verò etiam, quid inde *commodi* aut *incommodi* scaturiat? *Generaliter* id §. statim 10. & 11. admonui. *Specialibus* liceat ideo manum abstinere, ut ne aliorum labores suggillare jure aut injuria videri possim. Utimur præterea, cum utramque illam instituti partem secernimus, jure nostro, quo doctrinæ ordinem licet inflectere, prout cuique accommodum videtur, & utile.

§. 289. Eodem argumento factum tuemur, cum *de origine philosophicam* molimur expositionem, non historicam; *generalem*, non specificam; *à priori* sumtam, non à posteriori; *abstractam* denique, non applicatam. Non id ago, ut *originem peccati* Adamitici, & ex illo consequentium excutiam: Ut enim

enim id non urgeam, Philosophos ex sola ratione nescire necessaria, documentis eo pertinentibus destitutos; non est illa mali origo, nisi *inter homines*, & *moralis* quidem ac *physici* pœnalis, non omnis. Ascendam altius, & *primam* mali scaturiginem contemplabor, in mundo *sive* hoc, *sive* quocunque alio malis maculato: Dicam ea tamen, quæ possint applicari ad præsentem quoque, & singulas illius partes, malo aliquo affectas; aut planè inquinatas.

§. 290. Cum *de origine* alicujus *rei* quæritur, id ego postulari arbitror, ut ostendatur, quo illa modo & ordine & principio oriri possit? Ita cum de origine *pestis* sermo est generalis, hoc agitur, ut causæ enumerentur, quæ pestem hominibus inferre possunt. Neque enim aliis de causis aut fontibus actu ipsa deducitur, quam quibus deduci potest. *Non hoc dico*: si deduci hac vel illa causa pestis potest: Ergo adest causa, & actualiter inde pestis pullulat. Hoc illi *simile* foret ratiocinii genus, si quis inferre vellet: Creatura sub his & illis circumstantiis potest labi; ergo adsunt circumstantiæ, & principia facti, & sequitur lapsus. *Inconsequens* est à potentia actum concludere affirmando. *Aliud* est, *posse* se malo involvere, *aliud* est *actu* involvere. Recte id *viri doctissimi* adverterunt, qui negarunt sufficere hic *generalem* ad finitas rerum vires provocationem; ut enim exinde consequens sit, v. –

spiritum finitum posse errare & peccare, *nondum consequi*, quod erret judicio suo, & appetitu peccet. Differunt profecto *labilitas* generaliter spectata, & *futuritio* lapsus, *& actualitas*: neque ex altera ad alteram transire licet simpliciter. Agnoscere id *omnes* debent, *quicunque* plura statuunt esse possibilia, quam actualia: Igitur & *nostro* id calculo lubentissimi comprobamus. §. 145. 146.

§. 298. Neque minus *tamen* id *certum* est, quod antecedenti paragrapho monuimus: *Qui originem* rei *investigat*, eam attendere, quo *possit* modo aut fonte oriri? Et qui modum tenet, quo *uno* fieri res aliqua potest: ille modum novit, quo *fit* aut *facta est*, cum illam præsto esse contingit. Dicam *applicate* ad rem præsentem. Cum noveris, quo præcise & determinate, vel etiam, quo unice modo, ordine, aut causa in Systemate mundi alicujus ut possibilis, possibile hoc vel illud malum sit: nosti etiam, qua id causa vel ordine futurum sit, in eodem Systemate ut futuro; nosti, quo id principio scaturiat, in eodem actualiter producto. Non arbitror, eventus actuales in mundo actuali comprehensos, aliis oriri causis; quam quibus in eo ipso, in futuritione sua considerato, futuri esse intelliguntur; & quibus in eodem ut possibili possibiles esse concipiuntur determinate. Velim, ut benevole huic monito Lectores attendant: eo enim *resolvitur* quæstio difficilior *in faciliorem*. Si

quæ-

quæratur, *quo fonte* malum pullulet, cum pullulat? inquiro ego, *an pluribus* pullulare possit? an *uno* solum? & *quo* illo? Quod si enim unica mali scaturigo sit possibilis: Certum est, unde proveniat, cum evenit? Itaque hoc mihi impositum intelligo, ut ostendam primo generaliter, quo fonte malum in aliquo mundo scaturire possit? & solo quidem? deinceps, ut edisseram, quo id ordine ex Deo fonte remoto scaturire possit? morale præsertim & illius consectaria.

§. 292. Repetamus rem *ab origine*. *In* Ente *infinito* malum esse non potest. *Mala* quidem *omnia* consistunt in privationibus, metaphysica per §. 244. moralia per §. 247. & 249. physica per §. 254. In Ente infinito sunt realitates *omnes*, & *solæ*, seclusis privationibus & negationibus in universum omnibus per §. 282. Igitur in Ente *infinito* malum esse non potest. Tantùm scil. rationi adversantur, qui *Ens infinite malum* fabulantur, ut neque in infinito malum obtinere queat minimum. *Liquida* est adeo isthæc enunciatio, ut incrustare illam neque *Baelius* potuerit, utcunque Manichæismum urserit in speciem. Fatetur enim, *à priori* facilè sententiam convelli, contrariam veritatibus omninò evidentissimis: Difficultatem quæsivit in consideratione altera, quando mali in mundo, ab infinito Ente producto, conservatoque & directo, præsentiam veritati mo-

do expositæ haud facilè conciliari posse existimavit à posteriori. Sed de eo videbimus proximè.

§. 293. Si in infinito malum esse non potest: sequitur *aut nullum* esse; *aut* esse *in finitis* Entibus. Versamur in consideratione *abstractissima*; nondum igitur licet subsumere? Atqui est; Est ergo in finitis. Licet autem hypotheticè: Igitur *si est, est in finitis*: Quæritur: *An* esse *possit*, & *quo fonte?* Ut id intelligas, notandum est, *in* rebus *finitis* omnibus, ut talibus, *duo* occurrere, realitates & earum limitationes. Finitum aut *contenditur nihilo*, & sic distinguitur realitatibus, quas possidet; res enim finita res est: *aut infinito* contenditur, & sic distinguitur limitationibus, sive realitatibus, quas non possidet; Finita enim res finita est: Realitates igitur habet, sed aliquas; non omnes, nec simul illas. §. 282. In finito igitur si malum est, *aut* in realitatibus consistit entis finiti, *aut* in limitationibus earum, finito adhærentibus, ut tali.

§. 294. *Non* consistit *in realitatibus* finiti. Quis hoc dicat: privationem consistere in reali; malum vero constat privationibus per §. §. 244. seqq. Atque *iterum*: Realitates mutuo consentiunt, saltim ut tales; alioquin omnes in eodem subjecto convenire non possent §. 282. si consentiunt, perfectionem præstant. §. 78. malo oppositam. §. 245. Admitto, *connecti* realitatibus ut limitatis malum:

lum: in realitatibus, etsi limitatis, *consistere*, nego ex præcedentibus.

§. 295. *Consistit* igitur *in limitationibus* finiti, ut talis. Hoc definitioni congruit, & speciebus mali §. 245. exhibitis. *Limitatio* absentiam dicit, & defectum indicat. Quod limitatum est, non habet omnia: Gradus ejus & realitates & perfectiones porriguntur aliquo usque; tum deficiunt locum facturæ privationibus & negationibus. Ita *malum* pendet *ex limitationibus* rerum: & qui ejus originem indagare nititur, limitationes attendere debet, non realia: *illarum* igitur *scaturiginem* inquirere juvat; non horum fontes adire, si mali causam detegere institueris.

§. 296. Nimirum si malum in realitatibus finitorum adeo non consistit, ut potius realitati tanquam privatio & defectus opponatur: certum quoque est, *ex realitate* illud *non consequi*; adeoque nec *proximè* fontem suum in realitate finiti, nec *remotè* in principio realitatis illius agnoscere. Est hoc paragraphi ducentesimi nonagesimi quarti consequens: Namque id *implicat*, privationem ut talem, consequi ex realitate, ut tali. Privationes *licet* privationibus deducere: hoc congruum est. Realitates è privationibus facere, aut e realitatibus privationes: id *naturale* non est. Unumquodque rei consequens naturale est causæ suæ *homogeneum*: *Oppositum* non est. *Scio*, *aliquos* malorum species dari *non posse*, nisi realitates aliquas

existere *præsupposueris*. Ejusmodi sunt peccata creaturarum, queis locus non est, nisi creaturæ sint appetendi facultate & arbitrii libertate præditæ. *Agnosco* facultatem cognoscendi objecta, appetendi & agendi pertinere ad realia: *Nego* verò peccatum ex ea consequi, qua realis est; sequitur ex ea sanè prout limitata est, §. 247.

§. 297. Obtinuimus, in realitate entium finitorum malum non consistere, §. 297. neque etiam ex realitate eorundem scaturire: §. 296. Inde *consequens est* tertium, obiter modo indicatum, *non* id *ex fonte realitatum* ut tali deduci. Quicquid ex realitatibus finitorum entium ut talibus consequitur, ejus causam agnosco in fonte realitatum; *remotam* quidem, sed *veram* tamen. Itaque, si malum ex realitate entium finitorum ut tali consequeretur: mea sententia idem dependeret quoque à fonte realitatum. Ex adverso, si ex eo, quod reale est in rebus, malum non consequitur: neque ad fontem realitatis *eo* argumento potest reduci aut eidem exprobrari. Dixi *eo argumento*: namque id *deinceps* quoque considerandum erit, an, si ex privatione scaturit, seu absentia realitatis, nulla fieri ad fontem realitatis reductio possit, etsi *non quatenus* largitur realitates præsentes, fortasse *tamen*, *quatenus* non largitur ceteras, adhuc absentes? Jubeo tamen Lectores ea parte *securos*, in *meo* saltim Systemate.

§. 298.

§. 298. *Duo* hic inferri debent ex antecedentibus. *Caute illis* in hoc negotio *versandum esse*, qui mala propugnant esse *realia*, saltim si sensu *physico* aut *metaphysice* talia dicere instituant. Realia enim nonnisi realibus deduci possunt, atque ut talibus. Si realitates *ut limitatas* accusare velint, recte illi profecto, & nobis conformiter; ita enim è limitatione malum consequitur, realitati *connexum*, *non* illi *debitum* ut consequens. §. 296. *Eo* autem *casu* malum reale non est, §. 295. sensu quo diximus (*reale* esse nego, *grave* non, item §. 248.) Sin *realia plane* mala tueri velis: effectui ut reali causam negare realem ut talem non licet. Pullulat igitur malum è fonte reali, ut tali, proxime: *Vereor*, ne illo casu *remotè* scaturiat è fonte realitatis. *Absit*, ut molesta cuiquam *accusatio* sit. *hic finis* est dicti: volo *rationem* Lectoribus sufficientem reddere illius *mea cautela*, qua tam sollicitè invigilo verbis, ut neque malum unquam reale dicam, neque ex realitatibus ut talibus derivem, semper verò realitates ut limitatas, sive limitationes & privationes, & absentias realitatum loquar. Nimirum grave consectarium reformido, si realitates sive malas, sive mali causas admitterem. *Certum est*, quicquid *in finito* est, id vel à fonte realitatis venire, vel privationis; quicquid est *à finito*, id vel ab eo ut reali, vel ut limitato, ab realitatibus ut talibus, vel à limitatione ut tali profi-

cisci.

cisci. *Postremum* mihi placet: primum salvis judiciosioribus, ego quidem à consequentiis enarratis liberare non valeo; itaque valere jubeo. Atque hoc primum hic attendi velim.

§. 299. *Alterum* hoc est. *Fontem realitatis* omnis *DEUM* asseruimus §. 129. quicquid igitur ex realitatibus ut talibus consequitur, Deo tribuimus. Quod ex illis non consequitur: eidem ut fonti realium non tribuitur. Dicam *clarius*: Quousque DEUS primum finitis rebus esse largitur, conservatque & dispensat: *eo usque nulla* in istis *mali* sive præsentia sive efficientia continetur. Non *præsentia*: Quod enim à Deo accipis, reale est; malum in privatione consistit, ut tale. Sed *neque efficientia*: privatio enim privatione oritur, ut mox dicam. Saltim non oritur realitate, ut ante dixi §. 298. *Non* id igitur est *à divina* quadam *efficientia*, si *malum* in finito est: *nisi* & *privationes* rebus efficienter *ipse intulerit*.

§. 300. Atque *id* dici *nequaquam* potest. Pro *eo, ut* aliquid *habeam*, necesse est ejus rationem esse aliquam & positivam, in me ipso, aut in alio. Pro *eo*, *ut non* habeam, causa non requiritur *positiva*. Si *negativam* dixeris, eo ipso nullam dixeris: nullam saltim *efficientem*; etsi *deficientem* causam appellari fontem privationis aliquando contingat. §. 247. Videtur id nonnullis *lubricum*, atque in *solo* vocabulo positum *discrimen*. *Aliter*

itaque enunciatum accipe. Non illi accuratissime loquuntur, qui privationes dicunt esse causas privationum: uti privativum positivo opponitur, sic & origo privativi. *Causa* dicitur, quæ dat esse; *deficiens* non dicitur, quæ dat esse, sed quæ relinquit non esse. Causa igitur deficiens minus commodè *dicitur*: etsi *sensus* dicti ineptus non sit; quandoquidem, nisi fallor, *hic est*: ut in finito Ente aliqua desit realitas, id efficientem sui causam, aut destruentem non requirere; sufficere, ut nulla adsit conferens.

§. 301. Scilicet ens *infinitum* de se ipso *omnia* habet: *finitum* ex se ipso *nihil* habet. In se & ex se nihil est. Quicquid est, id est ab alio: quicquid habet, id à causa habet, & principio sui. Quantum igitur à nihilo recedit, tantum in alio causæ habet: Quantum realitatis habet, tantum recedit à nihilo. Tantum igitur causæ agnoscit in alio, quantum habet realitatis. *Ex adverso*: quousque participat de nihilo, eo usque ipsum sibi sufficit; hoc est, eo usque nulla realitatem conferens causa ab extrinseco accessit. Quousque de nihilo participat, privativum est, non positivum: & versâ vice, quousque privativum est, participat de nihilo. Igitur quousque privativum est, causam sui externam non agnoscit.

§. 302. Scaturiunt itaque *privationes ex* ipsa per sese rerum *finitudine*, prout *negat* illa perfectionem, non prout *accipit* & ponit.

tiqui dixerunt, *ex nihilo radicali*. Non id incommodè. Si nihil adsit positivum primo, tum vero accedat solum aliquid; eoque desit adhuc aliud; *ratio defectus* nondum suppleti *originaria* est in eo posita, quod nihil omninò rei ex sese adfuerit. Si deinde effectus desit, qui suppleto priori defectu ex realitate, supplendo defectui impensa, adfuisset: caussa sane absentiæ illius positiva non datur, aut quærenda est. Abfuissent *omnia*, nisi ab extrinseco *aliqua* fuissent suppleta: Abest igitur, quicquid opposita defectui realitate suppletum non est. Quod si igitur unum deest, ex quo cetera fuissent ordine suo consecuta, desunt illa ordine suo omnia.

§. 303. Atque hoc est, quod dici solet: *Perfectiones* & realitates finiti venire ab extrinseco, *imperfectiones* ab intrinseco. Hoc finitudini debetur, ut absit, quicquid ab infinito non conceditur. *Privationes* igitur si creaturæ competunt ex natura finitudinis; *Malum quoque* ex natura finitudinis deducitur. *Non* enim id *solum* ex antecedentibus liquet, malum consistere in privationibus, *sed & alterum*, privationem *quamcunque* esse mali speciem, saltim metaphysici, quo sensu Leibnitius vocem adhibuit §. 243. Igitur id securè licet & generaliter concludere: Mali *originem primam* in nihilo fundari, vel eodem sensu, in finitudine rerum, *in limitationibus* enti finito, ut tali, generaliter, necessariis, & propriis; *Neque operosum* in eo

pro-

producendo esse Auctorem realitatis, ullo suo influxu.

§. 304. *Consentiunt*, nisi me animus fallit, in hac enunciatione *omnes*: etsi illam *minus operose* communiter demonstrant. Ita certum est, & facile, malum in & ab ente infinito nullum esse: Est adeoque in & à finito. Quod perfectissimum est, ei nec deest quicquam, nec deesse potest: privationi igitur locus est in imperfecto. Competit igitur finitis entibus atque imperfectis, quatenus ab infinito & perfectissimo discrepantibus, hoc est, quatenus finitis. Debetur itaque finitudini. Equidem *sic breve* est negotium: *Malui* tamen discerpere propositiones, & *sigillatim* omnes evolvere; ita probatis antecedentibus firmior est conclusio; Suspectis illis examen est facilius. Nimirum hic *nervus est*: In Ente infinito malum non est §. 292. Igitur, si quod est, est in finito §. 293. Non consistit illud in realitatibus finiti §. 294. Consistit igitur in limitationibus §. 295. Itaque nec oritur proxime ex realitatibus ejus §. 296. nec originarie ex fonte realitatum §. 297. 298. non est adeoque ex divina quadam efficientia §. 299. est privatio ex privatione orta. §. 300. quæ causam sui positivam non habet. §. 301. scaturiens ex nihilo. §. 302. & finitudini creaturarum cohærens. §. 303.

§. 305. Scio, quid in mentem venire queat Lectoribus: *Nihil* hucusque *evictum* esse,

pra-

præter id unum, imperfectiones naturales creaturæ originarias & connexas esse, id facile unumquemque largiri: *Aliud* postulari, cum *de origine* mali sermo fuerit: digitum præcipuè intendi ad *moralia* : hic nodum esse, & difficilem: illum hactenus intactum mansisse: & concludi tamen generaliter. Equidem *breviter* expediri dubitatio *posset*, si revocare dicta in memoriam Lectoribus collubesceret. Secunda sectione *ostendimus*, & *moralia*, quæ dicuntur, mala *privationes* dicere privationibus oriundas. §. 249. Igitur, quod de privationibus valet *omnibus*; Valet de *istis* quoque, nihilo illas deberi originariè, non Deo. *Malim* verò *specialius* id negotium persequi, ratione non una permotus. *Ille* originem moralis mali explicat *distinctius*, qui *genealogiam* ejus ex primitiva creaturarum imperfectione, quousque id fieri potest, expressius recenset. *Ille* divinam puritatem ab omni suspicione applicate *nondum liberat*, qui solum id probat, *efficienter* DEUM non concurrere ad malitiam, vid. §. 297. *Ille causam* quidem mali in creaturæ limitationibus quærendam esse obtinet, qui antecedentia attendit: *An culpa* quoque circa morale malum admissa sit, in liquido non collocat; neque enim intelligitur hactenus, an vitare illud creatura potuerit? quin obiter intuentibus *videri* posset *contrarium*; Si *malum* consequitur *ex* limitationibus rerum *essentialibus*; *necessarium* est. Necessaria enim est essentia

rei;

rei; & necessarium est, quicquid ex necessario consequitur.

§. 306. Occurrit isti dubio *Leibnitius* jam dudum. Dabo *verba viri* ex causa DEI asserta §. 69. Ita ille ad objectionem de concursu divino : „ Respondendum est, nihil quidem perfectionis & realitatis pure positivæ esse in creaturis earumque actibus bonis malisque, quod non DEO debeatur : Sed *imperfectionem* actus in privatione consistere, & oriri ab *originali* limitatione creaturarum, quam jam tum in statu puræ possibilitatis (id est, in Regione veritatum æternarum, seu ideis divino intellectui obversantibus) habent *ex essentia sua*; Nam, quod limitatione careret, non creatura, sed DEUS foret. Limitata autem dicitur creatura, quia limites seu terminos suæ magnitudinis, potentiæ, scientiæ, & cujuscunque perfectionis habet. Ita *fundamentum mali* est necessarium, sed *ortus* tamen contingens : id est, necessarium est, ut mala sint *possibilia*; sed contingens est, ut mala sint *actualia*. Contingens autem (*ita enim lego, vice ejus, quod expressum est*, non contingens autem) per harmoniam rerum à potentia transit ad actum, ob convenientiam cum optima rerum serie, cujus partem facit. „

§. 307. *Evolvamus* ista, ut discrimen appareat luculentius. *Fundamentum*, inquit, mali est necessarium : intellige *primum* & remotum, non proximum & immediatum; *gene-*

rale, non ſpecificum; mali, ut *poſſibilis*, non ut actualis jam. Perge, ſi placet: Quod è neceſſario conſequitur, *inquis*, neceſſarium eſt. Limito. Quod *immediate*, quod *unice*, quod *neceſſario*, conſequitur ex neceſſario, id neceſſarium eſt: *Non* item, *quod* ex neceſſario conſequitur per aliud contingens; *non quod* ex neceſſario & contingenti; *neque quod* contingenter ex neceſſario. Atqui vero hos caſus eſſe, cum de malo quæritur è limitationibus creaturarum eſſentialibus pullulante, attendentibus non difficile eſt animadvertere. Accipe ſententiarum ordinem. Creaturarum *eſſentialis limitatio* facit, ut illis deeſſe realitates & poſſint, & debeant: Ut igitur imperfectiones in creaturis aliquæ admittantur, neceſſarium eſt. *Separabilitas* realitatum arguit, varias exceptionum illarum claſſes dari poſſe: *Nullas* igitur limitationum *ſpecies* præciſe neceſſarias eſſe. Experientia cognoſcitur, inter res illas eſſe *ſpiritus* quoque *finitos*: Illorum cognitionem atque appetitum eſſe limitatam; poſſe igitur caſus obtingere, ubi errent, judicio, & appetant incongrue. Si quis igitur ſpiritus ejusmodi, qui ſub *fortioribus non melioribus* appetere poſſit ob finitudinem ſuam, ſupponatur Legi adſtrictus, & expoſitus tentationi; ſequitur, poſſe illum ſua determinatione incongruum ſeligere atque adeò poſſe peccare. Si tentationes illæ *inſuperabiles* ipſi non ſint, ex neceſſitate illum

non

non peccare intelligitur; si peccet adeo; peccare ex arbitrio. Ita *fundamentum* possibilitatis & remotissimum quidem est necessarium: *Ortus* actualis mali contingens, & arbitrio debitus creaturæ.

§. 308. Atque ut *singulatim* ista recenseam, ex promisso paragraphi 295. Deesse creaturis realitates aliquas, satis liquet ex antecedentibus §. 282. & 306. *Arguit* id *separabilitatem* realitatum. Nisi altera posset divelli ab altera; nisi gradus possent distinctim existere: Præter infinitum nihil esset possibile. *Aut* enim omnes conjunctim realitates existerent, *aut* nulla divisim. *Eo* casu infinitum obtinetur: *hoc* ne Ens quidem. Quod si igitur finita existunt entia, realitates absolute spectatæ sunt separabiles. Si ejusdem omnia generis sunt: *gradus* saltim variari necesse est. Sin diversi generis entia existunt; *species* quoque realitatis, ut sic loquar, diversæ, discerptim queunt existere. Non ego hîc disquiro, *quotuplicis* omnino generis realitates concipi à nobis valeant, & quibus illæ gradibus distingui? Neque id *scopus* postulat meus. Non id mihi datum puto, quod in Conditores Systematum physicorum festinabundos eleganter *Crosa* dixit: On diroit, qu'on a la commission de construire l'univers suivant ses idèes.

§. 309. Illud *ante cetera* meretur attentionem: Si separari invicem realitates queunt finitorum Entium limitationes, specie

consideratas, posse plurimas esse: Adeoque *hanc aut aliam* limitationum speciem *necessariam non esse*, saltim metaphysicè. *Esse* limitationes finitis Entibus cohærentes, necessarium est metaphysicè: implicat enim, esse finitum, & habere omnia; unicum hoc necessarium est, ut finito desit aliquid, aliter esse finitum non potest. Sed vero *esse has aut alias* entis limitationes, id quidem supponi in finito Ente potest sine repugnantia: si sejungi invicem realitates possunt, non unico solum modo queunt existere; nulla igitur limitationis species præcise est sui generis unica possibilis, eoque necessaria. §. 154. Vident, ita spero, Lectores æquanimi, hoc jam loco *intercidi consequentiam*, in fine §. 305. allegatam. Cùm enim, quicquid actualiter existit, determinatum sit, non generale & vagum & universale: manifestum est, *limitationes* finitorum Entium ut existentium esse speciales, quin *individuales*; igitur necessarias illas non esse, sed *contingentes*; igitur, si quod malum ex illis actualiter enascatur, non prognasci illud è fonte necessario, sed contingenti; igitur ipsum ea de causa, quod ex limitationibus trahat originem, non esse necessarium: igitur argumentum paragraphi allegati de necessitate, saltim metaphysica, non valere.

§. 310. Ut intelligas, idem de *nulla* etiam alia necessitate, hypothetica, antecedanea, influenti, *vera* concludere, saltim quoad

quoad moralia: juvat *unicam* limitationum *speciem* attendere sollicitius, atque ex ea originem moralis mali indagare. Et quoniam in *possibilitatibus* occupamur adhuc, *fingamus* Entia nobis, qualia scopo conducunt, ex arbitrio quidem nostro, sed *salvo* tamen contradictionis principio, quod *solum* in regione possibilium attenditur. *Concipe*, si placet *substantiam ejusmodi*, *qua* & sui ipsius & ceterarum extra se rerum *conscientiam* habeat; quæ *distinctè* haud pauca intelligat, plura *clare* quidem, sed *confuse* solum, plurima *obscure* penitus; fac illam habere *facultatem attendendi* uni rei præ altera, eoque facto clariorem ejus notitiam hauriendi; habere illam quoque *vim connitendi* ad obtinenda ea, quæ sive distincte, sive clare, sive obscurius ut bona cognovit; *determinationem* illius nisus pendere *ab ipsa* substantia tanquam à principio intrinseco, quod, ut nunquam sine argumento bonitatis agat, *sequi* tamen *&* *illa* possit, quæ distinctius examinata ceteris concederent, nunc vero fortius illam substantiam afficiant; fac, esse illam creaturam ab Auctore suo *legi* subjectam, vetanti objectum in cognitione ejus confusa desiderabile: *Dico* fieri *posse*, ut neglecta ad interdictum attentione distincta, aut continuata, confusæ cognitionis aculeus & allectamenta tantum in substantiæ illius arbitrio momentum trahant, ut sub fortioribus hac vice, etsi non-melioribus, sese determinet ad

agendum id, quod vetitum est, sive ad peccandum; *Dico* etiam, id *sine necessitate* fieri, si substantiæ illi facultatem concesseris, attendendi ad legem, eoque facto aliter sese determinandi, aut suspendendi judicium, & examinandi causæ merita; atque iterum, si argumenta statueris ejusmodi, ut positis motivis, quibus nunc animus cedit, omnibus, non implicet tamen, fieri contrarium §. 164. 193. 198.

§. 311. *Concurrunt* multa ad hanc mali moralis genesin. *Discernamus*, quæ *ex* ipsa rerum finitudine immediatè pullulant ab iis, quibus arbitrium ipsius substantiæ intervenit? Ita veritatem §. 307. enunciatam facillimè licebit defendere. *Finitudini* id *immediatè* debetur, quod substantia cognitione prædita *obscuras* quoque & *confusas* rerum ideas habere *queat*. Nemo dubitat, id realitatis esse, si res alias sive existentes sive possibiles sibi animus repræsentare possit: realitatis igitur est potius, partes sibi omnes repræsentare, quales sunt, à se invicem distinctas, quam confusas illas, ita, ut vix totum liceat discernere, aliquando ne totum quidem; major quippe vis est, quæ ad plura porrigitur, quam quæ ad pauciora. Igitur ideas habere rerum, reale quid est: Obscuras solum, pertinet ad limitationem, & finitudinis consectarium est. Quod igitur ex ideis obscuris tanquam talibus consequitur, id ultimo ex finitudine consequitur. Finito igi-

igitur enti id proprium est, & domesticum. Sequitur autem ex confusa rerum & præcipuè obscura cognitione, ut facile alterum pro altero apprehendas: Obscuras enim cum *Ill. Leibnitio* & *Chr. VVolfio* ideas voco, quæ non sufficiunt ad rem repræsentatam, denuo forte oblatam, à ceteris dignoscendam. Igitur, *ut errare* judicio *possit* finita cogitans substantia: id *sibi debet*, & naturæ suæ tanquam finitæ.

§. 312. Ut, sese *determinare* possit pro judicio suo, id *reale est*; Eatenus enim rationes statuum suorum consequentium in se ipsa continet; eatenus *agit*, non agitur aut patitur. *Actio* enim creaturæ est ejusmodi mutatio status, cujus ratio continetur in ipsa; *passio* est, cujus ratio extra ipsam quærenda est. Neque minus agit, cum ex judicio agit erroneo; cum ad obtinendum id connititur, quod obscure solum ut appetibile cognovit, quod alteri meliori nequicquam præferri meretur. *Duplex* autem hoc loco *finitudinis consectarium* est: *alterum*, quod errare judicium possit §. 311. allegatum; *Alterum*, quod spiritus finitus conniti in id, quod nondum exquisite perpendit, aut distincte cognovit. Nescio, quid *aliis* hac parte videatur, qui *prærogativam* in ea facultate singularem ponunt, qua spiritus queat sua optione inter plura Electioni proposita seligere, quodcunque volueris. *Mibi* id *imperfectionis* videtur, si spiritus actu ipso

queat etiam illud eligere, quod minoris meriti est præ altero. Itaque *ex finitudine* deduco *facultatem* determinandi sese ex fortioribus non-melioribus. Finitudinis est, non-meliora esse huic spiritui fortiora, id est videri meliora: finitudinis est, sequi illum non-meliora, etsi fortiora, in cognitione scil. obscura & confusa, non clara, saltim non distincta. Nihil sic exprobro facultati determinandi sese secundum fortiora *ut* talia; Hactenus illam veneror: exprobro illi determinationem ex fortioribus in cognitione *tantum* obscura talibus, adeoque fortioribus, *ut* non-melioribus.

§. 313. Atque etiam *hic distinguo.* Ut obscure cognita appetitum stimulent, *reale* quid est, nec malum dici vel debet vel potest. Quicquid appetitum excitat, tanquam bonum excitat: ut bonum omne, & utcunque cognitum, stimulet appetitum quoque, id æquum est, & naturæ rerum conveniens. *Hactenus nihil* accuso. Si bonum illud obscure cognitum sit ejusmodi, ut distinctius consideratum deponat boni speciem; vel quod in negotio præsenti non adest id, quod adesse visum fuerat: vel quod bonum non est in præsenti rerum facie, quoniam aliud majus bonum excludit, aut malum tristius adducit; *tum verò* id *accuso*, quod repræsentationi obscuræ animus possit acquiescere, neglecta scil. facultate attendendi & examinandi causæ merita; doleo, quod eainsuper habi-

habita determinationem præcipitare suam possit. *Non* igitur id me *malè habet*, quod obscurè cognita alliciant appetitum: *Habet*, quod non semper succurrat memoria periculi illius, quod in decisione ex obscuris involvitur; quod adeò finita cogitans substantia sequi etiam illa possit argumenta, quæ partem commendant non-meliorem. Oritur id vero ex defectu cognitionis rerum distinctæ, ex neglectu attentionis in rem præsentem: Igitur finitudinis consectarium est, §. 312. & finitis Entibus domesticum. §. 311.

§. 314. Similiter id finitudini debetur, *posse ideas*, antea distinctas, accessione aliarum & successu temporis, *fieri confusas*, quin planè *obscuras*; posse, quæ fortes erant, dum animo præsentes fuerant, ita sensim *elanguescere*, & quasi suffocari aliis, ut non multum in mente valeant amplius. Nimirum vires finitæ præstant effectus sibi æquales: non igitur distincte tot rerum meminisse datur finitis entibus, quot voluerint. Fit eo argumento, ut dum *alteri* attentionem *applicant*, eo ipso illam *ab altero* avertant, *aut* divisam inter plura *imminuant*. Ita accidit, ut idea olim distincta, & quoad influxum suum fortis, hodiè confusa sit, & elanguida. Non id locum in perfecto habet & infinito Ente, quod omnibus distinctè cogitandis sufficit: ut igitur locum hæc *oblivio* queat habere aliquem finitudinis est, & *limitationi* virium *debetur*.

§. 315. Ex eo intelligitur, *qui* fieri *possit*, ut *Legem* creatura *transgrediatur*, etiam *illa*, *quæ* destinatum Legis contemtum animo nondum induit. *Fac* enim, objectum Lege vetitum esse ejusmodi, ut confuse cognitum blandiatur appetitui nonnulla bonitatis specie, eundemque adeo alliciat; *fac*, interdicti memoriam excidisse animo, saltim eo usque, ut in præsens illi non satis vividè appareat, malum esse gravissimum niti in vetita. Ita *fieri potest*, ut insuper habita interdicti ratione sequatur animus blandimenta appetitus! adeoque *ut peccet*. Ita *peccandi* potentia oritur *ex* potentia *errandi* in judicio ob ideas confusas & obscuras, *per* potentiam *sequendi* motiva fortiora non-meliora, & facultatem *negligendi* attentionem ad argumenta meliora, etsi prius cognita. Illa verò *omnia* oriuntur *ex finitudine*. Igitur & peccandi potentia oritur ex finitudine rerum, & limitatione spirituum, generaliter spectata.

§. 316. Potentia inquam peccandi: *Actum ipsum* ex hac sola consideratione nondum eruo. Nimirum difficile foret, culpam ostendere finitorum, si nihil aliud intercederet, ex partibus creaturæ. *Generaliter* profecto finitudinem *ex se ipsa* habet: neque *ideo* tamen est culpabilis; impossibile enim est, ut finita non sit. Sed neque ex finitudine illa sequitur, ut peccet neceßariò: ut peccare possit, consequitur. *Diximus* aliquo-

quoties, positis motivis licet, posse non sequi effectum: Igitur ex sola finitudine non conficitur, sequi illum; potest enim & non sequi. Si *solum* finitudinem creaturæ generaliter intuearis, potest illa peccare, potest etiam non peccare. *Unde* est *decisio?* Unde & futuritio peccati determinata? *Hic* verò intercedere *aliquid* necesse est, *quo mediante* transitus è potentia ad actum appareat, & culpa creaturæ.

§. 317. *Supposuimus* in substantia, quam hactenus consideramus, finita cogitante, *facultatem attendendi* uni rei præ altera, eoque facto acquirendi ideam illius clariorem & distinctiorem §. 310, facultatem *suspendendi* judicium & examinandi causæ merita, §. eod. Illam hic in partes vocare juvat, eo successu, ut culpam *ex* illius *neglectu* creatura trahat. Quod *si* enim creatura supponatur *in tentatione* constituta, hoc est, obscura & confusa boni repræsentatione prædita, & excitata ad agendum id, quod Lege prohibitum est; si supponatur *prædita facultate revocandi* sibi interdictum in memoriam, suspendendi judicium, dum Legi factum contulerit; si supponatur *negligere* illam *cautelam*, & concedere adeo argumentis præsentibus, non opponere illis meliora, sed acquiescere tentationi: *Intelligitur* sanè, *quo fonte* id, quod aliter fieri potuisset, hoc modo & fieri possit, & inter actualia fiat; Intelligitur, *quo intermedio* interminata possibilitas utriusque

oppo-

oppositi facta sit determinata, neglectu scil. applicationis virium, quas constanter præsentes habet spiritus etiam finitus.

§. 318. Et quoniam applicare illas creatura potest & negligere: intelligitur simul, id *mediante* ipsius arbitrio & *libertate* fieri, cum negligit. *Inde culpa* est neglectui cohærens, & *reatus* ad pœnam *moralis*. Dico, *moralis*, quoniam arbitror, creaturam non minus teneri ad illa finitudinis suæ consectaria patienter ferenda, quæ ipsa tamen devitare non potest, quam ad illa, quæ potuit effugere. *Illo* autem *casu* physica tantum connexio est, qua altera alteri privatio cohæret: *Hoc nostro* respectus accedit altior & sublimior, qui locum non habet, nisi in intelligentibus, & tum demum, cum ipsa sibi perniciem, cetera evitabilem, accersunt. *Magis* ille *sibi* ipsi *debet* miseriam suam, cui facultatem cavendi Auctor ipsius indulsit, à se ipso deinceps neglectam: quam iste sibi deberet, qui nullam talem accepisset.

§. 319. Neque illud, opinor, amplius expectabis, ut *principium* ipsius illius *neglectus* actualis *novum* allegem, eo forte argumento, quod nihil fiat sine causa. Nihil enim fit hoc loco, quin sui causam habeat sufficientem; sed ut *aliquid non fiat*, causam illud nullam postulat. Ita *determinationis causa* sufficiens est repræsentatio objecti ut boni, etsi confusa & obscura, quamdiu nulla æqualis aut fortior contraria obsistit. Ut *nulla* adsit

con-

contraria, id *causam* opinor *nullam* postulat, peculiarem, *specialem*, efficientem, positivam: vagam, generalem, deficientem, negativam (sit verbis venia §. 300.) exhibet finitudo rei, & consequens illam potentia (rectius impotentia) determinandi sese sub fortioribus etiam non-melioribus, aut nondum legitimè examinatis.

§. 320. Putem, ista non malè *receptis* consentire *phrasibus*. D. *Augustini* illam, quod malum habeat causam deficientem, exhibuimus sectione secunda §. 247. explicuimus tertia. §. 300. & seq. *Alia* est præcipuè, quam hic attendo, consueta phrasis, &, si rectè intelligatur, commoda quoque, ac negotio conveniens. Rectè Philosophi & Theologi, qui *labilitatem* generaliter ex *facultate* creaturarum *libera*, *lapsum ex* illius *abusu* derivant. Si rectè mentem assequor, substitutis terminorum loco significatibus, hoc dicunt; eo *saltim* sensu *ego* voces istas adhibeo. Ut creatura *possit* contra *Legem* appetere prius cognitam, eandemque unà *cum* consectariis illius & *motivis*, aut omnibus, aut ad flectendam voluntatem sufficientibus, *intellectam*; inde est, quod & dememinisse motivorum illorum, & attendere contrariis, & concedere sua determinatione potest obscuris quoque & confusis bonorum repræsentationibus, adeoque, sine distincta objecti oblati, quoad partes suas, & circumstantias præcipuè morales, consideratione præm

appetere id, quod ea interposita improbaret. Ut *reapse* id objectum appetat, est ex neglecta Legis, minarumque & præmiorum ejus, verbo, motivorum Legi connexorum attentione, & evolutione distincta. Est igitur *ex non-usu* facultatis ingenitæ, qua potuisset meritis causæ, & Legis præcipuè dispositioni attendere, atque eo medio resistere tentationibus. Cum ille usus *in potestate* creaturæ est, & *negligitur* tamen: *libertati* neglectus adscribitur; & quoniam malus est, *abusui* illius.

§. 321. Non ego appellationi quicquam repugno: *admoneo* nonnulla solum *cautelæ* loco. Quando labilitas *libertatis* consequens dicitur: *non* spectatur libertas *in suo reali*, quoad ipsam se determinandi potentiam; potest enim libertas consistere sine labilitate. Spectatur *in* sua *limitatione*, quatenus sese etiam determinare potest argumentis re ipsa non-melioribus. Ex libertate, ut facultas est realis, non consequitur labilitas; Sequeretur alioquin ex ipso realitatis fonte §. 297. 298. Oritur ex facultate, ut finita est §. 315. ut destituta realitatibus §. 311. seqq. Igitur & *lapsus* oritur *ex non-usu* potius *libertatis*, ut facultatis animi *realis*, quam ex abusu positivè concepto. Talem scil. illum dicerem, si quis supponeret, finitum aliquem spiritum inter duo objecta similiter perspecta ambiguum hærere æqualiter, vel quasi, atque tum positivo aliquo actu, non atten-

tentis rei momentis & motivis, in se-
elicito, appetere alterum ex æqualibus,
t planè minus sibi visum inter inæqualia.
quidem *huic* positivo *actus rationem* postu-
it antecedaneam Philosophi haud pauci,
difficile est admittere, quod pro suæ po-
statis plenitudine substantia, quam consi-
ramus, finita illum ex nihilo quasi educe-
, & præsentem sistere valeat. Illud haud
ulo *facilius* videtur, si determinationem
non-melioribus alicui abusui privativè di-
o, hoc est, non-usui libertatis liceat trans-
ibere.

§. 322. Interest, hæc plane dici. Perti-
t inter *usus libertatis*, ut ejusmodi spiritus,
ialem §. 310. effingimus, possit facultates
is aliis aliisque objectis applicare: quod
tur ex neglecta *possibili* & *debita* v. g. atten-
inis ad Legem applicatione oritur, id ex
n usu libertatis oritur, & culpabili quidem.
xi ex neglecta possibili & debita applica-
ine prognasci *non-usum culpabilem*. Equi-
m *non omnis* animi ab Lege, & *distincta*
us consideratione abstractio *est culpabilis*:
possibile id est finitis spiritibus, ut Leges
nnes constanter animo & distinctè præ-
ites habeant; alioquin unica illa officii
editatione occupati, rebus aliis cogno-
ndis, ipsisque illis officiis præstandis, va-
re non possent, quin etiam illis omnibus
tincte semper attendendis non sufficerent.
n est igitur *omnis* ejusmodi neglectus in se

ipso

ipso *culpabilis*: est, *cum* evitari posset & deberet. *Posset* semper; tantum enim ex hypothesi ipsa §. 310. virium in illa spirituali substantia supponimus, ut possit flectere attentionem, quò voluerit. Dico autem, ut possit, non dico, ut actu velit semper: alioquin effectus semper etiam consequeretur. Est sufficiens ratio in facultate spiritus, ut queat flectere, & velle flectere; non est semper efficiens, ut velit & flectat. Id omnes tenentur concedere, qui originem supponunt peccati. *Deberet* verò etiam mentem ad Leges convertere, quoties suo appetitu circa objectum versatur, de quo Lege aliquid dispositum est. Hoc ex fine concludo Legis, quo norma est & agendi regula, & voluntatis motivum à Legis latore objecto conjunctum.

§. 323. *Culpabilis* igitur ille non-usus facultatis ingenitæ erit, qui mentem occupat, cum posset Legis meminisse, & pro instituto præsenti deberet. Atque *hoc primum* est, in quo culpam deprehendo: Ex illo deinceps *alterum* pullulat, quod præter & contra ordinem Lege statutum mens appetat. Videtur mihi non incongruum *simile*, si ad spiritum nostrum respectu duplicis in illo actionis applicem, quod §. 265. de diversis enunciatum est personis. Cum obscure cognita mentem stimulant, futura est appetitus determinatio, ex arbitrio ipsius libertatis; nisi aliud illi obstaculum interveniat, for-

fortius mentem afficiens. Posset illud & deberet mens circumspicere & objicere appetitui. §. 321. Igitur, nisi id faciat, *est rea* non-impeditionis *primo*, *tum* vero *demum* actionis quoque ipsius, quoniam ab ipsa producitur; secus atque in simili memorato. Ita peccatum *omissionis* primum est; ex illo deinceps alterum *commissionis* fluit.

§. 324. Videor mihi hoc loco medium suppeditasse, quo sententiæ *omnes* queant *in unum* coire *Non illi* inter sese *pugnant* districte, *quorum alteri* actionibus positivis causas aut rationes antecedaneas postulant, idemque postulatum extendunt quoque ad volitiones & determinationes libertatis ipsas in prima mali origine; *alteri* solùm hic libertatem advocant, & abusum illius increpant, nulla antecedanea positiva ratione voluntatem ita dirigente. Num *licet dividere* negotium? Et *prioribus* id largiri, *esse rationem*, quare voluntas hanc partem eligat, tentationem scil. ex confusa boni cognitione ortam in appetitu agentis; esse illam *sufficientem* eò, ut intelligatur voluntas illam sequi, si contrariis fortioribus & melioribus argumentis non attendat; *non* esse illam tamen cogentem, aut *necessitantem*, neque exuere mentem facultate sua attendendi, cum voluerit ad Legem, atque eo facto resistendi blandimentis tentationum, *neque* illam *in sese* spectatam voluntatis excitationem *esse malam*, *fieri* talem, ubi neglecta ad bonum

S ma-

majus attentione ignobilius illi anteferatur? *Posterioribus* autem num id licet concedere, *abusum* libertatis *esse*, si mens non animadvertat motivis ab Legislatore sibi propositis; eodemque neglectu prævio consentiat stimulis objectorum, Legi contrariis; *non esse* vero illi abusui necessariam causam & *rationem antecedaneam*, ab ipsis illis objectorum blandimentis distinctam & *peculiarem*: sufficere *non-applicationem* facultatis ad meditandam legem, quæ privatio sit, positivam sui causam non præsupponens, oriunda ex privatione potius, quàm ratione sui aliqua reali; *ita intelligi*, qui fiat, ut appetitus allectamenta prius allegata ad probet & sectetur? ut voluntas sua determinatione partem apprehendat oppositorum illam, quam declinare & posset & deberet? ut adeoque suo peccet arbitrio?

§. 325. Sæpe ita existimani, cum utraque dissentientium pars speciosa loquitur, *ex utroque latere* partem consistere veritatis: neque falli autores in *eo*, quod *asserant*; *potius*, si qui fallantur, falli in *eo*, quod *negent*, & veritatibus suis præter necessitatem existiment adversari. Ita *recte* meo judicio R. P. *Malebranchius*, in mente etiam finita esse tendentiam ad omne bonum generalem; neque in illo vitium esse, quod omne bonum appetat, etiamsi sensuale sit, & minus præstans: vitium in illo demum emergere, si adhæreat minori, cum pergere suo appetitu

:u posset, & ex divino instituto deberet ad
ajora. *Sic* vero *peccatum* est ex non-usu
cultatis divinitus ingenitæ creaturis,
sum in privatione positum. *Recte* autem
al eri assèverant, in appetitu minoris bo-
operosam esse voluntatem. neque solum
c omissionis peccatum inveniri, adesse
erum quoque commissionis? Non opinor,
os hoc intendere, ut ipsum in sese appe-
um boni cujusdam, etsi minoris, pecca-
m vocitent; sed ut tributam illi in colli-
ne cum præstantiori alio prærogativam in
io ponant; adeoque ex illa majoris boni
stpositione vitium transeat in partem illi
rpositam. Ita scilicet *ex non-usu* libertatis
prosequendo bono majori, quem ante
:usavimus cum Malebranchio, *transfundi-*
culpæ contagium *in usum* quoque illius
)sequendo minori applicitum. Atque
:, nisi me omnia fallunt, libertatis *abusus*
& dici potest legitimè. *Habet* ille verò
lem & antecedaneam sui *causam*, quoad
'o positivum quid est, sed nondum in vitio
:itam §. 324. *Non habet*, sed neque requi-
causam sui realem, quoad in privatione
isistit, & vitium ex privativo trahit §. eod.
. 326. Viderint autem hoc loco Lectores
iciti, *an legitime* sequentia obtinuerim
ginem moralis mali ultimam, quoad pos-
litatem suam, latere in metaphysico,
itationibus rerum essentialibus §. 311. 315.
ialitatem ejus mediante demum arbitrio

 crea-

creaturæ sic induci, ut posset etiam & deberet evitari §. 316. 317. adeoque culpa intercedat agentis, & reatus moralis §. 318. partim, quod negligat usum facultatis, quem exercere & poterat & debebat, §. 322. partim quod sese determinet ex motivis non solum superabilibus, sed ex Legis instituto quoque per opposita meliora, sed hac vice neglecta, superandis §. 323. Ita culpam incipere ab omissione & transire in commissionem: Utroque in casu libertatem intercedere §. 196. & 320. Liberum igitur lapsum esse; & agenti ipso deberi §. 318. 323. nulla externa aut interna, ne hypothetica quidem antecedanea influente necessitate adacto. §. 165. 184. 198. 322. *Nolo suffurari* consensum, aut obtegere præcipua causæ vel merita vel demerita: Itaque admonui, ut discursui Lectores attenderent. Nam si enarrata *legitime* obtinuere in Systemate præsenti, *hactenus* illud excusari atque omnino approbari posse confido. Ut scopum liceat attingere securius præter *thetica* hucusque exposita, placet *apologetica* pauca subjungere, explanandæ amplius doctrinæ præsenti accommoda.

§. 327. Circumspicienti mihi, quanam adhuc parte *aut scrupulus* hærere queat, *aut* intercedere *dubium*, succurrerunt aliqua, quæ utiliter removeri posse visum est. Dixi §. 33. *Leibnitianas* præcipue doctrinas in hoc Systemate attendi, inflexas tamen, ut cete-

ceteris docendi generibus ſociari poſſint commode §. 32. Memini id durum non paucis & intolerabile videri, quod inter præcipua Philoſophiæ principia Vir Jlluſtris collocavit; & nos antea ſubinnuimus §. 319. *ſine ſufficienti ratione nihil fieri*. *Neceſſitatem* ex illo principio rebus inferri, adeoque *malum aut* tolli, aut originem ejus ultra creaturas protendi, atque omnino in Auctorem ejus ref.ndi arbitrantur. Si nihil eſt ſine ratione ſufficiente, cur fiat potius quam non fiat: ſequitur id omne, quod fit, *antecedaneam* ſui rationem agnoſcere ſufficientem: Igitur oppoſitum ejus fieri non poſſe: Igitur quicquid fit, fieri *neceſſario*, non libere. Applicate ad rem præſentem. Aut *ſufficiens* ratio adfuit *ad uſum* illum libertatis, in meditanda Lege poſitum; aut non adfuit. *Si fuit*: cur non ſecuta eſt attentio? Imo non fuit ſufficiens, quia non ſecuta eſt animi ad Legem diſtinctius cogitandam applicatio. *Si non fuit*: dic, quæ culpa ſit omittentis id, ad quod præſtandum ſufficiens ratio non adeſt? culpa, inquam, & reatus, quem ſæpe diximus, moralis, non phyſica ſolum mali unius ex altero priore conſecutio: de morali enim malo loquimur, moralibus igitur reſpectibus intenti ſumus.

§. 328. *Hoc* primum eſt, & fortaſſis *præcipuum* videbitur, cui ſolvendo operam accommodare noſtram convenit ex judicio lectorum: Igitur illum quidem laborem non

detrectabimus; etsi pleraque omnia in ai
cedentibus occupata sint. *Duplicem* ar
mento *nervum* inesse arbitror: *alterum*
præsentia rationis sufficientis ad necessitat
actionis: *alterum* ex absentia rationis suff
entis ad excusationem omissionis. Utru
que in sequentibus attendo. *De necessi*
quidem *generaliter* exposui sectione secun
& prolixe satis ostendi, utcunque volui
nunquam sese determinet sine argume
sufficiente, atque inter cetera omnino p
valente, non id tamen inferre necessitat
nequidem hypotheticam Dei veram, §. 1
seq. neque adeo extrudere rebus conting
tiam §. 164. 165. neque libertatem §. 1
fundare determinationem §. 183. sed à
cessitate distinctam §. 185. & libertati a
cum §. 200. Possem igitur brevi hoc loco
sponsione defungi, & *ad specialem ca*
transferre tribus verbis, quod universal
ante adstruximus. Valent enim & in l
negotio, quæ generaliter edicimus §. 1
motiva agendi tanta non esse, ut, illis li
positis, effectus non consequi non pos
etsi certum sit, positis hisce, & nullis in co
trarium aliis accedentibus, secuturum
potius, quam non secuturum. Sed v
specialiter quæsiti §. 327. *specialiter* quoc
respondebimus: eique fini *de ratione suffici*
allegabimus, quæ huc pertinent.

§. 329. Tenebis igitur, si placet, *sequ*
tia; cum dicitur, nihil fieri sine ratione si

ci

cienti, *quæstionem* esse *de eo, quod fit*: & postulari adeo causam & rationem illius facti antecedaneam realem. Id nisi foret, ex nihilo aliquid exsurgeret, absurda Philosophis omnibus origine. Igitur *ut fiat*, quod non fuit, causam intelligis necessariam esse: *ut non fiat*, quod nondum fuit, necessaria non est: ipsum enim id nihil, sibi relictum, nihil est, & manet quoque. Hæc prima *dissimilitudo* est inter factum & non-factum. Facit illa, ut applicare canonem liceat, quoties fit aliquid, & causam ejus peculiarem, saltim sufficientem, exquirere: Non ea propter tamen de non facto licet similem efflagitare, & peculiarem. Ita si *meminerim* absentis *amici*, ratio illius memoriæ sufficiens postulari potest, qua fiat scilicet, ut hoc loco, tempore, modo absentis recorder: *Si non* meminero, *specialem* illius *non-recordationis* rationem reddere neque teneor, neque possum; *generalem* & vagam *hanc* habeo, Finiti, entis non est omnia simul cogitare. occupatur mens alia rerum repræsentatione: Igitur ad illam amici memoriam specialem non magis exporrigitur distincta cognitio, quam ad infinita alia, quæ animo olim obversata sunt, hodieque possent obversari, si vellem, illa in memoriam revocare, neque obversantur tamen.

§. 330. Potest hæc *consideratio* in negotio præsenti *utiliter* adhiberi, *conjuncta* præsertim alteri, quam §. 323. indicavimus. Vi-

ctoriam quidem tentationis in finita illa, quam supponimus, substantia cogitante, derivavimus ex non-applicatione animi ad meditandum interdictum. Admonuimus etiam, illius non-applicationis causam peculiarem quæri non debere §. 319. *Non* id esse *contra principium* rationis sufficientis; argumento simul & exemplo §. 329. intelligitur. Illud *fateor*, *videri* mihi, si *distincta continua* interdicti meditatio supponatur, inde ab lege lata ad momentum tentationis, *potius* in bonam sese partem determinaturam fuisse libertatem, quam in malam: *nego* autem, *illam* antecedaneam *distincta* semper attentionis ad *hanc præcise* legem *omissionem*, fuisse *malam*. *Duplici* id *argumento*, *primum*, quia vitium in omissione non est, nisi adsit occasio factum illud postulans, adeoque in nostro casu attentionem illam requirens. Sed vero in creatura *nondum* moraliter *mala* non requiritur distincta *interdicti* attentio, *donec* objectum sua bonitatis specie mentem vellicet, & pertrahere nitatur. *Deinde* ex consequenti vitiosa non-applicatione culpa in antecedentem ideo non transit, quod forte remota priori & posterior abfuisset. Ut enim, posita continua hujus Legis meditatione antecedanea, adfuisset illa quoque distinctior in tempore tentationis; *non sequitur* tamen, ergo illa, cum nondum opus erat, (adeoque sine vitio) remota; removetur quoque, cum opus erit. Scilicet id *falsum*

est,

est, *si dixeris*, quo posito ponitur aliquid, eo remoto removetur.

§. 331. Loquor hic *recepta* quidem, ut tamen id appareat, *utrumque* hoc dictum *testimonio* quodam illustrabo. Acutissimus, quem sæpe nominavi, *Dorscheus*, ex instituto docet, non omnem omissionem esse peccatum, de voluntate DEI sect. c. III. p. 133. 134. Loquitur ille de homine, & bonis ejus operibus, internis & externis: „Manifestum est, inquiens, *non singulis* momentis *in singulis* objectis exercendæ bonitatis & debitæ erga summum Numen obedientiæ hominem versari posse. *Manet* ergo, cum decenter in uno subjecto & adæquate homo versatur, *semper obligatio*, sed *executio* sine reatu *omitti tum* potest respectu alterius objecti, cujus prosecutio cum hoc objecto (*ob finitas scilicet agentis vires*) incompossibilis est. *Tunc* igitur *omissio* operis boni *peccatum constituit*, quando circa objectum ordinate & debite tractandum nullum occupatur homo, per circumstantias vero loci & temporis, itemque objectum ipsum postulatur ad operandum, sive actualis sive realis fiat exigentia, & omittit actum, sive per simplicem torporem & ἀκηδίαν, sive per persecutionem objecti incompossibilis cum tractatione ejus, ad quod ipsa obligatio provocat, sive alio quocunque modo peccante.„ Hoc primum est, quo ostenditur *non omnem omissionem*, etiam internam, meditationis scilicet *distincta*

alicujus interdicti *specialis*, *ex sese* malam esse *omni* casu; esse solùm, cum occasio illam postulat applicationem & omittitur. *Alterum*, quo negavimus priorem omissionem ex illo culpam trahere, quod, substituta in illius locum attentione, posterior omissio consecuta non esset: Id *instantia docet*, deducta verbis ejusdem *Dorschei* §. 277. exhibitis. *Si* divinæ legi *suasiones accessissent* divinæ specialis, non fuisset secuta contrectatio arboris prohibitæ, non est consecuta tamen *ex illorum absentia* causaliter; neque adeo culpa contrectationis revolvitur in illam absentiam, persese inculpabilem. *Secus deciderem*, si illa per sese in vitio foret absentia. Sin *illa per sese* libera est à vitio, *neque* consequentem vitiosam *ponit*: ex illa culpam mea quidem opinione & calculo non trahit. Redeamus ad principium nostrum.

§. 332. *Ambiguum* mihi est 2. cum dicitur, nihil fieri sine ratione *sufficienti*. Equidem *Auctores Principii* illius, Viri celeberrimi, *pro ea* scopi *parte*, cui principium ipsi adhibuerunt, sine incommodo hic versari potuerunt. Agunt adversus eos, qui effectus comminisci videntur sine causis: illis igitur ingerendum erat, minimùm unicuique effectui tantum causæ præmittendum esse, quantum sufficiat ad effectum illum præstandum. Id enim nisi adfuerit: unde effectus? Et valet eorum sententia principium de *utroque* significatu, sive sufficientem dicas ratio-

nem,

nem, *qua* res *potest* fieri, sive illam, *qua fit* potius, quam non fit: utramque postulant, & facto præsupponunt. Itaque *sufficientem* illam *interpretantur*, ex qua intelligi potest, quare res sit potius, quam non sit, sitque hoc potius modo quam alio. *Hactenus* igitur *nihil* reprehendo: sed vero *converte* propositionem sine cautela vocibus addita; facies locum ambiguitatibus, & erroribus occasionem. *Certum est*, ex principio enarrato: ubi ratio non est sufficiens, ibi neque rem adesse, neque sine ea posse adesse. *Num* id *vice versa* valet: ubi ratio est sufficiens, ibi neque rem abesse, neque ea supposita posse abesse. *Supponitur hac* propositio in objectione §. 327. & nervum illi omnem infert: itaque illam distinctius excutere è re fuerit.

§. 333. Potest *sufficiens* alicujus facti ratio *triplici significatione* dici, quarum duas hic attendere juvat. *Sufficiens* eo, *ut fieri* res aut actio *possit*: sufficiens eo, *ut* fieri *debeat*: sufficiens eo, *ut fiat*. *Primum* eo casu dico, ubi vires adsunt præstando effectui pares, hoc est, tantæ minimum, quantæ ad effectum requiruntur: Ubi igitur potentia & facultas est agendi aliquid, ibi sufficiens hoc sensu ratio est. *Secundum* tum dico, cum argumenti tantum adest, & agenti innotuit, quantum requiritur ad dissuadendum agenti morali, ut justo, sancto, sapienti &c. contrarium actionis. *Tertium* ampliori sensu *demum ibi* agnosco, ubi in circumstantiis agen-

tis.

tis atque actionis omnibus, positivis atque negativis, internis agenti & externis, promoventibus, impedientibus, aut permittentibus, plus argumenti est & hoc, ut actio fiat potius, quam ut non fiat, fiat hoc modo potius, quam alio. In *secundo* difficultas nulla est. Ubi aut argumenti tantum non adest, quantum postulavimus ad dissuadendam sapienti actionem, aut non innotuit agenti sine culpa ignorantiæ in ipso posita: ibi neque omissionis culpa est. In nostro autem casu utrumque supposuimus, & latam esse legem & intellectam cum motivis suis ab agente. Igitur *ad* significatus *ceteros* attendendum est.

§. 334. Si *sufficientem* illam spectes rationem, *qua* posita *fieri* actio *potest*: verum id quidem est, sine illa fieri actionem non posse; non vice versa tamen, posita illa fieri; tantum abest, ut ea posita non possit non fieri, aut necessario fiat. Credo, id unumquemque admittere: non ibi actionem semper consequi, ubi facultas est ad agendum sufficiens. Si sufficientes mihi vires sunt ad ambulandum: an ambulo? ad loquendum: an loquor? si sufficiens ipsi tibi facultatas est ad solvendam objectionem: num ideo solvis? vel etiam, an plane necessario solvis? Non ego cuiquam tribuo ejusmodi sententiam: neque arbitror, *si qui* principium rationis sufficientis *reciproce* usurpant, illos loqui de ratione hoc sensu sufficiente, ut

fieri

fieri actio possit. Potius hanc alteram intuentur, quam ego sufficientem dixi ad hoc, ut fiat actio. Quod si enim *sufficiens* ratio adest ad hoc, *ut* (non solum fieri possit, sed ut) *fiat* actio, atque ut fiat potius, quam non fiat; tum sane certum est, fieri illam, itaque hoc demum sensu reciprocum est axioma memoratum.

§. 335. *Admitto* vero, *si* consideratis *omnibus*, ut ante dixi §. 332. circumstantiis, positivis, negativis, externis, internis, promoventibus, impedientibus & permittentibus, plus argumenti adest, ut fiat actio, quam ut non fiat, admitto, inquam, id *certum* & *determinatum* esse, quod futura sit actio: *Nego* autem, ea propter *necessariam* esse; argumentis quidem §. 184. & 198. expositis. Transeat id vero hac vice, quoniam illud monitum est §. 328. *neque* hic tam de consecutione peccati ex appetitu & blandimentis objecti quæritur, *quam* de non-usu libertatis in revocanda legis memoria. *Hic* vero *diserte* ad quæsita *respondeo. Adfuit* sufficiens ratio, ut potuerit distinctius interdicti meminisse animus; *non adfuit* sufficiens, ut meminerit distinctius. *Adfuit*, inquam, sufficiens eo, ut potuerit ad legem ita vivide attendere, ut interdicti efficacia tentationem fuisset suppressura; *non adfuit* sufficiens eo, ut ita actu attenderit. *Postremum* ipsa postulat hypothesis, dum enim de malo quærimus, & illius origine, supponimus illam,

eoque negamus, creaturam peccato involutam ita vivide ad legem attendisse, ut id motivum efficacius fuerit propositis ad peccatum illecebris. *Primum* ex facultate deducitur, quam creaturæ ingenitam diximus flectendi attentionem, quo placuerit, & suspendendi arbitrium, donec facti circumstantias distincte perpenderit. Atque ut verum fatear, *sufficiens* hoc significatu, *ut* res actu *fiat*, *idem* videtur *ac efficiens*, quo sensu efficiens alioquin opponitur sufficienti & efficaci; quæ ad potentiam referri solent, non ad actum: itaque perinde est, sive sufficientem hoc sensu rationem dixeris, sive efficientem. Atqui efficiens non fuit. Sed vero nihil de vocabulo certare constitui.

§. 336. Potius ad argumentum revertor §. 327. oppositum, eidemque 3. *limitationes* diserte *applico*. „Aut in explicanda mali origine sufficiens ratio supponitur adfuisse ad usum libertatis in meditanda lege collocandum, aut non. Si fuit: cur non secuta est attentio? Imo non fuit: quia non secuta est. Si non fuit: quæ culpa est omittentis id, ad quod præstandum sufficiens ratio non adest? „ Num, præmissis jam distinctionibus, intelligunt Lectores amphiboliam dicti, antequam illam disertius evolvo? *Fuit sufficiens* ratio ad hoc, *ut potuerit* uti facultate sua animus. Si usus non est: non ea propter id sequitur, non potuisse uti. Si potuit *uti*, nec usus est, cum debuit: an culpam

co

eo neglectu contrahit? Arbitror ſane. *Non fuit* ſufficiens eo, *ut* uteretur *actu*: hoc fateor ex §. 335. Igitur extra culpam eſt omittens? Nequaquam vero. *Ille extra* culpam eſt, qui agere vel non poteſt, vel non debet, vel utrumque: eſt ille, cui deeſt ratio, ſufficiens ad hoc, ut agere poſſit, aut debeat, ſaltim Philoſophia judice. *Nequaquam ille*, qui, cum poteſt & debet, non agit tamen: deſtinato id & præfracto plane animo fiat, aut negligentia, aut occupatione mentis diverſa & alteram excludente, hactenus perinde eſt, ut nullum excuſet; etſi alter altero caſus accuſet gravius.

§. 337. Dicam id *in ſimili* ex *Theologia* Sociorum Confeſſionis Auguſtanæ; qui *ex DEO genitus* eſt, *facultatem* divinitus ſibi conceſſam habet *ſufficientem* ad ſuperandas diaboli, mundique & carnis tentationes; *Accidit tamen*, ut aliquando tentationibus ſuccumbat, eoque excidat peccato ſuo è divinæ gratiæ ſtatu. *Supponamus*, fieri id ex non adhibita tentationis tempore ad divinam voluntatem attentione ſatis vivida & diſtincta, qua remota fortior eſt illecebrarum impetus, quam ut illi reſiſtat flexilis creaturæ voluntas. *Supponamus*, argutari aliquem & obvertere nobis cornua; „Aut ſufficiens ratio adfuit ad mentem divinæ legis meditationi applicandam, aut non adfuit. Si adfuit: cur non ſecuta eſt? Imo non adfuit; quia non ſecuta eſt. Si non adfuit? quæ culpa eſt omit-

tens.

tentis id, ad quod sufficiens ipsi ratio non adest; „ Num illi *facile regerimus* : adfuisse sufficientem, ut potuerit; non, ut voluerit: ex *illius* præsentia culpam oriri, ex *hujus* absentia non excusari. Equidem ad hoc, ut factum non sine culpa omittatur, sufficit præstari illud posse & debere. Ad hoc, ut præstetur actu, præter facultatem ipsa illius applicatio accedat necesse est. Quod si igitur ratio sufficiat ad hoc, ut possit applicari facultas: nondum quidem eo ipso neglectus actualis tollitur; tollitur autem ipsius excusabilitas.

§. 338. Scio, multa admoneri posse circa *materiam* exempli, & diversitates casuum haud paucas ostendi *eo* respectu: Sed vero illas non morantur Lectores *Logici*, quibus notum est, instantias ad *formam* dari: examinavi igitur formæ similitudinem, non materiæ. Ut facilior opera sit, accipe, *in quo* consistat? *Si* per divinam inhabitantem gratiam *sufficiens* in renatis *ratio* est *perseverantia* per hoc, quod ea mediante possit divinæ voluntati sese accommodare, & persistere: in nostro quidem subjecto §. 310. sufficiens perseverantiæ ratio erit per hoc, quod mediante ingenita facultate possit divinæ voluntati attendere, eidemque illo argumento obedire & persistere. *Si culpa* manet in relapso, *si neglectus* gratiæ *in vitio* est, etsi DEUS sufficientem *eo usque* gratiam non extenderit, ut actu illam voluntas observantiam præstiterit

ea

mediante: Manebit culpa quoque, & ;lectæ attentionis reatus in nostro subje-, etsi sufficientem eo usque rationem di-itus non acceperit, ut actu illam atten-nem ea mediante præstiterit. Atqui ve-*id omne* est, quod solvendæ objectioni de-ur. Si dubites: excute, si placet §. 336. ue indica, *quid desit*? obiter admoneo: *quæstionem*, si uti potuit, sc. attentione cur ıusus est? responsionem dari planam & di-:am. §. 329. Illos igitur *utrosque* §. *conjunctos* itror expedire dubium, *quatenus* id perti-ad originem mali.

. 339. Dico, *quatenus* id pertinet *ad ori-:m mali.* Est enim aliqua negotio *conne-*quæstio, cui debitam hucusque respon-ıem applicare non licuit. Memini ejus in antecedentibus §. 297. Ut enim legiti-eviceris, peccatum oriri ex non-usu fa-tatis à DEO concessæ, arbitrio igitur & o creaturæ, eatenus sibi & suæ disposi-ni relictæ: nondum caprópter & alterum ıet, *vitii nihil* quicquam in creaturæ con-orem redundare ex *eo* capite, *quo præcise* :m condiderit, & tantam, non vero ma-ibus præditam donis, & præstantioribus ne facultatibus; *aut* in aliis ab initio cir-nstantiis collocatam; *aut* quod in ipso ısi erupturæ appetitionis momento sua-nes, quales ante diximus §. 277. non ad-lerit; *aut* omnino voluntatem efficienti ysica aut hyperphysica operatione alio

non direxerit? *Videri* possunt quæstiones *diversæ*, sed *una* omnibus *responsio* satisfacit, enarranda inferius, cum de argumento permissionis sermo instituitur. Hoc loco *admonere* id *obiter* visum est, ne quis existimet, alteram dubii partem, eandemque operose ingestam ab adversariis providentiæ, intactam nobis persistere; solvi igitur hac theoria partem objectionis unam, liberatura causam primam ab efficientia mali, sic tamen, ut hærere liceat de altera.

§. 340. *Prolixius ista* excussimus, quod momentum trahere visa sunt. *Cetera*, quæ in mentem veniunt hoc loco dubia, *strictim* persequar. Non arbitror, id jure meritoque Lectores morari meos, quod §. 310. *substantiam effinxi*, qualem negotio accommodam judicavi, atque ex attributis eo loco suppositis cetera derivavi; *Prima* hæc facti *excusatio* est: In dissertatione *Philosophica*, cujus ille scopus est, ut intelligatur, quo modo & ordine malum, creaturæ vitio, & sine culpa conditoris optimi, queat mundum ingredi? Entia licet supponere & circumstantias, qualia & quales negotio congruere judicaveris. *Secus* est, *in* tractatione *historica*. In Expositione à subjectis *abstracta* nihil est, quod certas præcise proprietates, vires, circumstantias scriptori imperet: liberas igitur illas ex arbitrio & Systematis necessitate aut convenientia determinat absque vitio & jure suo. *Secus* est *in applicata*.

At-

qui generalem, Philoſophicam & abſtra-m *promiſi* §. 289. non ſpecialem, hiſtori-n, aut applicatam.

§. 341. *Tum vero*, ſubſtantiam §. 310. ſup-itam, arbitror eſſe ejusmodi, ut non le *conveniat cum eo ſpirituum* finitorum *u*, quem in facto ipſo & hiſtorice ſive ponimus, ſive novimus. *Supponimus* in gelis, præcipue lapſis; *novimus* de proto-ſtis: utrisque ante lapſum conſideratis. o, *quid Philoſophi* metaphyſico-mathema-, id eſt, bonæ methodi intelligentes & aces, *præcipiant*, ubi *ex idea* rei in ſeſe *poſ-i* concluſionem intuleris, illam quidem egno eſſentiarum & poſſibilitatum *veram*, ſed vero ad ſubjecta naturæ *applicari non* ſe, *donec* oſtenderis, aut conceſſum ſit, am illam, concluſionis parentem, com-ere ſubjecto eidem, cui applicare con-ionem intenderis. Fecit ejus præcepti moria, ut *ideam* theoriæ meæ *fundamenta-* omnino talem *ſuppoſuerim*, *qualis* facile gelis & hominibus queat applicari, ex nmuni omnium ſententia: ſubſtantias n ſpirituales finitas eſſe *Angelos* & *huma-* *mentem* recte vulgo concipimus; adeo: ominibus diſtincte ſimul cogitandis im-es §. 86. cognitione obſcura & confuſa ditas in quam plurimis, facultate etiam ndi ex motivis, non ſemper revera me-ibus, & ſi per errorem in obſcura æſti-ione tales appareant; poteſtate item flec-

ctendi attentionem, quo lubet; & potentia continendi judicium, & suspendendi decisionem voluntatis usque ad distinctam momentorum agendi cognitionem. *Nihil* hic supponitur, quod *non extra dubium* sit omnibus: Igitur *si ex illis* quidem suppositionibus lapsum derivavero, *alterutrum* duorum necesse est; *aut* agnoscas applicari quoque theoriam ad Angelos posse, & protoplastos homines, *aut* ostendas, intercedere alterutro casu aliquid, quod *sive* priores defectus ita suppleat, *sive* facultates restringat, ut malum ex illis prognasci amplius enarrato ordine non possit.

§. 342. Fortasse *illud desiderari* posse videbitur, quod creaturam nostram cogitantem finitam §. 310. *non* supposuerim positivè *inclinatam ad bona.* Equidem id fieri *hoc loco* non debuit; quoniam de *prima* mali origine, quærentibus ad illius *in homine* ortum specialiter attendere non licuit. *De Angelis* autem Apostatis, quos priores peccasse novimus, & Adamum ipsum seduxisse, *disputant* Theologi saltim *scholastici*, an in sanctitate conditi sint & justi, an innocentes quidem, sed neque justi præcise, neque injusti, neque ad bonum inclinati neque ad malum? Integram scholasticorum, in pura natura conditos esse Angelos, minimum lapsos, asserentium turbam allegat, & refutat noster *Dorschens* de voluntate DEI sect. 1. c. II. p. 83. & seqq. *Meum* id *non est*, inquirere in hanc

hanc causam: Igitur tractationem *generaliter* inflectere & debui & volui, ut *neque* voluntatis ad bonum & malum indifferentia supponeretur, *neque* positiva in alterutram partem inclinatio involveretur. Si cui tamen Lectorum id necessarium videatur, ut theoriam expositam *illi quoque* specialiter *casui* applicem, quo generaliter voluntas ad bonum inclinatur magis, quam ad malum: facile *casus succurrunt*, quibus ejusmodi creaturam labi suo arbitrio posse, modo ante enarrato, intelligatur.

§. 343. Dabo *specimina* rei, sed *sine applicatione* ad Angelos, aut hominem: Neque enim Philosophi est, primum Angelorum statum conjicere divinando, aut hominum conditionem sacris solum literis indicatam examinare. Quod igitur *extra institutum* est, non attingo. Spero tamen, *ubi* distincte *determines*, in quonam præcise posita fuerit illa primi hominis ad bonum inclinatio universalis, facile negotium expediri posse, modis, quos indico, aut similibus. Ita *suppone*, si placet, creaturam generaliter ad bonum inclinari potius quam ad malum: non id impedit tamen, quo minus in aliquo speciali casu, pellecta per cognitionem bonitatis apparentis confusam quidem (id est, in homine sensualem) sed fortem, dememinisse queat officii, adeoque sectari id, quod malum est. *Suppone*, inesse creaturæ habitum concreatum, infusum aut acquisitum,

exigendi actiones suas ad Legem, eoque facto illam in bonis actionibus patrandis, vitandisque malis admodum juvari: infert ille facilitatem sane agendi bona, & omittendi mala; non tamen excludit possibilitatem contrarii, neque efficit, ut in tentatione omni certissime Legem, & præscripta officii attendat. *Suppone* creaturam, quæ neque ipsa sese ad malum suo consilio exci-tet; neque ad bonum & malum media unicuique statim motivo cedat; sed motivis ad bonum omnibus assurgat, ad malum non item: dico, illam neque ad malum inclinatam esse; neque indifferentem & in medio positam; sed ad bonum omnino proclivem & propensam. Poterit illa tamen accedentibus ex objecto aut aliunde tentationibus aliquanto fortioribus ita occupari, ut, neglecta ad Legem attentione solita & solida, à priori rectitudine deflectat. Et quæ sunt *plura ejusmodi*, quibus haud difficulter ostendi potest, suppositionem inclinationis ad bonum majoris non evertere theoriam superius expositam.

§. 344. Atque ista de *origine Moralis* Mali generalia, & *à priori* inferenda, animo hac vice succurrrunt. Superest de *malo physico* brevis commentatio. *Brevis*, quoniam facilis est in generalibus: ad *specialia* non descendimus. Incubuerunt illi curæ viri doctissimi, qui non pauca distinctius exposuerunt, quæ inter mala referri physica solent:

No-

Nostrum id institutum non postulat. Tum vero *præcipua* in vindicanda *moralis* mali *permissione* cura nobis posita est: originem illi præmisimus solum, ob argumenta §. 12. & propter generalem malorum connexionem physica prioribus adjunginius. Admonui §. 243. *alios physica* appellare, quæ *Illustris Leibnitius* metaphysica: Liberum id esto unicuique, nullo meo molimine intercedente, quoniam semel incepimus loqui cum Leibnitio, pergamus eo tramite. Et *physica hoc loco* mala illa dicamus, quæ in calamitatibus posita intelliguntur & perpessionibus, propria entibus intelligentibus accurato sensu, analogico sentientibus quoque §. 252. Cetera nimirum ante excussimus, inter metaphysica §. 292. seqq.

§. 345. Quandoquidem vero *physicum* in calamitate *malum* collocatur & dolore, *sensum* illud interpretati sumus *imperfectionum*, gravem scilicet & *molestum* illi, cui accidit. *Præsupponit* ille imperfectiones, & illarum cognitionem sive distinctam, sive confusam simul involvit. *Oriri* igitur *potest* metaphysico, & morali malo. An *immediate* metaphysico solum malo, quod ante appellavimus §. 243. hoc est, ex ipsis rerum essentialibus limitationibus, nullo antecedente aut connexo malo morali, pullulent physica, calamitates intellige & perpessiones? Id quidem *asseverate* ex *solis* ratiociniis determinare non ausim. Certum est, etiam *natura-*

tia, v. g. sterilitatem frugum, furentes ventos &c. potissimam *suam vim*, id est, rationem pœnalem, exuere ea hypothesi: an ea propter *omnino cessatura* sint, inde non consequitur; *differunt* enim illi *respectus*, consecutionis scilicet naturalis & intentionis divinæ pœnalis, *etsi* in hoc rerum statu sint *conjunctissimi*. Habes hoc loco *prærogativam revelationis*, qua liquido constat, quod *ego* ex ratione *sola* decidere non possum: calamitates nostras omnes esse peccati sequelas & pœnas, *adeo*, *ut* absutura essent, nisi peccato illas provocassent homines.

§. 346. Hoc *primum* est *in hypothesi* absentis mali moralis & præsentis physici: *alterum* ex priori consequens hoc foret. *Non* esse sensum illum, sapienti & rerum intelligenti *adeo*, *gravem* futurum, atque nunc est. Quid ita? Nimirum ille ex *Persii* præcepto, (quem Te DEUS esse jussit, & humana, qua parte locatus es in re, disce!) acquiescit ea parte, quæ divinitus ipsi obtigit, & liberalitatem veneratur potius in acceptis, quam ut naturæ suæ conditioni indignetur ob negata. Igitur saltim molestus illi non est imperfectionis innoxiæ sensus; neque adeo inter calamitates animum affligentes numerabitur. *Secus* est in *altera* hypothesi, ubi calamitates pœnæ rationem induunt: namque eo casu graviores sunt, quo certius & planius animo apparet, obrui se imperfectionibus culpa sua contractis, & sine ea antecedente absuturis,

an-

antegressa ex immedicabilibus. Nimirum & hoc meretur attendi, *physica* mala non solum oriri posse & solere *moralibus*, sed iisdem omnino *cohærere*. Quod si *ante dubitavimus*, an *sine* morali malo physica locum obtinere possint: de eo *nihil dubitamus*, an eo *præsupposito* locum physica habeant, & habere debeant.

§. 347. Non jam in id excurro, quantum *aliis* calamitatum *inferat* hominum *malitia*, præcipue potentum. *Leibnitius* eo digitum intendit, loco, quem exhibui §. 255. In confesso est illud, unicuique obvium. Quis nescit cumulatas quotidie afflictiones & injurias, quando alter alteri lupus est? Hoc solum attendi velim, *non desinere* fœcunditatem malorum *tam velociter*, atque nos quidem æstimare solemus communiter. Patimur *hodieque* mala ex factis antiquorum v. g. Neronis, Domitiani, adversariorum religionis Christianæ, hæreticorum, præfanorum, superstitiosorum, obtrectatorum, Zelo parum consulto præfervidorum, ambitiosorumque & timidorum &c. hominum, ante multa *dudum* secula defunctorum. Vellem ut tam *assueti* essent illi meditationi homines, quam *faciles* se exhiberent agnoscendæ dictorum veritati. Fortasse id *non inutile* foret *huic* scopo, si systema esse hunc mundum frequentius meminissent. Transeat id vero hac vice, inferius inculcandum.

§. 348. *Hoc* præsenti *proprie* loco debetur: *ex morali* malo pullulare & *posse* & *solere physicum* quoque in *eodem* subjecto. *Aliud* quidem ex ipsa naturali rerum & actionum connexione consequitur; *aliud* ex statu Legislatoris ut talis: *utrumque pœna* locum habet, *naturalis*, si ex ipsa rei natura consequitur; *positiva*, si statuto Legislatoris. De *posteriori* dubium non est; pœnæ enim positivæ nisi transgressoribus nullæ statuuntur; igitur originem peccato debent. De *priori* dubitant aliqui, an consequentiæ peccati naturales pœnæ rationem includant? *quod* calamitates ex malo morali naturaliter *sequantur*; *nemo*, quod sciam, *dubitat*. Rationem vero *pœnialem* naturalibus quoque consequentiis inesse, ex ipsa *mei systematis* ratione eruam deinceps, argumento quod *Chr. VVolfius* exhibet in Morali doctrina, sive cogitationibus Rationalibus de hominum actionibus & moribus §. 29. & seqq. Utcunque hactenus res habeat quoad illum respectum: *id certum* est, malum *physicum* nasci *ex morali*, & calamitates *etiam naturaliter* ex peccato consequi.

§. 349. Sunt illæ vero in *duplici* differentia: *aliqua* ex *omni* peccato consequi possunt, & solent: *aliqua certis* peccatorum aut *speciebus*, aut *gradibus*, aut *circumstantiis* pullulant. *Gravissimum* & *universale* hoc est, quod *offensum* peccatori *Deum* reddit. Hæc summa creaturæ imperfectio est: Cui *si* sensus *acces-*

serit,

it, (accedit autem serius aut citius, sed
cedit tamen) intolerabilis ille est præ o-
ni alio. Igitur id primum merito locum
cupat inter mala, peccato genita. *Na-
alem* quippe hanc & solius peccati *sequelam*
e, facile ex comparatione ejus ad divinæ
nitatis, justitiæ, sanctitatisque & Maje-
tis rationes intelligitur. *Sequitur* autem e
jori & *alterum*, molestissima facti pœnitu-
ie & immedicabilibus *conscientiæ morsibus*
mprehensum: Colloco id *inter* mala *phy-
i*, quatenus gravissimum imperfectionis
isum penitissime involvit: & inter *maxi-
i*, quatenus ipsum intime animum afficit,
philosophice est immedicabilis. Vide, si
icet, *Cl. VVolfium* in cogit. Rat. de homi-
m actionibus & moribus §. 109. 111. 113.
4. *obiter* autem & hic admoneo, *non de illo*
e sollicitum esse hoc loco, ut ostendam,
iarere in præsens aut futurum peccatis *omni-
s* eum imperfectionis *sensum*; etsi alioquin
evincere omnino liceat, naturalibus quo-
ie argumentis: *hoc* solum *agitur*, *ut species*
ali physici ex morali oriundas, saltim ali-
ias, & præ aliis memorabiles recenseam.
di, quas nemo dubitat peccato deberi,
si sequelas potius, quam pœnas peccato-
m esse existiment fortassis aliqui: *dabo*,
ias peccati sequelas esse aliqui fortasse non
endeerint.

§. 350. *Plurima* in hanc partem specimi-
allegari posse putem *ab illis*, qui rerum

con-

consecutiones aliquanto profundius intueantur. Nihil ambigo, calamitates *sæpe* post *longa* demum tempora inferri peccatoribus, *naturali* ex antecedentibus factis consecutione, sed *longinqua* adeo & *implicata*, ut illam distinctius advertere aut recolere memoria ipsi amplius non possint. *Expediret* disciplinis *moralibus*, ut consequentias ejusmodi, experientia magistra & duce, retro inquirerent, qui calamitatum humanarum aut testes aut exempla sunt. Sed vero ad obscura non provoco, ubi suppetunt *clariora*. Quis dubitet, *famem* verbi gratia *publicam*, & sterilitatem, ejus matrem populis funestissimam, raro tantam esse, ut affligeret populum nullius antecedentis luxuriæ reum. Saltim *in omni* hominum *memoria* id non occurrit, quod tam longo tempore, tam parce agri & rura fruges tulerint, ut, nisi intemperanter antehac plurima prodegissent homines, aut malitiose perdidissent, publica inde inopia fuisset consecuta. Ægyptiacam non excipio sterilitatem, ex Josephi consilio. Scilicet *hoc est*, mala *physica ex moralibus* consequi, si ipsum illud, quod calamitatis loco est gravissimæ, funestum non fuisset, nisi antecedaneo peccatoris facto tale redditum fuisset.

§. 351. Nolo in hanc partem plura: *sufficit*, opinor, *origini calamitatum* declarandæ, quod sine peccato, aut non adessent plane, aut

aut graves & molestæ animo non essent. Ita enim intelligitur, *mixtim* illa ex metaphysico & morali malo profluere; ex virium finitarum insufficientia partim, partim applicatione illegitima: Ita *verum* est, *generaliter* quod *Christianorum* disciplina *de morte* testatur aculeum mali physici esse peccatum. *Obtusa* illius vis foret in animo intelligentis, nisi culpæ conscientia illum acueret, & latus ictui nudum exponeret. *Utemur* ea *observatione* in sequentibus, cum de usu doctrinæ præsentis sermo habebitur. Hoc loco *finem de origine* facturi, *alteram* instituti partem ingredimur: ac *permissionis rationem* evolvere connitimur.

§. 352. Ubi *permissionem* loquor, ex definitione *solum* respicere videor *morale* malum: atque ea est *plerorumque* consuetudo, ut solum id curent; quo divinam à contagio mali providentiam in permittendo lapsu conspicuam liberent; ostensuri, id *neque* divinam *bonitatem* restringere, *neque sanctitatem* inquinare, si creaturam arbitrii libertate præditam suo relinquat arbitratui, etiamsi in mala ruituro. Equidem & illa *nobilis* atque DEI reverens *meditatio* est, si sanctissimi Numinis puritatem intelligere, tueri & excusare morosis aut profanis cavillatoribus annitaris fine & limitibus legitimis: monui in antecedentibus tamen, *omne* eo facto negotium *non absolvi* §. 14. & seqq. *Præstare* expositionem *ejusmodi*, qua intelligatur non so-

lum,

lum, *quòd* sine culpa malum *possit* permittere, sed etiam *quare velit? Promisi* eam *in* hoc *nostro* systemate prærogativam. §. 17.

§. 353. *Promisi* vero & *aliam.* §. 297. & 339. dixi *eadem* responsione *plures* solvi quæstiones; non *morale* solum; sed in ejus origine *metaphysicum*, & in consectariis *physicum* quoque malum complexas. *Si malum ex* arbitrii & libertatis *abusu* oritur: *cur* illam facultatem aut *largitus* est præscius futurorum DEUS? aut peccato propinquam *non eripuit?* aut salvam illam *suaviter impediit? cur non eo usque* facultates creaturæ *evexit*, ut succumbere tentationibus non possent? *cur eas* creaturæ *circumstantias* non circumdedit, ut aut tentationi exposita non foret, aut earum aliquibus admonita efficaciter eas & infallibiliter superasset? Et quæ sunt *plura* ejusmodi; *curiose* multis quæsita, neque *specificis* semper responsionibus distincte soluta.

§. 354. Memini dictorum *Balii*, quæ *odiose* & *sæpenumero* inculcat; *non excusari* divinam providentiam; *ubi dixeris*; Deum condidisse creaturam cum libertate arbitrii, eamque illi integram voluisse relinquere; ut mereri ex divino instituto præmia & vitam posset; neque adeo impediri ejus determinationem, sed permitti sibi creaturæ arbitrium debuisse. Vis intelligere: *qua urgeat* Vir ingeniose nequam habitus? *Primum* monet, *Deum* potuisse malum *impedire salva* libertate creaturæ: atque id certum ille putat;

, & à Theologis quibusdam concedi an-
ipsi monuimus §. 277. 279, etsi aliter illis
eri debeat, qui eam divinæ permissionis
onem allegant; quod libertatem ante
ıcessam adimere, incongruum & indi-
ım divino Numine fuisset. *Secundo*, ut
ɔediri salva libertate lapsus ex hypothesi
ı potuerit, bonitatem putat flagitare, &
hominem, si momenta rei intelligeret,
ɔrecibus oraturum suis, ut *impediatur* po-
; *cum dispendio* libertatis actio malorum
ge gravissimorum tristis & foecunda ma-
, quam ut conservato sese determinandi
ilegio ipsa se creatura malis immergat
nitis. Explicat id *similibus*, quæ nihil at-
t in re clara prolixius ingerere: etsi *illa* re-
entiam non exuant DEO debitam, qua-
ıaberi *ista* debent, quibus tertiam firma-
exceptionem connititur. Nimirum *ter-*
id male habet oratorem Manichæismi,
ɔd ipsam primitus libertatem Deus con-
ere spiritibus quoque finitis voluit, non
tante futuri abusus præscientia. Postulat
quæstioni responsum, si institerit Pauli-
ıus aliquis requirere: *quare libertatem* cer-
me noxiam creatis Deus *concesserit*, idem-
optimus, & creaturarum bono ut quam
ime intentus? *pugnant* illa *in speciem*, be-
velle homini, & largiri beneficium, quo
eris illum sibi ruinam accersere infallibi-
.

§. 355.

§. 355. *Quorsum ista* vero? & tam *prolixè*? num cognitæ non sunt satis superque hominis argutiæ, ut repeti illas oporteat? Imo vero *concise* illa exhibui, ne applaudere videar: & exhibui tamen, ut responsionibus contendi possint, non *meis* solum, sed *aliis* quoque in ea causa dari solitis. Non enim diffiteor, *quodcunque* systema illis & similibus quæstionibus responsa exhibuerit: id magni penes me fore, & cum applausu acceptum iri. *Hactenus* ita *mihi* visum est: *solvi* dubia, *si ostenderis* aut eviceris, eam, quam Deus sua providentia secutus est, partem esse inter omnes optimam. *Quòd si* ea est universi facies aut conditio, ut in divina rerum æstimatione, hoc est perfectissimo absolute judicio, *melius* fuerit *permittere* malum, quam impedire? melius fuerit hanc rerum universitatem condere, quam aliam aut aliter dispositam: *tum* vero, ex præmissa in sectione superiori de permissione atque impeditione theoria, planum est, *quod* permittere DEUS mali ortum & *potuerit*, & *quare voluerit*? Eo igitur disceptatio redibit nostra, ut ostendatur, optimam id suasisse rerum seriem, ut ageret DEUS, quemadmodum egit, atque ut permitteret, quæ permisit.

§. 356. Hoc illud est, quod *Leibnitius* in eo negotio præcipuum urget. *Malum* in *optimo* mundi Systemate. *idealiter* contentum esse: Deum ob *sapientiæ* rationes infallibiliter optimum agere: igitur *optimum* ex omnibus *mun-*

dum

dum eligere suo decreto, & potentia perficere: igitur *omnes* quoque optimi illius mundi *determinationes* simul admittere: permittere *igitur & malum*, *quoniam*, & *quatenus* optimo cohæreat, aut innexum sit mundo. *Paradoxum* id aliquibus visum est, ubi audiverunt, hunc mundum, etsi malis vitiatum plurimis, esse inter possibiles omnes optimum; malum non posse abesse e mundo optimo; imperfectiones & mala partium pertinere ad perfectionem totius, & quæ sunt plura ejusmodi, partim explicita in antecedentibus, partim explicanda in sequentibus. Ut sententiam lectoribus approbem, & ea mediante divinam Numinis providentiam in aprico simul & tuto collocem, obstructis morosorum hominum adversus divinam permissionem contumeliis: Age, *repetamus ab initio* rem omnem; altius id quidem, quam fortasse aliquibus necessarium videbitur, non sine causa tamen. *Potissima* nimirum *hæc pars* est laboris nostri, *quia* difficilior videtur primo aspectu; *quia* communibus doctrinis adversari visa est nostra responsio, quæ iisdem omnino congruit, & deducitur plane, ut deinceps intelligetur clarius: *quia* & aliis sociari potest docendi generibus, modo id illæ præsupposuerint aut evicerint, nullam DEI in origine mali efficientiam intercedere §. 11. ut adeo præmissa solum ea suppositione, præsentem de permissione theoriam possis ab reliquo systemate, cum

volueris, avellere: & solam Tuis aptare præsuppositis.

§. 357. Igitur *hic* est negotii *cardo*, ut ostendam, *mundum* à *DEO* conditum, in *ipsius* judicio spectatum, infallibiliter *esse optimum*: Ut id admitti possit, *prærequiritur* plures esse possibiles, eosdemque inæquales perfectione; ut plures sint possibiles, necesse est, mundum esse contingentem, non necessarium. Igitur ab illa quidem sententia ducamus dicendi exordium. *Series hæc esto*, tota divinis innixa perfectionibus. Mundus hic est contingens: igitur & alii possibiles. Constat ille rebus & finitis & cohærentibus: igitur in tanta rerum copia exceptionibus est obnoxius. Est contingens: igitur causam sui in seipso non habet; igitur extra se in alio. Novimus illam in DEO esse, ente necessariò existente, sed extra sese agente libere: intelligente simul, & sapiente; atque in omnibus perfectissimo, quia infinito. Ens autem intelligens perfecte, & volens, & sapiens non agit, nisi ob rationes impulsivas; rationes voluntatis impulsivas nullas habet, quam perfectiones; easdemque, cum inter sese inæquales sunt, maximas. Si æquales in diversis & oppositis partibus supponere velis, nihil agit. Egit vero; namque ex non-esse Mundum promovit ad esse. Igitur inter æqualia non elegit. Igitur alter præ altero mundus est perfectior: & ille perfectissimus, quem elegit; perfectissimus eo sen-

su

, quo Deus illum respicit. Deus illum in
to respicit, quoad universum rerum am-
tum obtutu unico comprehensum. Igi-
r in toto perfectissimus hic est. Est in eo
alum quidem in partibus; sed imperfectio
rtium potest consistere cum perfectione
tius in suo genere maxima: Igitur ea ex-
ptio priorem conclusionem non evertit;
in potius ostendit, quod & quare DEUS
malum potuerit & voluerit permittere?
i enim intelligitur, sapientiam id postula-
, ut potius hunc facere, & malum, crea-
rarum vitio oriundum permittere velit,
iam alium isto imperfectiorem ipse Deus
icere? Hæc *Philosophia Leibnitiana* do-
nata sunt, divinis derivata perfectionibus,
em deinde brevius deducam *dogmatis no-
strium*, & *Theologorum* quidem, è quibus
facili & aperta consecutione conficitur,
undum, quem & qualem Deus facit, con-
vat, regit, esse inter omnes possibiles opti-
um. Utar *argumentis* in demonstratione
ntentiæ, *quibus* alii ad maculam Systemati
arendam minus legitime abusi sunt. Tra-
itionem ipsam obsignabo *verbis Theologi*,
æ quasi nata sunt, ad comprehendendam
o obtutu theoriam nostram de permissio-
universam.

§. 358. *Prima* hæc *propositio* est, *mundum
nc esse contingentem. Necessaria* illa *Theoria*
esenti. Namque si necessarius est hic mun-
s, si unicus ille possibilis: quæ electio?

quæ motiva electionis? quæ comparatio inæqualiter perfectorum? quænam est de permissione quæstio; Concideret ædificium systematis præsentis universum, si in seipso rationem existentiæ mundus haberet, ut existere aliter & aliter non posset, absoluta rei impossibilitate. *Quis* est hominum de eo sollicitus, ut *inquirat*, *quare* Deus *permiserit*, *ut* numerus *binarius*, ternarius, quinarius *non* sit *perfecte quadrarius*, cum tamen quaternarius sit talis? ut *quadratum* isoperimetrum non tantum comprehendat spatii, quantum circulus? ut regulare *heptagonum* sit difficilius descriptu quam hexagonum? *Tales Spinozæ* viderentur *quæstiones nostræ* prius enarratæ, & omnibus illis, qui absolutam hujus mundi necessitatem tuentur. Igitur, ut *ne in absurdo* occupari videamur: præmitti expedit de contingentia mundi sententiam, & firmari.

§. 359. Equidem illa *variis* probari *argumentis* solet, quæ ego omnia neque probo, neque improbo, neque adduco. Sunt *viri doctissimi*, quibus id argumentum urgere placuit, posse v. g. partes hujus universi præsentes sine repugnantia alias concipi, sed eo ipso simul antecedentes, consequentesque & coexistentes omnes esse debere alias: eoque mundum omnino alium emergere; possibilem igitur & alium esse mundum; quicquid enim non repugnet, esse possibile. Ostendunt suppositionem *exemplis*: quid in eo repu-

repugnantiæ est, si turbidum hac hora cœlum supposuero, cum in præsens sudum sit? quid in eo, si concipias me hoc momento, quo nunc sedens scribo, meditari potius ambulantem? & sic deinceps. *Non* ego illi argumento *repugnaverim*, præsertim *ubi ab illis* propositum fuerit, qui *ante* vicerint, res non occupare necessario locum & tempus, quibus existunt. Talem nomino *Chr. VVolfium*, Virum longe acutissimum, in institutionibus Metaphysicis. *Ubi* illud *ante* comprobatum *non* fuerit, vereor, ut *Spinozistæ* argumento assurgant? Nimirum *illis frustra* oppositum est *ab aliis*; ex doctrina Spinozæ, quem Hagæ Comitum obiisse novimus, consequi, quod eadem impossibilitate, quabis duo non possint esse quinque, impossibile ab æterno fuerit Spinozam obire Lugduni. Ut enim id *abstracte* à causis suis & circumstantiis consideratum non involvat contradictionem *nobis* observabilem: hærent in eo tamen, qui fato adhærent, an non *aliqua parte* repugnantia exsurgeret, si *totum* ipsi negotium intelligerent?

§. 360. Eadem de causa illud *Leibnitianum transeo*, quo in Spinosistas usus est in Theodicæa sua §. 173. Accipe verba viri: „ nullus credo Spinozista dicere audebit, omnes, quæ fingi possunt, fabulas Romanenses uspiam existere revera, vel extitisse, vel extituras esse. Atqui fabulas, cujusmodi sunt eæ, quas illustris *Scuderia* vulgavit, vel quales

sunt *Aramena* & *Octavia* (Magni *Principis* foetus) possibiles esse, negari nequit. „Nescio ego quidem, *quid Spinozistæ* dixerint? facile intelligo, quid *possint dicere?* *Alterutrum* (ex suo systemate) necessarium esse, *ut* argumenta fabularum illarum *existant*, extiterintve, aut extitura sint; *vel* omnino *repugnantiam* involvant. *Utrum* horum dici debeat, id *se* quidem *determinare* asseveratè *non posse*; neque enim omnes humani animi & rerum externarum recessus aut subordinationes ita ab se intelligi, ut certi esse possint, in nulla parte repugnantiam involvi: accidere id in vehementer compositis, ut contradictio adsit, sed latens, quæ nonnisi ab intelligentibus rerum & perspicacibus queant retegi; Ex eo igitur, quod *nobis* de *parte* innotuit, judicium de *universo* ferri *secure* non posse; *non* igitur *asseverari* posse, quod ejusmodi fabulæ sint possibiles. Atque ut concedatur, illas esse possibiles, *quo* deinde *indicio* constet, *illas neque* olim *extitisse*, *neque* in posterum *extituras*? igitur id argumentum suæ causæ non præjudicare.

§. 361. Fateor ego quidem, eas exceptiones esse ejusmodi, ut *argumento* illi *confidere* nolim contra adversarios pugnaces: sed neque opus est illi insistere. Suppetunt plura in hanc partem: *Nobile* illud *argumentum* est, *Ill. Leibnitio* debitum, & in Theodicæa §. 345. & seqq. exhibitum. Sumitur è *conditione Legum motus* in natura obviarum. Fieri

›mnia in corporibus naturalia (hoc est in
.temate Spinozistico corporea absolute
ınia) ex Legibus motuum constantibus,
:onfesso est Philosophis: *Si leges* ipsæ *con-*
'entes sunt, si oppositæ illis aliæ, alios pro-
ɔturæ effectus, repugnantiam non invol-
ıt; manifestum est, quæ nunc obtingunt,
:a corporum & *phænomena non* esse absolu-
ıecessaria. Non igitur hunc mundum es-
bsolute necessarium. *Nihil* opinor dici
est, *contra consequentiam*: De *minore* audi
bnitium §. 345. Detexi pariter, *Leges motus* „
e in natura vere existunt, & experimentis „
nprobantur, *non* esse quidem *absolute de-*
strabiles geometrice: sed neque id neces-
um esse; neque enim illæ penitus à prin-
.o necessitatis, sed *è principio ordinis* &
fectionis derivantur, sunt enim *effectus*
ionis & *sapientiæ* DEI. Hæ leges *variis* à
modis demonstrari possunt, sed *semper*
uid ponendum est, quod non est pror-
geometrice necessarium. Unde fit, ut
;antes illæ Leges *mirabile* sint *entis* supre-
ntelligentis, ac *liberi argumentum*, adver- „
systema necessitatis absolutæ, brutæque „
ratone aut *Spinoza* invectum. „ Audio,
is, illa magnifice enunciari: *quod* gloria-
ııs *argumentum* est? Id loco citato Vir il-
:is aperuit, ut physicarum & *mechanica-*
rerum *curiosis* queat sufficere: *si qui illis*
iplinis *initiati* non sunt, argumenti ner-
ı attingere non possunt. *Hac ratio* est;

 qua-

quare illo in præsens argumento non utar.

§. 362. Dabo *aliud*, quod miror, non fuisse adhibitum ab aliis. Si legitimum est, necessitatem rerum geometricam evertit funditus. Puto autem, id esse legitimum. Viderint eruditi, num fallar? *Facile* est adeo argumentum, ut mentiatur speciem sophismatis: Evolutum distinctius arbitror consistere. Quicquid est *geometrice necessarium*, id in omnibus suis partibus & circumstantiis est *immutabile*: est enim sui generis unicum, solum id & eo modo est possibile §. 152. *Mundum* hunc in suis partibus & statibus esse *mutabilem*, & mutari, experimur omnibus momentis Igitur omnia contra illius necessitatem momenta testantur. Facilis hæc opera est, si omni ita negotio defungi licet. Et *licet* tamen mea sententia, *ubi sufficienter* argumentum intellexeris. Accipe *idem aliter* enunciatum. *Totum & partes* ejus *omnes* identificantur. Quod igitur de partibus omnibus verum est; id verum est de toto, in prædicationibus *materialibus*, hoc est, ad res in sese ipsas, non ad formalitatem compositionis pertinentibus. Atqui omnes hujus mundi partes & status sunt mutabiles; mutantur enim: Ergo totum est mutabile. Sin malis, *ita idem* habe: Ex *partibus contingentibus totum* confieri *necessarium* non potest. Sunt partes mundi omnes contingentes, quia aliter & aliter possibiles; id domestica

mutatio indicat: Igitur totum non est
:essarium. Atque *iterum*: quicquid est ne-
ărium, id rationem sui in se ipso habet.
53. Nullus mundi status habet rationem
in seipso, sed in antecedaneo: alioquin
la unius ex altero fieret successio, sed u-
& idem persisteret ab æterno in ætern.
n. Mundus autem totus nihil aliud est,
im omnes ejus status collective sumti.
:ur si eorum nullus in seipso rationem ha-
, admittunt illi analysin infinitam. §. 579.
. Metaph. Wolfianæ, adeoque necessa-
non sunt. Igitur nec eorum collectio ra-
nem sui in seipsa habet; igitur mundus
n est necessarius, sed contingens. Nimi-
n *in collectione* omnium statuum mundi *duo*
prehendimus: id quod perdurans est in
itationibus statuum, atque id, quod mu-
ur. *Neutrum* facit hunc mundum esse
:essarium. Id quod perdurans est, & in-
erminatum concipitur, determinatur suc-
sive diversis modis: ergo nullam illud
:erminationem ponit aut postulat absolu-
necessitate. Ergo in seipso non mage
ntinet rationem hujus determinationis,
àm alterius. Igitur *ex illo* nulla *huic præcise*
ndo necessitas infertur. Sed *neque ex mu-
tationibus* statuum *ipsis*, quod contra dicto-
m est, necessitatem exsculpere ex muta-
i & mutato. Igitur *nihil in hoc* mundo est,
od illum præstet absolute necessarium.

 §. 363.

§. 363. Suspicor, id in mentem venire lectoribus: etsi *nullus præcise status* rerum sit absolute necessarius: talem *tamen* esse posse, ipsam statuum *successionem*; adeoque mundum hunc *non obstante singularium* rerum mutatione, tamen esse necessarium absolute. Fortassis *alii* ex antecedentibus *instantiam* dari ad argumentum posse existimabunt. Concessimus enim §. 93. & seqq. *ex partibus non perfectissimis* posse fieri *totum* perfectissimum: quidni ex non-necessariis possit necessarium emergere? saltim *ex partibus* sigillatim *possibilibus*, nullam in sese repugnantiam involventibus concipi totum impossibile & repugnantiam in seipso involvens, absurdum non est, imo neque rarum est. Quare non idem de necessitate valeat, ut, licet *singulas has*, quas experimur, rerum determinationes diversas in mundo obtinere non repugnet, repugnat tamen *in universum alias*, aut *has* ipsas *aliter* sibi succedentes supponere; ut *ordo* saltim & *successio* rerum præsens *necessitatem* involvat absolutam?

§. 364. *Nervus* exceptionum, si quis est, *in ratione successionis* comprehenditur, *& collectionis*, sive *totius* natura *successivi*. In successione *tria* deprehendo *realia*; *primum* illud *subjectum*, cui variationes accedunt; *deinde* statum *antecedentem*, sive limitationes & determinationes priores; *Tum* statum è priori *consequentem*, sive determinationes rei posteriores. *Principium* mutationis in prima consideratione

leratione involvo. Si separatum malis,
imera, si placet, *quatuor* realia, & princi-
o illi locum concede peculiarem. *In toto*,
tali, *duas* solum considerationes admit-
, *alteram* partium, *alteram* collectionis
rum sive coordinationis & subordinatio-
s. Si quid igitur in toto est, quod in par-
ius non comprehenditur, ex ratione col-
tionis, sive coordinationis & subordinatio-
erit. *Investigemus* igitur *distincte*, an *aliquid*
successione aut *toto* obvium sufficiat eò, ut
contingentibus rebus & partibus, succeden-
ius sibi & collectis *confieri* totum queat ab-
ute *necessarium*?

§. 365. *Subjectum ipsum absolutum*, sive id
od perdurans est in rebus, cui variationes
cidunt, non efficit *hunc* mundum necessa-
m. Ubi *hunc* dico, determinatum dico
183. quod pluribus substat variationibus,
leterminatum est. *Ex indeterminato* fonte
n scaturit *necessitas determinati* absoluta.
cam id pressius. Ubi *hunc* mundum di-
o, *omnes* mundi determinationes dico,
§. cit. Jd quod *perdurans* est, aut conci-
ur in hoc mundo, *omnes* illas determina-
nes successive *induit*; igitur ex sese *inde-*
minatum est respectu omnium; igitur in
non continet rationem *determinationis suffi-*
tem, multominus *necessitantem*. Loquor
de subjecto illo absoluto, ut Scholasticus
ueretur de materia prima, omnium cor-
rum subjecto, sed absoluto & indetermi-
nato.

nato. *Licet* id, præcipuè *adversus Spinozam*, qui generale & absolutum aliquod ejusmodi subjectum commentus, solis illud attributis & modis distinxerat. Ut vero & *alios* premerem hoc argumento, inflexi *aliter ab initio*, ubi non omnium rerum, sed *unius* solum *in diversis* statibus consideratæ idem subjectum commune absolutum supponitur. Removimus *primum* à scaturigine necessitatis: *duo sequentia* necessitatem neque continent, neque fundant. Ante ostendimus, statum rerum mundanarum nullum existere necessario: quin *ipsa* status prioris & posterioris *appellatio* negat constantiam, adeoque redarguit necessitatem. Fortassis *in principio* successionis sive mutationis illius est necessitas? Sed vero *aut* principium illud spectatur in sese, *quatenus* commune est pluribus mutationum successionibus, *aut quatenus* statu rerum unamquamque mutationem antecedente, determinatum est. *Priori sensu* indifferens est ad mutationes quascunque; non igitur has vel illas ponit necessario; neque adeo necessitatem determinationis infert; neque necessarium *hunc* mundum facit: nimirum id principium aliis copulatum statibus alios producit; atque *ut indeterminatum* potest copulari aliis & alio ordine succedentibus, id est, aliis, quam præsenti, mundis. *Ut determinatum* supponit aliquem statum rerum, cui accedit: igitur ex illo & cum illo contingentiam trahit atque involvit: non igitur

hoc

hoc sensu necessitatem facit absolutam. Igitur *in successione* rerum *nihil* est, quod existentiam seriei necessariam facit metaphysicè, aut absolute.

§. 366. Neque id in consideratione *totius* comprehenditur. De *partibus* jam dixi §. 362. de *collectione* facilis decisio est ex antecedentibus. Jn toto successivo *aut coexistentia* spectatur partium, *aut successio*. In *successione* nervus non est §. 365. Sed *neque in coexistentia* rerum; namque hæc statum dicit rerum præsentem, aut præteritum, aut futurum, sigillatim spectatum. Atque status in universum nullus est necessarius. §. 362. Igitur in mundo *ut toto* ex partibus coëxistentibus atque succedentibus composito, necessariæ rerum existentiæ ratio *non continetur*: loquor de necessitate, ut hactenus, *metaphysica*; non *physica*, quæ *ex principio* successionum, *ut conjuncto* cum antecedenti statu (in sese contingenti, sed nunc supposito) derivatur. *Instantias* §. 363. allegatas, facile est refellere. Nunquam dixi neque dicam deinceps, aut admittam: Ex partibus non absolute perfectis posse *totum absolute perfectum* emergere. Vide si placet §. 94. in medio. Ex partibus sigillatim non perfectissimis posse totum *in comparatione* cum aliis perfectissimum emergere *eo casu*, ubi absolute perfectum est impossibile: hoc dixi, & dicam. *Nihil* autem hic *in toto* est perfectionis positivæ realis, *quod non* sit *in partibus*: denominatio perfe-

Ctis-

ctissimi afficit totum *ut totum*, idemque cum alio toto ut toto *comparatum*, itaque ad prædicationes *formales* pertinet, non materiales, de quibus §. 362. sermo fuit. Non id igitur ad institutum præsens pertinet exemplum.

§. 367. Videtur *alterum difficilius*. Potest fieri, ut in partibus nulla sit repugnantia interna; emergat in toto. *Dupliciter* ea considerari potest *objectio*. *Aut hoc* intenditur, ut similiter de necessario absolute tali concedam, posse in toto necessitatem esse, cum in partibus nulla sit. Id non obtinebis. Ex combinatione *mentali* & *successiva* diversorum & oppositorum, emergere *in conceptu* repugnantiam, facile est; *fieri totum* in seipso involvens repugnantiam impossibile est. Sed vero ex partibus non-necessariis *componi reapse* necessarium deberet, si mundus hic absolute necessarius foret. *Non* igitur id concedo, ut *inferas*: Ex partibus in sese possibilibus *potest fingi* totum impossibile: igitur ex partibus non necessariis *potest componi* rei ipsa totum absolute necessarium. Hæc prima instantiæ consideratio est. *Aut hoc secundo* loco intenditur: etsi singulæ hujus mundi partes sint aliter & aliter possibiles, fieri tamen posse, ut ex illis determinationibus emergeret totum impossibile, adeoque illæ determinationes variatæ alium mundum possibilem non exhiberent. Equidem id *recte illis* obvertitur, si qui ex eo *solo* & *imme-*

dia-

diate contingentiam hujusmundi eruere conentur, quod *nonnullas* illius partes queant aliter concipere sine repugnantia. Eo digitum ipsi intendimus §. 360. *Nostram* autem id *causam* non ferit. Non ego de quibusdam mundi statibus loquor : sed *de omnibus*. Nullus est absolute necessarius; omnes in sese contingentes: ergo & totum ipsum ex omnibus illis resultans, est in sese contingens.

§. 368. *Prolixior* fui, quam videbatur ab initio : fieri id solet, ubi *ad objectiones* attendere oportet. *Brevius* igitur *in argumento* rem habe. Si qua rerum collectio necessaria est absolute: tum *aut status* aliquis determinatus necessarius est, *aut successio* statuum. *Illud* ad *coëxistentiam* pertinet, *hoc* ad *successionem*. *Si status* aliquis, sequitur, eum persistere uniformiter, non variari: quod enim absolute necessarium est, id aliter esse non potest. *Si successio*, tum illa *aut* sumitur *concrete* cum statibus succedentibus, *aut abstracte*, pro sola illorum consecutione. Si *primum*, necessaria illa non est, nisi status sint necessarii; id fieri non potest, quia illud unicum est sui generis, quod absolute necessarium est §. 154. Si *postremum*, illa, utcunque necessaria esset, mundum non efficeret necessarium; *mundus* enim non *est* successio rerum, sed *res succedentes*. Quid igitur? *Aut status* rerum coëxistentium aliquis *est* necessarius, *aut mundus non* est necessarius. Status rerum in hoc mundo nullus est necessa-

ſarius; non enim uniformis eſt, ſed variabilis. Igitur neque mundus hic eſt neceſſarius abſolute: igitur eſt abſolute loquendo contingens.

§. 169. Id *primum* fuit: cui *alterum* jam innectitur, aut cohæret. Contingens dicitur, quod ſui generis unicum non eſt, quod aliter & aliter conſtitutum ſupponi poteſt ſine repugnantia. Igitur *mundus* aliter *poteſt* & *aliter* conſtitutus *ſupponi.* Non dico, *hic* mundus, quod in ſenſu individuali & compoſito pugnaret: ſed mundus generaliter. Mundus igitur alius atque alius poteſt concipi: Jgitur alii atque alii ſunt poſſibiles. Jgitur *plures mundi* ſunt *posſibiles* abſolute. *Idem* ex §. 362. *ſic* habe: nullus mundi ſtatus eſt abſolute neceſſarius, §. cit. Jgitur omnes poſſunt ſine pugna concipi aliter atque aliter diſpoſiti. Si omnes aliter diſpoſiti concipiuntur, alius quoque mundus concipitur. Jgitur alius ſine pugna mundus poteſt concipi. Jgitur plures uno ſunt poſſibiles. *Non* jam de eo *ſollicitus ſum*, *an* variati illi ſtatus, ordine etiam & *cohæſione mutua* poſſint obtineri, *uti in noſtro* mundo ordine omnia, & conſecutione cauſarum & effectuum fiunt; *Sufficit alium* eſſe poſſibilem: præſentem non eſſe unicum. Cohærent autem illa: ſi contingens eſt; unicus non eſt: Eodem igitur argumento, & præſentis mundi contingentia & plurium poſſibilitas evincitur. Dico *plurium* ſimpliciter, namque ſi *vel unus* præter noſtrum eſt poſſibilis.

s: *plures uno* sunt possibiles. Esse *plures* um *alios* præter hunc possibiles, mox alio lucam ratiocinio. §. 372.

. 370. Nimirum *mundus* dicit rerum co- stentium & succedentium congeriem: *fi- s* igitur consistit *rebus*. Id definitioni de-) corollarium. *Infinitum* est, quod omnes)et absolutas realitates, & simul illas §. ı. *Ubi* igitur *successio* est, *ibi finitudo* est. :que enim res ejusmodi vel illa solum o- ıia simul habet, quæ habere potest. Sed i mundus est, ibi est successio. De no-) id experientia constat, sed generaliter oque ex definitione consequitur. Mun- s igitur *ipse finitus* est quoad *essentiam*: de *ensione* quoad locum, & *protensione* quoad npus, saltim futurum, hic non loquimur; que id nostram afficit causam, utcunque tentiam dixeris. *Si* mundus *ipse* finitus ; multo magis id *de partibus* mundi ve- n est: mundus igitur *finitis* consistit par- us. *An* finite vel *infinite multis*, stricto nificatu? id non magis moror, quam ex- ısionis aut durationis infinitudinem. rtum illud tamen arbitror, esse *illo sensu* inite multas in nostro quidem mundo rtes tam coexistentes, quam sibi succe- ntes, *quo* illud infinite multum dicimus, jus multitudini numerum æqualem assi- are non possumus. *Agnoscunt* id quicun- e microscopica intelligunt & Astronomi- ; qui subtilissimas loci & temporis divisio-

nes attendunt; atque omnia creaturarum plena esse existimant. Sed vero illud hic non persequimur.

§. 371. Potius illud hoc loco attendimus: *Ubi* res sibi mutuo succedant *sine ordine* certo & cohæsione mutua, chaos adesse, nullo sapientiæ vestigio aut specimine distinctum. *Sin* ex adverso *præcedentia rationem* in se contineant succedentium (quomodo id in præsenti mundo fieri, causarum & affectuum successione cognoscimus) tum vero *finitas causas* producere *effectus* quoque *finitos*, viribus causæ suæ non majores: Igitur, si quando effectus *perfectio* pendeat è duplici, aut plane *multiplici* capite; non posse illum ex uno latere præstantiorem obtineri, quin ob causæ finitudinem ex alio tantundem illi decedat. Hanc causam esse, quæ in perfectioribus compositis *exceptiones* obtrudat operi: *frequentiores* illas quidem, ceteris paribus, quo mage composita res est, & à pluribus titulis perfectio ejus æstimari debeat; *majores* etiam, quo vires causæ finitæ producentis minores supponuntur. Ita scilicet *plurimas* eo casu, aut *maximas* intercedere, quo plurium generum perfectiones, subordinatis longo ordine causis, obtineri debeant. Atque hunc casum obtingere, si quis mundus esse debeat opus sapientiæ, id est, si mediorum & finium connexiones, quantum fieri potest, plurimas & perpetuas debeat continere. §. 214. & 221. *Non* quasi *per*

exce-

exceptiones, multoque minus per earundem frequentiam, fieret opus sapientiæ; quæ moderatur potius, temperat, & *imminuit* exceptiones, quam facit aut intrudit: Sed quod in tanta rerum subordinatarum, atque finitarum tamen, multitudine, evitare omnes non liceat, sensu quem diximus. §. 83. & seqq. præcipue 88.

§. 372. Ita fieri *in simplicibus* perfectionibus *exceptiones* debent, *si* rerum quidem finitarum *systema* postulaveris vehementer *compositum*, id est, si rerum mutuo sese determinantium congeriem amplissimam condi supposueris. Fieri exceptiones *diversa* plurimum *ratione* tum quoque possunt, cum vel duæ solum simplices pugnant §. 89. & multo id magis fieri potest, ubi plures. §. 90. *Novus* igitur hoc loco *fons contingentiæ* panditur, in diversis perfectionum *gradibus*, & *exceptionum* possibilium *modis* positis, Acutissimo *Chr. VVolfio*, primum, quod ego sciam, annotatus in Institutionibus metaphysicis §. 172. 175. Namque si plures & diversæ à summa singularum rerum perfectione exceptiones in collisione simplicium fieri possunt: res ipsas aliter atque aliter confieri posse manifestum est. Igitur nullus præcise modus unicus est possibilis: nulla rerum forma est absolute necessaria. Potius *electioni locus* est, *si ab intelligenti* ente pendet, quid futurum sit? & *sapienti* quidem electioni, *si* exceptionum merita & demerita sint inter sese

inaequalia §. 91, obtinere id *nostro* casu, deinde tuebimur: Hic ordine pergimus incepto.

§. 373. Contingens *mundus* est, §. 368. Igitur *rationem suae existentiae in seipso non habet.* Privilegium id est necessitatis. Quicquid aliter & aliter esse potest, id existentiae & determinationis rationem in seipso, id est, in ipsa sui essentia non continet. Nullum igitur contingens eam in seipso habet, hoc est, *nullum* ens *contingens* est ens *à se.* Haeres? attende *argumento.* Si qua res, in sese considerata, potest aequè sic & aliter determinata concipi; si qua essentia sine contradictione potest existens concipi, aut non existens: tum vero ex ipsa illa re non intelligitur, quare sit hoc potius modo, quam alio; neque ex essentia, quare existat? Res igitur illa plenariam suae existentiae rationem in seipsa non continet. *Atque iterum*: quicquid ex essentia consequitur sola, id necessarium est, necessario scilicet fonte deductum. Igitur, si contingens existentia est; si contingens existendi modus: illa ex essentia non consequuntur sola; neque igitur rationem sui in ipsa & sola habent essentia. Mundus igitur, quia contingens est, in seipso rationem sui existere non habet; ex ipsa sui natura & essentia illam non repetit; nequaquam ens à se habendus.

§. 374. Quod si igitur *existentiam* aliquis possibilis mundus habet, ut praesens noster ha-

habet: *habet* illam *ab alio*; habet rationem suæ existentiæ in alio. *Neque* illo *solum* sensu quo possibilitatem & essentias finitorum ab alio deduximus §. 129. *sed ampliori*: namque *illa* saltim necessariæ sunt, & necessario fonte scaturiunt; *existentia* est contingens; *alio* igitur *principio* derivanda. Dixi *principio*, non, *ente*: scilicet eodem ente utrasque derivamus, sed diversimode spectato. *Facilem* opinor *consequentiam* esse; non enim, nisi *inter tria* licet eligere. *Aut* mundus *in se-ipso* rationem habet suæ existentiæ; *aut in alio* habet: *aut nullam* habet. *Postremum* est ἀφιλόσοφον. Quid ita? intelligi nihil potest, ubi ratio nulla est, ex definitione §. 64. non est id vero Philosophicum, asserere, quæ intelligi non possunt, ut: fieri ab nihilo aliquid; præsto esse determinationem quidem, sed determinationis principium nullum esse. *Primum* refellimus §. antecedenti. Igitur *secundum* manet: Comprehendi rationem hujus mundi in alio.

§. 375. DEUM esse illum *mundi parentem* aliunde novimus, *ens* ab hoc *mundo distinctum* extra contingentium seriem collocatum, *à se*, & *necessarium*, *independens* à mundo & *mundi causam*. Equidem *hæc* attributa facilè ex antecedentibus eruuntur: si tamen id institutum foret hoc loco, philosophari de existentia & attributis Dei, *admonerem*, illa *non sufficere* ad DEI appellationem, aut demonstrationem Numinis, quale sub eo vocabu-

lo intelligimus & veneramur. Qui *in causa* DEI graviter & *religiose* procedunt, adeoque *firmissima* adversus profanorum cavillationes argumenta prospiciunt: *illi* ad necessitatem existentiæ, ad distinctionem à mundo, ad dependentiam, mundi ab Ente memorato, præcipue *intellectum addunt* atque *voluntatem*, iisdemque mediantibus *moralia* quoque *attributa* Entis demonstrant ante, quam rem omnem confectam esse arbitrentur, solliciti, ne *festinando* deficiant in præcipuo. *Possunt* illa vero attributa *ex ipsa* hujus *mundi* ab eo Ente *dependentia*, contingentiæ ejusdem collata, *demonstrari*.

§. 376. *Præsupponimus* nos quidem *divinas* in hac commentatione *perfectiones*; quæritur enim, quomodo attributis illis mali permissio consentiat? Ut *illis* tamen *ex occasione* inserviam, *qui ex mundi contingentia* argumentum nosse de intellectu & voluntate specificum gestiunt fortassis, *breviter* illud & indice solum digito ostendam. Illud vulgatum est, *in serie contingentium* utcunque continuata *causam existentiæ* illorum *non* reperiri: utcunque enim respondendo progrediaris, nihil profecisti; eadem Te subinde quæstio insequitur. Igitur *saltum* aliquando facere necessum est, & *ad ens* altius, *à se* & in existendo *necessarium* confugere. Idem tamen *in agendo* saltem extra sese, sive in producendis rebus à sese distinctis, necessarium esse non debet, sed *liberum*. Id *scholastici* innuerunt, asse-

erentes: si in primo Ente libertas non ad-
erit, nullam in ceteris contingentiam esse.
ita intelligitur, *ex vero* dici. Si in Ente
mo & ceterorum origine tantum ratio-
; aut virium non est, ut rebus sic & aliter
dinandis sufficiat; possibilis quoque ejus-
odi ordinatio non est §. 135. Igitur *recipro-*
si plures rerum determinationes sunt pos-
iles: tantum quoque in earum causa viri-
n & rationis est, ut illis præstandis suffici-
Si *sufficiat potentia* & his existentibus &
s sive majoribus sive minoribus, sive æ-
alibus, producendis: consequens est, ra-
nem, cur hoc potius fiat quam aliud, ex
a *potentia sufficientia non* pendere, igitur
ue in essentia causæ ipsa, & per sese specta-
, deprehendi, quod si enim essentiæ re-
gnaret fieri alia, iisdem perficiendis nec
tentia sufficeret. Non igitur ipsa *determi-*
ionis ratio est *ex* causæ *essentia*, vel *potentia*
unum determinata essentialiter: Est igi-
illa determinatio *ex actu* aliquo non essen-
i, & ad unum alligato, sed *tali*, qui è
nibus possibilibus unum præ altero deter-
nat & eligit, hoc est, *aut* fortuito & ca-
l.; *aut* libero. Illud, si nulla antecedens
gnitio adfuerit & determinationis ratio:
, si præcesserit. Habes *actum electionis*:
oes igitur & *facultatem* eligendi. Illam,
i cognitio præcesserit, alteram præ altera
tem suadens, voluntatem vocamus: Ha-
s igitur *voluntatem*, si habueris intellectum.

Intellectum ita Enti primo asserimus: Si inter plura possibilia ens primum eligit: *aut* cum ratione eligit; *aut* sine ea. Non *postremum*, ex §. 374. perinde enim foret, sive nullam contingentibus rationem præsupponeres, sive causam sine ratione agentem effingeres. Igitur *primum* obtinet, & ratio electionis conceditur. Illam *aut* ab essentia repetis, *aut* à facultate aliqua. Non *primum*, ob rei contingentiam, argumento ante exposito. Igitur *secundum*, hoc est à facultate. *Non* à facultate eligendi: namque *rationem* quærimus (non actionis & productionis rerum, sed) *ipsius electionis*, sive determinationis illius à facultate præstitæ. *Igitur* à *facultate* alia & electionem *antecedente*, & *tali*, ut rationem determinationis pro uno magis quam altero exhibeat. *Talis nulla* esse potest, *præter* facultatem cognoscendi possibilia, & eorum differentias dijudicandi. Igitur *intellectum* (ita enim vocari illa facultas solet) necesse est Enti primo, & mundi hujus artifici, attribuere. Sed *qualem* illum? si in antecedentibus evictum esset mundum hunc ex omnibus omnino possibilibus *præcise ut* eorum optimum electum esse, facile infinitudinem intellectus eo argumento liceret evincere. *Non* id vero *sufficit*, ex omnibus unum fuisse electum: *quid* enim? *si* aliquos non cognovit: elegit è ceteris quidem, & si placet optimum illorum. Unde vero intelligitur esse illum ex omnibus optimum, atque ut omni-

omnibus præstantiorem præcise attentum fuisse? Jta scilicet demum arguere liceret, omnes cognosci possibiles, atque intellectum esse perfectissimum. Sed *nostra* quidem instituti ratione *converso ordine*, potius id agitur, ut ex intellectus perfectione, mundum hunc esse optimum eruamus. Jgitur *ita rem habe*. Jntellectum *enti à se* & necessario, voluntatemque asseruimus. *Quicquid* ens necessarium *habet*, id *simpliciter* habet, non limitate, absolute, *non per gradus* solum. Ubicunque *gradus* sunt, ibi *contingentia* est; alter enim æque possibilis est ac alter §. 372. Jgitur in necessario gradus non sunt. Jgitur si intellectum habet ens à seipso & necessarium: habet illum simplicirer, non per gradus & limitate. Habet igitur universalem: habet perfectissimum. De *voluntate* idem dixero: habet illam ex ante dictis; habet igitur perfectissimam ex modo dictis. Non hic locus est, quo *argumenta evolvere* enarrata, & vindicare liceat prolixius, aut ad *cetera* Dei attributa extendere. *Digressionem* illis indulgere visum est, qui bona fortassis mente argumentum postulare queant assertorum paragrapho antecedente. Redeamus *ad priora*, & mundum, DEI opus, consideremus.

§. 377. *Præsupponimus*, inquam, hoc loco, quæ communiter *de divinis* asserere *perfectionibus*, magno inter homines religiosos consensu, consuevimus. Igitur *intelligentem per-*

fecte Deum & *volentem optime*, & ordinantem decreta *libere* simul ac *sapientissime*, & perficientem illa *potentissime*, *dominantem* omnibus, in *bonis* operosissimum, in *malis* purissimum, *tota* mente veneramur: *attributis* quoque *illis* argumenta posthac omnia & *theoremata deducimus* universa. *Intelligentem* dicimus *perfecte*, igitur *omnia* distincte pervidet possibilia, adeoque & *adaequate* illa cognoscit. Qui omnia distincte, is omnia adæquate, qui non omnia distincte, is nullam adæquate partem cognoscit. Nulla igitur est possibilium combinatio, nulla est rerum ordinatio, nulla exceptionum moderatio, quam ille non cognoscat, & quoad momenta, merita sua, aut demerita omnia perfectiones æque ac imperfectiones in partibus & in toto omnes exquisitissime dijudicet. Hic *ille* intellectus est, qui *sufficit postulatis* §. 123. expositis absolute & perfecte omnibus. *Hujus* igitur *est decidere*, & determinare infallibiliter, utra rerum coordinatio sit inter omnes omnino possibiles optima, utra sit perfectissima? *Nihil* hic *difficultatis* est inter eruditos: quicunque intellectum DEO tribuunt, tribuunt infinitum quoque. Sed nisi omnia intime pervideret possibilia, infinitus non foret: Concipi enim major posset: is ipse scilicet, qui omnia cognosceret & omni respectu.

§. 378. Ex intellectu sequitur *sapientia*: è maximo illo hæc maxima quoque: ex infinito

) *infinita.* Sapientiam diximus eſſe ſci-
iam fines ita dirigendi, ut alter ſit medi-
alterius, & eligendi media obtinendis
bus idonea; ſive ſcientiam ſubordinandi
media & fines. §. 212. Sed qui omnia per-
rit, *ille* omnium ad ſe invicem relationes
it & habitudines. *Novit* igitur, quibus
diis qui fines? quibus cauſis qui effectus?
)t? & quantum? & quousque poſſint
ineri? *Novit* igitur omnes mediorum &
um ſubordinationes; cauſarum & effe-
.m mutuo attemperandorum rationes.
vit igitur evitare hiatus; *novit* connectere
nia, quousque id fieri poteſt, per rerum
ntias & virium finitudinem. *Novit* tan-
ı operi ſuo connexiones inferre, & ordi-
& conſecutionis, quantum fieri unquam
eſt. *Novit* igitur, quo præciſe modo fi-
ſuos mediis expediat pauciſſimis, & me-
ſuis fines obtineat ampliſſimos. *Eſt* igi-
ſapientiſſimus. Summam enim hanc ſa-
ntiam eſſe. §. 213. evicimus, atque *hoc*
entiſſimo *problema* propoſitum eſſe §. 214.
nonuimus.

, 379. Sapientiam *voluntas* excipit; ipſa
m *perfectiſſima.* Perfectionem voluntatis
o colloco, ut *tantùm* illa appetat obje-
m, *quantùm* in illo rationis impulſivæ com-
henditur. *Perfectiſſima* igitur eſt, *quæ* nun-
ım ab ea norma aut proportione defle-
. Nimirum *generaliter* perfectionem *in*
ſenſu collocavimus §. 78. *Intellectus perfe-*

Ctio-

ctionem in eo, ut objecta omnia repræsentet talia, qualia sunt: ut adeoque & repræsentatio rei conveniat, & in ea convenientia omnes intellectus operationes, etsi in diversis objectis occupatæ, invicem consentiant, *Sapientiam* in cohærentia mediorum & finium, atque illius coordinationis, etsi in diversis mediis & finibus adhibitæ, consensu & similitudine perpetua collocamus. Similem *voluntate consensum* postulavimus §. 225. Inter *objectum* volitum & *volitionem*, volitionemque *unam* & *alteram*. Ut *perfecta* sit voluntas, *necesse est* consentire objecta & actus, ut *neque* actus circa objectum incongruum versetur *neque* fortior ille aut imbecillior sit, quam pro mensura ejus, ex definitione Leibnitiana §. 224. Supposito eo, obtinetur *altera* quoque *conformitas*, in ente saltim intelligentissimo. Ut enim constans est rerum natura, eademque illi perfectissime cognita: ita si volitionem mensuræ bonitatis in objecto obviæ accommodat, posterior priori volitio circa rem eandem consonat. *Mensuram boni* in objecto præsentem vocamus *rationem* voluntatis impulsivam; Igitur *sine* ratione *impulsiva nunquam* voluntas appetit. *Neque* perfecta *plus aut minus* appetit, quam est in objecto rationis impulsivæ: *alioquin* non consentiret objectum & volitio; igitur perfecta illa voluntas non foret contra hypothesin. *Hoc primum* annotari velim *sine impulsiva* voluntatem, saltim *perfectam*, non appetere; argumentum 1. exhibuimus.

§. 380.

§. 380. *Alterum* hoc est; rationem *impulsivam*, voluntatis saltim perfectæ, *præter perfectionem rei* volitæ *nullam* esse. Quando *rem volitam* dico, ipsam cum omnibus circumstantiis, mediis, finibus &c. rem considero, eo planè modo, quem §. 124. & 125. dudum expressi. *Facile est*, sententiam adstruere. Tantum unaquæque res approbari meretur, quantum in ea bonitatis conspicitur, hoc est, perfectionis. *Si quis* imperfectionem sive defectus objecti velit impulsivas approbationis, *aut* perfectiones velit impulsivas aversationis causas facere: *dissonaret* causa & effectus. *Absurdum* id est adeo, ut vel in imperfecta voluntate, malum nisi specie boni nequeat approbari. *Cesset* autem *fallacia* in voluntate perfecta, quæ perfectum simul intellectum præsupponit. Neque minus id objecti & volitionis *dissidium* foret, *si* perfectio voluntatem non moveret, *aut* imperfectionem averteret. Igitur *utrumque* certum est, & ex voluntatis perfectione consequens: perfectiones esse motiva illius voluntatis adprobativæ; & imperfectiones id non esse: Esse igitur solas perfectiones.

§. 381. *Tertium* è prioribus hoc sequitur. Cum in libertate *contradictionis* quæstio sit inter agere & non agere, & in libertate *contrarietatis* quæstio de diversis agendi modis aut objectis ita quidem, ut *altera* pars sit *melior altera* & perfectior, adeoque in sese optabilior: Tum vero *illam certissime* partem

appro-

apprehendi à voluntate perfectissima, *qui melior* est & perfectior. *Id nisi* fieret, dic *quæ* volitionis & electionis à voluntate factæ cum objecto ipso foret *consensio*. In objecto quidem, A. foret optabilius quam B. in voluntate appeteretur B. neglecto A: *Num* ille *consensus* est? Si, præsupposita etiam rei cognitione liquida & legitima consensus inter volitionem atque volitum non est: *quæ* voluntatis *perfectio* est? Igitur aut prima principia me fallunt: aut *certum* est, voluntatem *perfectissimam* inter *inæqualia* eligere *perfectius*. Idemque ex *sapientiæ* rationibus *dudum* eruimus. §. 220. Consentiunt enim sapientiæ Leges & perfectio voluntatis.

§. 382. Videor mihi nosse: *quid impediat* Viros aliquando eximios, quo minus illi manus dare veritati ausint. *Alterum* hoc est, *metuunt libertati* agentis perfectissimi, si illi integrum non sit eligere inter inæqualia utrumlibet. *In eo* libertatem arbitrantur triumphare & independentiam ab objectis, ut eligere liceat utrumque oppositorum aut diversorum. Dico *oppositorum* pro libertate contradictionis sive exercitii, *diversorum* pro altera specificationis sive contrarietatis. *Præcipue* id verentur, ubi *ex ipsa perfectionis natura*, aut ex consideratione sapientiæ, ut deinceps nos loqui continget, illam determinationis pro meliori parte certitudinem derivari vident. Quid enim hic liberum est, si ex ipsa *objectorum* comparatione sumitur decisio?

cisio? Hoc unum est. *Alterum* in eo vertitur: Videntur sibi, ita *suspicor*, *satis* in objecto *minori appetibilitatis* deprehendere. Namque ut sine impulsiva ratione, vel potius sine respectu bonitatis nunquam appetat voluntas: Est res etiam *minus* bona, bona *tamen*, adeoque *in sese* appetibilis. Quod si igitur voluntas illam attenderit bonitatem, quidni objectum illud appetere possit, etsi minus altero, bonum tamen. Num ille consensus non est, si objectum in sese appetibile & bonum appetat quoque voluntas perfectissima?

§. 383. Interrumperet id ordinem nostrum haud leviter, si *omnia hic* exponi deberent, quæ solvendis istis dubiis adhiberi aut debent aut possunt. Ea ratio est, *quare* istam quidem causam *antea* peroraverim, sectione secunda §. 171------179. Ostendimus *ibi*, *necessitatem*, quam vocant *moralem*, rectius infallibilitatem & certitudinem §. 161. 162. *neque* potentiam excludere faciendi aliud, *neque* rerum oppositarum contingentiam, *neque* cognitionem intellectus, *neque* principium determinationis agenti intrinsecum, *neque* alterius rei in sese spectatæ eligibilitatem: *Neque* adeo, libertatem restringi ipsam; *sed* exercitium ejus suadendo dirigi, ex ipsius facultatis perfectione, ad merita rei propositæ attendentis, vide omnino §. 173. 174. 176. 200. iisdemque adde §. 225. Plane enim *Scholasticis consentio*, illam non minus liberam esse electionem, quæ argumento fit,

quam

quam quæ casu & fortuito fieri concipitur: *summam* autem *in eo libertatem* consistere, si optimum semper intelligas & eligas infallibiliter. Accipe è pluribus aliis unicum *Izquierdi* effatum, adhibitum quoque ab *Interprete* Theodicææ Latino. „ *Izquierdus*, disp. 31. qu. 7. Prop. 2. n. 391. docet, „ in eo ipso stare summam libertatis divinæ „ perfectionem, quod ad optimum mora„ liter necessitatur. „ Puto nervum dicto ex §. 6. antecedentibus accedere, quo *summam voluntatis*, inter plura possibilia præcognita suo ipsius arbitrio eligentis, id est, liberæ, *perfectionem* in consensu volitorum & volitionum consistere ostendimus. Igitur illam quidem exceptionem non moramur amplius: adhibituri diligentiam tamen in enucleandis *omnibus*, si qua nova circa illam partem, neque in antecedentibus occupata, ex nobis requiri contingat.

§. 384. *Alterum recte* eruditi admonent: si minus bonum apprehendere voluntas supponatur, apprehendere bonum tamen, neque adeo sine motivo agere. *Fatemur* id profecto, eaque de causa partem in comparatione minorem, absolutè tamen appetibilem, & absolute eligibilem, & ea ratione possibilem quoque, efficientis licet causæ respectu morali simul attento, ipsi diximus non raro. Vide, si placet §. 138. 176. & passim. *Potest* igitur *minus* bonum A. sive id bonum, & quod nunc minus est, quam aliud

ıd B. poteſt, inquam, illud A. *eligi* à vo-
ıtate *imperfecta*, *ſi* majus B. non cogno-
t, *aut* illi ſaltim non attendat. *Poſſet* illud
eligi à voluntate etiam *perfecta*, *ſi* alterum
melius non daretur. Ut autem in *deli-*
ata minoris A. cum majori B. collatione,
ıd ipſum minus majori antehabeatur, id
ne a voluntate *creata* fieri poteſt, per *com-*
nia de voluntate principia §. 205. multo
ıus à *perfectiſſima*, cujus & cognitio eſt per-
tior, & appetitio accommodatior ad men-
am objecti §. 379. *Diſcernere* igitur *utrum-*
illum *caſum* oportet: *alterum*, quo res in
: ipſis ſolæ ſpectantur, aut attributis cau-
efficientis etiam moralibus, ſed ſolæ
ıtenduntur; *alterum*, quo in compara-
ne plurium excluſiva, ſive in colliſione
ıtua ſpectantur res perfectione inæquales.
mum pertinet ad eligibilitatem objecti, *ſe-*
dum vero ad electionem ipſam voluntatis.
ori reſpectu indeterminatum eſt, utra ea-
n rerum futura ſit; in ſeſe enim omnes
ıt eligibiles: *Poſteriori* accedit ratio de-
minationis, *fundata* in objecto, & *comple-*
ı perfectione facultatis.

ı. 384. Pergo ad *quartum*, quod ego non
nus conſequi ex antecedentibus puto,
ım priora, etſi illud *mage paradoxum* vi-
ıter aliquibus. *Generaliter* illuſtris *Guil. God.*
bnitius & Acutiſſimus *Chr. VVolfius* edixe-
ıt, *cum* ex utraque oppoſitorum parte
ıtiva ſint *æqualia nullam* conſequi volunta-

tis *decisionem*: futuram enim illam sine ratione; neque intelligi eo casu posse, quare hanc potius partem voluntas apprehendat quam alteram? Mireris *similia* & *Michaelem Montanum* lusisse: *lusisse* inquam, quoniam vix quicquam serio agerc istum scepticum comperio; vide ejus Tentamina moralia, *Essais de Michel de Montagne* L. II. c. XIV. p. m. 583. Sed accipe *verba* tamen eo consilio, ut ad *objectionem* Montanus respondeat, quam non dubito Lectorum tantum non omnium animos subire: C' est une plaisante imagination, de concevoir un esprit *balancè justement* entre deux pareilles envies. Car il est indubitable, qu'il *ne prendra* jamais *parti*, d'autant que l'application & le choix porte inegalité de prix: & qui nous logeroit entre la bouteille, & le jambon (vides ingenium hominis seria joco distinguentis) avec égal appetit de boire & de manger, il n' y auroit sans doute remede, que de mourir de soif & de faim. Pour pourvoir *à cet inconvenient*, les *Stoiciens*, quand on leur demande, d'ou vient en notre ame l'election de deux choses indifferentes, (& qui fait, que d'un grand *nombre d' escus* nous en prenions plustost l'un que l' autre, n' y ayant aucune raison, qui nous incline à la preference) respondent, que ce *mouvement* de l'ame est extraordinaire, & *desreglé*, venant en nous d' une impulsion étrangere, accidentale, & fortuite. *Il se pourroit dire*, ce me semble, *plustost*, qu' aucu-

cune chose ne se presente à nous, ou il n'
iit quelque *difference*, pour *legere*, qu'elle
it; & que ou à la veüe, ou à l'attouche-
ent il y a toujours quelque choix, qui
es tente & *attire*, quoi que ce soit *imper-
tiblement*. Equidem ego *ab* effato *gene-
'i* hactenus *abstraho*, multo minus ad rem
'iam & gravem applico simile *Montani* lu-
:rum. Atque hæc eadem causa est, qua-
|alterum *Buridani* sophisma non allegem.
ɔnf. si placet, *Leibnitium*, ejusdemque de-
ionem cum altera Montani consentientem.
ide in Theodic. §. 48. & 307. edit. Gall. vel
49. & 306. edit. Latinæ.

§. 385. *Id assero*, cum ex *utraque* parte *a-
alitas* est, voluntatem *perfectissimam* non
petere alteram *præ* altera. *Nego consensum*
inter volitionem, & objecta, *si æqualibus*
ɔus *inæqualia* decernuntur; si ex æqualibus
erum alteri *præfertur*, & postponitur. Per-
ctum autem consensum obtinere tueor in
luntate perfectissima. *Tantùm* perfecta
luntas appetit objecta, *quantùm* illa me-
atur appeti: Si igitur *æqualia* æqualiter ap-
ti merentur, appetit illa *æqualiter*, neque
erum *præ* altero. Igitur *aut utrumque* ap-
tit; *aut neutrum*: *aut* casus est *fictitius*: *aut*
nnino *impossibilis*. Qui appetit *pro mensu-
boni*; ille cum mensura est æqualis, in neu-
ım *præ* altera partem inclinat. Si *hæreas* in
opositione non expectata, *repete*, si pla-
t, antecedentia. Si æqualia voluntati ob-

jecta proponuntur, *suppone* illam *propendere* in partem alterutram. Sint illa perspicuitatis gratia A. & B. Pone voluntatem *praferre* A. *posthabere* B. Igitur *alterutrum* necesse est: si *omnia* attendat motiva, quæ sunt *in B. neque in A. plura* deprehendat; *sequitur* illam majorem propensionem & *prarogativam* τῷ A. concessam, esse *sine* causa *impulsiva* §. 379. neque adeo consensum persistere inter objectum & voluntatem. Sin *ex adverso* supposueris A. *non* appeti *ultra* mensuram bonitatis suæ, *& praferri* tamen alteri & æquali B. necesse est, in posteriori *non omnia* attendi motiva, & mensuram bonitatis omnem; igitur esse *motivum* aliquod τῷ B. *sine effectu* in voluntate perfectissima, id est, tolli denuo consensum inter objecta & facultatem. *Utcunque* igitur rem *ordines*: consensum interturbare adeoque voluntati perfectissimæ ut tali videberis præjudicare. *Quamdiu* illa animum meum cogitatio occupat, tuebor ego sententiam, quod inter æqualia nullum alteri perfectissima voluntas præferat. Et *qui* aliter *possim* sine contumelia perfectionis, *quamdiu* ita videbitur?

§. 386. Puto, me non difficulter *divinare* hoc loco *sententias* Lectorum posse ab enarrata decisione *alienorum*. Similem illi *metum* testabuntur *de libertate* primo, tum etiam de *dominio* Dei & *independentia*. Credam, illos *serio* rem agere, quoniam id *meis* quoque asseverationibus indulgeri postulo. Ista au-

:em facile est, in mentem dubitantibus
uire. Quænam hæc *libertas* est, si *neque* in
u *perfecte* æqualium *ex seipso* prærogati-
m in objecta voluntas diffundit? si *nun-
m* appetit, *nisi* pro mensura rei! quæ-
n isthæc *independentia* est, si *omnis* ab ob-
to determinatio venit, ut nulla locum
eat, cum in objecto nulla est? quod *do-
ium*, si *rebus* actu & eorum motivis *debetur*?
in *ea* potius *ipsa* in alterutram partem *de-
ndi ratio* est, ut libertatem suam, ut in-
endentiam, ut dominium testetur agens
fectissimum? quin id *sufficit* ad deter-
nationem voluntatis, adesse argumen-
n, quare *unum solum* eligat, non utrum-
e aut neutrum! Merentur ista attentio-
n nostram: videamus, quid proficere ea
te, & quibus illa mediis ad consensum
n prioribus reducere liceat?

. 387. Equidem id *arbitror* facile à quam
rimis *concedi*, *non* id ad libertatem *requiri*,
sine argumento *semper* decidat, quam
tris Kingii sententiam fuisse accepimus,
timantis *nunquam* ab objecto discrimen,
per à libertate & sola venire, atque in
ectum transire; *non* ideo illud appeti, *quia*
um est, *sed ideo* bonum esse, *quia* appe-
r. *Hoc solum* Eruditi postulant, *si quis*
smodi *casus* obtingat aut supponatur, *tum*
libertati privilegium adjudicari debere,
sine argumento ipsius rei in alterutram par-
i *fortiori*, voluntas alteram *praferre* queat

sua unius determinatione liberrima. Scio, *alios* adeo non admittere hoc libertatis sive *privilegium* in *quibusdam* casibus, sive *requisitum* in *omnibus*, ut in *nulla* libertate locum illi concedant, argumento eorum, quæ §. 384. admonui ab initio. *Mihi* id *unum hic* disquiritur, *an* id sive libertati in genere, sive perfectissimæ speciatim, *necessario attribui* debeat, ut inter *æqualia ut talia* alterum alteri sua determinatione præferat? vel distinctius: an *salva non* consistat entis libertas; *nisi* & hunc illi casum *adeo* subjicias, ut inter *æqualia* perfecte talia discrimen *ex seipso* transfundat? *Monui* isthæc *ante* responsionem, ut viderent Lectores, *quorsum* & *ego* respiciam, & *quorsum ipsi* debeant oculos intendere? *Non* ego *illis* nimium imputo, aut *absurda* tribuo, qualia ipsi Kingiana esse arbitrantur: sed *neque mihi plura*, quam dixero, obtrudi velim. *Hoc quæritur*: an libertas agentis, præcipuè *perfectissimi*, salva *non* persistat, *nisi* admittatur, illud inter *æqualia* quoque alterum *præferre* alteri.

§. 388. *Primo* id extra dubium est, libertatem in *ceteris* casibus non periclitari eo ipso, si quis etiam concesserit, in *casu* perfecte *æqualium nullam* esse. *Non sequitur*: in *casu perfecte æqualium* nulla obtinet electio, & nullum libertatis *exercitium*, electione alterius *præ* altero demonstratum: igitur neque in *aliis* casibus vel *facultas* adest, eligendi unum aut alterum ex pluribus, vel *exercitium* il-

us interno & domestico fonte progna-
m. Ut igitur nihil ad hunc casum respon-
ri posset, *non* ille libertatem *tolleret* agentis
eraliter : Tolleret *in uno* solum casu, si
leret. Dico, si tolleret. Nam *secundo*, et-
n ipso illo casu *neque* facultate agendi, &
lendi, exuit subjectum, *neque* exercitium
ultatis omne sufflaminat. Pone *duo æqua-*
, quorum alterum *excludat* alterum : di-
, *neutrum* eorum præ altero electum iri.
utrumque combinari queat, sine absurdo
decunque emergente, & pro utroque ar-
menta sint: dico *utrumque* approbatum
Priori casu exercitium est libertatis in
pensione, *posteriori* est in appetitione: *u-*
mque tamen ex argumentis. Id in liberta-
contrarietatis obtinet: quid in libertate
tradictionis? si enim æqualia pro actione
contra illam argumenta sint: neque u-
mque potest fieri, neque negligi utrum-
:. Hic *tertio* velim memineris, casum il-
n in hac Philosophia *impossibilem* statui,
tium saltim, & qui nunquam obtingat.
igitur ex eo consequatur libertatem in
hypothesi salvam non esse; ut id grande
urdum sit: nihil utrumque miror, aut
iror. Postulo id ex Logicis, ut *ex ab-*
do absurdum sequatur: *Miror* non raro
ines, ubi ex hypothesi impossibili, colla-
um adversarii sui sententia, absurdum se-
itur, id sententiæ statim imputare & vi-
vertere; cum tamen ex hypothesi im-

possibili, collata veritati, absurdum *Logice* consequatur, non verum; *nisi forte* ipsa illa veritas cum hypothesi impossibili conjuncta, alias quidem vera, sed in illa ipsa hypothesi sit impossibilis, aut altera alteram impossibilitas corrigat. Est hæc *observatio* vulgaris, sed *neglecta*, & sæpe tamen *utilis*. Ita putem intelligi, quod neque ipsum *unquam* libertatis exercitium sufflaminetur ea, quam hic examinamus, sententia; *multo minus* ipsa in agente facultas tollatur, & in casibus quidem omnibus.

§. 389. Fortasse is animo *scrupulus* hæret. *Non posse* tamen id agens exercere *libertatem* suam eligendo unum ex duobus, *etiamsi* id maxime *vellet*. Itaque restringi facultatem, ut non possit eligere, quod velit: non igitur esse liberam. Sed vero *hic casus* est, quem attendendum esse *modo* admonuimus. *Absurdum* est *antecedens*, ubi supponitur, inter æqualia velle agens eligere unum *præ* altero: non igitur id mirum est, *sequi absurdum* è priori alterum, non posse eligere ens perfectissimum id, quod velit tamen eligere. *Non* jam de illo *dicam*, quod *velle eligere*, determinate scilicet hoc, vel illud, *idem* sit *quod eligere*: id omnibus patet, qui sensum dicti intuentur, neque in symbolica vocum cognitione sola acquiescunt. Illud solum admoneo, *supponi* hic in conditione *id*, *quod* ipsi huic *thesi* est *oppositum* contradictorie; agens velle unum ex æqualibus præ altero.

Ut

id planum fiat, *distinguo*: *Aut* intelligis
um è duobus *determinate*, ut v. g. A. non
vel unum è duobus *indeterminate*, ut A.
l B. Si *primum* placet: assumis eo ipso vo-
ıtatem determinare sese inter æqualia in
lendo: Id in hypothesi paragraphi 386.
urdum est: igitur ex absurdo absurdum
ıui, quid miramur? *Tum* vero *principium*
argumento *petis*, quo id *supponis* factum,
od *evincendum* est, fieri posse; scil. perfectis-
ıam voluntatem inter æqualia *velle* unum
altero. Si *secundum* eligas, ens perfe-
ſſimum velle *unum* solum *indeterminate*, &
n *non posse* sese *determinare* pro alterutra
rte æqualium ex nostra sententia, adeoque
erum in eligendo non esse: *dupliciter* id
nuo potest intelligi, *aut* supponis velle u-
m *antecedenter* ad cognitionem æqualita-
, *aut consequenter* ad illam. *Si hoc*: eadem
ppositioni absurditas involvitur, quæ an-
ı. Supponis enim, perfectissimam volun-
tem, etsi agens sciat & attendat, utrum-
ıe esse æquale, statuere tamen, quod velit
petere alterum, & alterum non appetere.
itur jam involvis contradictorium these-
, quod inter æqualia inæqualis obtineat
cisio. *Sin alterum* eligas, ens perfectissi-
um è duobus æqualibus velle unum solum,
determinate, & antecedenter ad æquali-
tis considerationem: voluntatem illam,
'e velle illud, *aut inclinans* statuis, *aut de-
nens* §. 226. Si *decernens* plane, pecca seo.

quod perfectissimum supponas decernere non consideratis omnibus circumstantiis; si *inclinans* solum; *tum* id *primo* non est absurdum, neque inimicum libertati, intercedere in considerationibus posterioribus argumenta, quæ efficiant, ut actu illa decernere & eligere non liceat, in quæ voluntas ante illam considerationem in signo rationis inclinata concipitur: *Secundo*, voluntas inclinans ut talis non potest concipi ad unum è duobus restricta, est illa universalis, omnia suo complexu bona comprehendens; non igitur è pluribus unum appetit, sive determinate unum, sive indeterminate solum supposueris.

§. 390. Ita vero *vides*, utcunque rem, & quocunque Te convertas, *nihil eo argumento* profici. Si difficilior hæc evolutio fuit: accipe responsionem *brevem* & facilem, & ante dictis innixam. *Urges*, facultatem voluntatis liberam *restringi* ex sententia §. 386. quid ita? *Non potest* agens inter duo æqualia *eligere, etiamsi vellet.* Non potest igitur eligere, quicquid vult. *Respondeo*, si velle potest unum præ altero, potest etiam eligere: Namque hæc sunt hucusque Synonyma. Igitur *hactenus* potest eligere, quicquid velle potest, consequenter & quicquid vult. Si eligere inter duo æqualia alterum *præ* altero non potest, *quia* nullum *magis* vult, aut velle potest, quam alterum: *non eapropter* concedimus, quod eligere illa non possit, quæ vult.

vult, *Verbo*: quicquid vult, eligit. Inter æqualia neutrum vult *præ* altero: igitur neutrum *præ* altero eligit. Inter æqualia *neutrum* velle *potest pro* altero: igitur neutrum *præ* altero eligere.

§. 391. Expedivimus pedem *uno* laqueo: fortassis in *alterum* incauti recidimus. Sentio extendi tractationem: itaque in ceteris ero *brevior*. Non *potest* velle alterum *præ* altero? *quæ* igitur *libertas* est ad unum *præ* altero eligendum aut volendum? quin *ipsam* hic volendi & sese determinandi *facultatem tolli*, aperte pronunciabimus! Ita *excipiat* aliquis non sine specie. Sed accipe nunc *responsa* quoque. Quæ libertas est, *inquis*, in Ente perfectissimo ad volendum unum *præ* altero inter perfecte *æqualia*? quæ facultas eligendi? alterum *præ* altero? Velim, ut ad *formalia* attendas; quæritur de facultate eligendi 1. inter perfecte *æqualia*, 2. eligendi unum *præ* altero, idest, præferendi & postponendi in volitione alterum alteri, 3. de voluntate perfectissima, perfectissimum cum objecto consensum servante. Præmissis illis & conjunctis, respondeo: *Nullam* esse; ita ex definitione consequitur. Igitur *libertatem* entis perfectissimi aut *tollo* plane, *aut* illegitime *restringo*? *Neutrum!* Sed *indico*, *quænam* sint libertatis *objecta*? quæ non sint? *Nego*, illud *esse* libertatis in voluntate perfecta *objectum competens*, ex æqualibus *præferre* unum alteri, eligeret enim aut vellet sine causa impulsiva.

§. 379.

§. 379. *Num* ille *facultatem* aut *tollit*, aut restringit: *qui docet*, hoc vel illud non esse objectum ejus competens. An ille *potentiam* restringit, qui negat eam ad impossibilia exporrigi, & contradictoria? An ille *appetitum*, qui negat, eum ad mala quoque appetenda extendi? An ille *amorem* entis perfectissimi, qui negat eum approbare malum posse: Similiter an ille *facultatem eligendi* unum *præ* altero, *perfectissimam* illam quidem, atque adeo *objectis consentientissimam*, qui negat eam obtinere in casibus, quibus objectum unum *præ* altero *eligibile non est*? *Libertatis est*, præferre alteram alteri partem; *perfectissimæ voluntatis* est, consentire objectis, & eorum meritis; *Libertatis* igitur in *perfectissima* voluntate obviæ non est, objectis æqualibus præferre alteri alterum. *Tuemur* igitur *hanc* causam, *uti ceteras* de potentia, appetitu &c. *alii* tuentur: non est hoc libertatis, saltim perfectissimæ, objectum conveniens, ut ex *æqualibus* unum *præ* alio eligat. *Id* illam posse negavimus; *Aliud nihil* negavimus. Cautissime etiam locuti sumus, & *de terminis* lectorem admonuimus, ne *nostra culpa* sit, si quis eam pervertere sententiam instituat, aut ultra mentem nostram extendere. Cetera velim *repetas*, quæ ante diximus, 1. Casus illos non obtingere, neque 2. in illis, si quos eorum placeat supponere, omnem libertatis usum exulare; neque 2. si in illis restringeretur facultas, ceteris illud casibus præjudicare. §. 388.

§. 39[illegible]

§. 392. Spero ista, in liquido collocata esse attendentibus. Igitur *cetera* §. 386. enarrata *excutiam*. De *independentia* revoco in memoriam dicta §. 173. *Non* ideo voluntas *ab objecto* dependet, quoniam decisiones, sua ipsius perfectione duce, & cognitione luce, accommodat objectorum differentiis. Non *ille* minus *seipsum* determinat, qui argumento eligit, quam qui casu; imo vero, cujus voluntas argumento agit persuasa, illa *internum* suæ actionis principium habet, cognitionem argumenti, & decisionem argumento conformiter aptatam. Non id independentiæ adversatur divinæ, DEUM *cognoscere* res, *uti sunt*, interna sui perfectione duce: *multo* igitur *minus* id independentiæ adversabitur, si eligit & vult, prout objecta merentur eligi. Dixi, *multo minus*, namque in intellectu nihil intercedit libertatis: in voluntate, ut ostendimus, intercedit; quando objectum ejus adest conveniens, & quousque illud adest. *Non* igitur *ab objectis* decisio *pendet*, quoniam *tota* ejus ratio in objectis non continetur, continetur simul in perfectione voluntatis. *Penderet* autem, *si* unicum solum possibile foret, idemque ab externo voluntati obtrusum. *Neutrum* ego asserui.

§. 393. Similiter de *Dominio* dicam. *Dominatur* rebus, qui eas ordinat, prout vult; Dominatur autem *rationabiliter*, si rationabiliter vult, & ordinat. Actio non debetur

rebus

rebus *solis*, & in sese consideratis: debetur *perfectioni* divinæ, cum his vel illis, sic aut aliter affectis rebus *collata*. Diximus id §. 266. coll. 173. *Unicum superest* è §. 386. Visum est aliquando nonnullis, ipsam illam decisionis *rationem* allegare; *quare* DEUS in perfecte æquipollentibus alterum velit *præ* altero, *ut* scilicet *ostenderet* dominium suum & *libertatem*, & facultatem sese determinandi sine causa. An id mea sententia congruum sit divino Numini, appetere sine motivis, id antea exposui §. 379. *Hic illud* solum moneri convenit. *Non esse* hanc rationem eò *sufficientem*, ut voluntas perfectissima eligat *determinate* alterutrum. Quid enim obtinet illa, si τὸ A. præferat τῷ B. quod non ipsum quoque obtinuisset, si versa vice τὸ B. prætulisset τῷ A. *Quod si* igitur necessaria est agenti perfectissimo *aliqua* pro determinatione ratio: *non est allegata* sufficiens; non est enim *ratio pro determinatione* inter A. & B. Manifestum id est, quoniam *utroque* casu *idem* scopus obtineretur: ex illo igitur scopo non deducitur decisio determinata. Foret igitur *determinatio ipsa* sine causa impulsiva §. 379. deforet igitur perfectissimus rei & volitionis consensus. §. 225. 379.

§. 394. *Prolixe* ista quidem, sed fortasse *non sine usu* factum. Innitemur enim illi pronuntiato in sequentibus, *quousque* scilicet Leibnitianam ratiocinationum seriem attendimus. *Habemus* ex §. 385. voluntatem perfectissi-

rectissimam inter æqualia neutrum alteri præferre, ex §. 381, inter inæqualia constanter optimum præferre minus perfecto: *Inde* consequens est, quotiescunque agat, agere perfectissimum. *Aut* enim unum aliquod è pluribus est perfectissimum, *aut* plura non pugnantia invicem æqualia supponuntur, *aut* plura invicem pugnantia. Si *postremum*, nihil agit ex §. 388. Si *secundum* supposueris, utrumque facit, ex §. eodem. Si *primum*, facit perfectissimum ex §. 381. Si enim imperfectius aliud faceret neglecto perfectioni, interverteret consensionem objecti & volitionis, adeoque perfectissima non foret voluntas contra hypothesin. Quod si igitur perfectissimam DEUS voluntatem habet; & quis hoc negat? & mundus ab eo productus, adeoque antecedenter electus est è pluribus: Sequitur *perfectiorem illo* alterum *non dari.* Sequitur, inquam, sed *non immediate*: quid si enim *&* *alium* produxerit perfectiorem, *&* *hunc* quoque minus perfectum? Non *eapropter* dici posset, quod imperfectiorem prætulerit meliori; & nesciremus *eo casu*, an noster ille sit, qui perfectior est divino judicio? an alter? Neque igitur fundamenta permissionis, Leibnitio allegata, & deinceps repetenda, consisterent firmissime.

§. 395. Ut illi *exceptioni responsionem*, & syllogismis nostris fulcra circumspiciam, attendere juvat sequentibus cautelis. *Altern-*

trum

trum è duobus necesse est ostendere, *aut unum solum* mundum existere, non duos: ita enim omnino liquet, unum esse prælatum omnibus; adeoque illum ex antecedentibus, esse perfectissimum præ omnibus: *Aut*, si plures sint, *inæquales* saltem eosdem *non esse*, adeoque alterum altero imperfectiorem non existere. *Prima* agendi *via* est Acutissimo *Chr. VVolfio* calcata in Metaphysicis Institutionibus, & *Illustri Leibnitio*; Sed diversis utrique argumentis. *Distinctius* eam partem *Chr. VVolfius* evolvit in Metaph. §. 948. 949. atque ex generali rationis sufficientis principio arguit, *non posse duos simul* mundos existere *similes* sibi, *neque* duos simul *dissimiles*: *non posse*, inquam, ex principio *rationis sufficientis*, non vero ex principio *contradictionis*; obstante scilicet *sapientia* agentis, quæ sine argumento nihil facit, non deficiente ejus *potentia*. Nimirum si eodem tempore duo simul mundi A. & B. existerent: existerent in diversis spatiis. Suppone, converti situm, & collocari A. ex ea parte, qua B. fuerat, & vicissim. Nihil ea re immutabitur in mundo alterutro. Nulla igitur ratio est, quare A. hoc potius spatium occupet, quam alterum, & viceversa. Cujus ratio nulla est, id fieri, saltim à sapiente, non admittitur ex principio, quod diximus, generali. Igitur duos simul mundos ab eo fieri, aut factos esse non conceditur. Habes *sententiam* Viri celeberrimi *cum argumento* rei.

§. 396. *Leibnitius* brevissime negotio de-
nctus est, atque *ipsi* statim *definitioni* intulit
ıæ existimavit esse necessaria. Verba ex
8. Theodicææ excerpsimus atque exhi-
iimus sectione secunda §. 53. *Hæreo* ego in
a ratione, quoniam *Vir Illustris* ad mun-
ım *alioquin* postulat, ut *ubique* sibi *omnia*
ohæreant *temporum* & *locorum* respectu. Id
ero in collectione rerum, per definitionem
odo memoratam indicata, non est adeo
cile, ut sine omni argumento postulari
ıeat. *Quid si* adversarius difficilior duos
ıt plures, quos supponit mundos, *tales* ef-
ıgat in hypothesi sua, *ut neque* cohæreant
ctu, *neque* salvis omnibus suis perfectioni-
ıs cohærere possint; *ut* illi *tamen* æqualiter
ıt perfecti, *&* præ ceteris omnibus perfe-
issimi. *Non licet* illos *amplius* compingere
unum, sensu *Leibnitiano* mundum, id est,
ferre ad universitatem rerum *ubique conne-
ım.* Igitur *eo casu* ostendendum est in hy-
othesi *absurdum* comprehendi, aut ex illa
onsequi. *Suspicor* ejus rei *argumentum* late-
in antecedentibus verbis *quod* fateor, *me*
ım ista scribo, *non assequi.* Ita Vir judicio-
simus: „Sicut in *mathematicis*, ubi neque
aximum, neque minimum, nihil denique
stinctum adest, *omnia* fiunt æqualiter, *aut*,
id non possit, *nihil* omnino fit: pariter de
rfecta *sapientia*, quæ non minus quam ma-
ematicæ disciplinæ *certa* est, dici potest,
ıod *nisi* inter possibiles mundos *unus* esset

optimus, *DEUS nullum* produxisset. Mundum vero voco, & quæ sequuntur, §. 53. p. 23. exhibita in antecedentibus.

§. 397. *Nescio* ego vero, *quem* Vir Maximus *casum* è *Mathematicis* innuat, quo attento per *similitudinem* liceat *concludere*, ut ipse facit, *determinate*, nisi *unus* mundus esset inter possibiles optimus, *nullum* produci à sapientissimo. Hoc intelligo, ubi *nihil* distinctum est, ibi aut *omnia* fieri æqualiter, *aut nihil*; ex æqualibus *unum non* fieri *præ* altero ab sapientibus: sed vero ubi unum aliquod maximum non est, aut minimum, ibi nihilominus *potest distinctum* aliquid esse; quin *plura* simul *maxima*, eademque *æqualia* esse posse exemplis constat mathematicis, semiordinatis, verbi gratia Circuli & Ellipseos & abscissis earundem Curvarum à centro computatis &c. ex utroque enim latere maximum est, & utrinque æquale. Scio mundum *nostrum* non posse concipi ut figuras amphidextras Leibnitio dictas §. 49. Theod. quodsi autem præterea addideris, non posse duos mundos, eosdemque aut similes, sed non conjunctos, aut dissimiles quidem, sed perfectione totali æquales à sapiente & sapienter produci, eam assertionem arbitror mereri argumentum aliquod, si admissam velis ab alio, & consequentibus substructum ratiociniis. Postulant id mecum *alii* quoque *præstantes viri*, quibus id *absonum non* videtur,

sup-

ponii plures DEO possibiles mundos æ-
ali perfectione prædiros.
§. 398. *Meam* secunda sectione *sententiam*
ci §. 219. & *maximum* in hac mundi & per-
tionis in illo possibilis consideratione *ali-*
d locum habere asserui. Id *argumento* nunc
truere aggrediar: *unum* autem illud sit,
multiplex, id quidem *VVolfianis* decidi pos-
argumentis arbitror; *abstraham* tamen,
ousque licet, ab illa determinatione, tra-
tionem ita inflexurus sequentem, ut per-
ssionis *ratio eadem* subsistat, *sive* unum ex-
inibus perfectissimum statuas, *sive* plures
fectissimos, simul possibiles. Scilicet hoc
rum est, quod optioni Lectorum expo-
§. 395. esse *plures* quidem, si ita placeat,
iul possibiles, *non inæquales* tamen; Ni-
rum *imperfectiorem* perfectissimo *nullum exi-*
e per sapientiæ rationes mihi persuadeo.
n solum illum; excluso, in optione & col-
one eligendorum, perfectissimo, per §.
. Sed *neque additum* perfectissimo, eo sen-
ut perfectissimus quidem possibilis mun-
; aliquis existeret, sed alius quoque minus
fectus eidem coexisteret, aut eum inse-
eretur, aut præcederet, v. §. 394. Conficio
ioc argumento: *Aut* mundus ille imper-
ior supponeretur *cohærere* cum perfectissi-
: *aut non*. Si *primum*: faceret unum eun-
nque cum illo mundum, exhiberetque
tem ejus solummodò aut periodum, in
genere non perfectissimam, conjunctam

Sin minus, urgeo §um 381. & negc
situm ejusmodi prælatum esse in di
ctione alteri meliori; nego adeo
existere, ut supponitur. Hæc prin
sitio est. Si malis *secundo, non coha*
imperfectiorem mundum Tibi dictu
altero perfectiori, ut certe suppon
mundus est ab alio mundo distin
vero *ille in sese* spectatus debet sap
toris congruere, & eadem dignus
minus, nego suppositionem rebus,
autori, congruere, aut ejusmodi
existere.

§. 399. Ut rem in aprico collocem
mundi illius imperfectioris exister
sitio esse potest. *Aut* consideratu
præditus perfectione plurima, non
men in eo combinabili possibili:
ditur cum meliori, ut illi prælatus, 8
in divina electione quasi excludens

igitur ad tertiam & primam. *Tertiam* reducimus ad illam denuo, quam §. 398, redarguimus. Nimirum etiamilla est cohæsio ex utroque unum faciens, si ratio, quare hunc imperfectiorem Deus salva sapientia condere & possit & velit, continetur in altero perfectiori, qui & ipse conditur: *Connexio* est, si non singularis & physica rerum; est *universalis* tamen, & *metaphysica*, *idealis* & *impulsiva*. Non igitur illa in divino judicio separata sunt duo tota: Sed connexæ unius totius partes duæ & inæquales. Quod si autem duos existere mundos velis, duo non connexa concipio, duo tota, duas universitates nullo inter sese vinculo cohærentes: *universitas* enim proprie dicta in seipso terminatur, non in alio sui generis; neque ab alio sui generis dependet. Igitur remotis secunda & tertia suppositionibus *prima* superest, mundum ejusmodi imperfectiorem, etsi in sese consideratum, divinæ electionis objectum esse non incongruum. Videamus, an id dici possit? Maneamus autem *in eo formali*: & mundum illum, *neque præcise*, ut perfectiori antehabitum, *neque præcise*, ut illi conjunctum, *sed ut* perficibilem solum in seipso, aut ut nondum omnibus possibilibus perfectionibus præditum consideremus.

§. 400. Arbitror, *illum* mundum *non* esse *conveniens* sapientissimi Auctoris objectum, *ex quo* inferri aut cognosci etiam à posteriori suprema ejus sapientia non possit, etiamsi to-

tum perfectissime quis intelligeret. *Mundus* autem *imperfectior*, aut adhuc perficibilis etiamsi solus & separatim spectatus, foret ejusmodi. Igitur mundus optimo imperfectior, sive perficibilis, etiamsi solus & separatim spectatus, non est sapientissimi Autoris objectum competens. Utram hic propositionem teneor fulcire? *Minorem* ex 213. facile deduxeris. Non possum ego, inferendo à posteriori, majorem causæ facultatem tribuere, quàm in opere suo expressit: si majus fieri opus potest, maximam eo non demonstravit; neque optimam, si melius. *Non* igitur *è vestigiis* summam, erues sapientiam, operis consideratione, *nisi tantum* adsit vestigiorum, quantum operi potest inferri. Ut igitur *inter creaturas nulla* sit ejus virtutis & præstantiæ, ut universum contemplari mundum, & qua parte perficibilis foret sine incommodo totius, indicare possit: *DEUS id posset*, adeoque summam suam in opere ipso perfectionem non posset intueri. Inquam *in opere ipso*: Intuetur *in sese* omnium perfectissime & beatissime. Putem tamen idem & in ipso opere fieri; eodemque tam possibili quam actuali quoque. Hoc sensu *gloriam* interpretor, quam *ipse sibi Deus* tribuit, & quam in finibus creationis potissimum attendi debere cum *Nicol. Malebranchio* existimo: Nimirum *illa* est certissima DEO & infallibilis, & interna, & universalis, & objecto adæquata, & consequenter, omnium

um maxime *DEO digna* & ſufficientiæ divinæ accommoda, cui externam *alteram* ab intelligentibus creaturis venientem non minus, atque ceteras mundi perfectiones partiales, objective ſubordino. Ut igitur mundus ſupponatur, qualem diximus, imperfectior, quam id fieri poſſit, *non poſſet* vel ipſe *DEUS ſummam* ſuam *in* & *ex* opere ſuo ſapientiam intueri & glorificare: *Non* igitur id divino fini opuſculum *ſufficit*: Non igitur divina dignum judicabitur ſapientia §. 212. Ita *minorem* firmavimus & *majorem*: conſequenter *ſententiam*, utraque derivatam.

§. 401. Poſſem facile illa diducere, quæ ad argumentum antecedens *de gloria* dixi *DEO interna*; ſi ſuſpicares, poſſe Philoſophos aut Theologos illud in dubium vocare aſſertum, quo creaturas Deus ſuarum perfectionum ſpecula aut veſtigia eſſe voluit, ipſi ſibi perfectiſſime cognita & approbata. Si tamen independens ab ea finium mundi conſideratione *argumentum ex* ipſa immediate, *ſapientia* popoſceris; Accipe ſequens ex §. 214. Opus *Sapientiſſimi non* poteſt *ſimul* eſſe opus ſapientiæ, & non eſſe opus ſapieutiæ: intelligo id *diverſis* partibus & reſpectibus, alioquin id univerſaliter enunciarem de omni opere ſapientis etiam limitate talis. Enunciationem arbitror eſſe ἐξαγώνιον opus *ſumme boni* non poteſt, ſimul eſſe opus bonitatis, & non eſſe opus bonitatis in parte altera. *Opus ſumme juſti* non poteſt ſimul eſſe opus

justitiæ ex uno latere, & ex altero justitiæ licet capaci non esse opus justitiæ. Ita similiter opus *summe sapientis* non potest ex uno latere esse opus sapientiæ, & ex altero, sapientiæ licet capaci, non esse opus sapientiæ. Atqui mundus *ex aliqua* parte perfectus, & *ex alia* perficibilis ita, ut perfectior emergere mundus posset, foret opus sapientiæ ex primo, & non foret opus sapientiæ ex secundo capite. Igitur mundus ejusmodi non producitur ab summe sapienti; Igitur à DEO non producitur: igitur ejusmodi mundus imperfectior quam fieri possit, aut perficibilis non existit. *Igitur aut unus* existit solus *aut*, si *plures* existunt, sunt *æqualiter* omnes *perfectissimi*, nullus altero imperfectior. Id quod pro §. 395. erat inferendum.

§ 402. Obtinuimus igitur aliquando, mundum *non alium* existere, *quam perfectissimum*: *Nostrum igitur*, sive solus existat, sive & alii existant, esse tamen *perfectissimum*; eo sensu, ut perfectior alius esse non possit, non attento, an ipse perfectior sit omnibus, an plures esse possint, aut sint, æqualiter perfecti? Obtinuimus id vero ex consideratione *sapientiæ* in autore. Igitur *non* obtinuimus, esse illum *omni sensu* & respectu perfectissimum: obtinuimus id *solum*, esse perfectissimum, *quo sensu* attenditur divinitus. Igitur inquirendum est, *qua ratione* Mundum *Deus* in decreto suo respexerit? Illa erit perfectissimus.

mus. Assero, Deum respicere mundum *in universo* suo *ambitu*, non in parte aliqua, aut periodo. Ejus rei *plures* causæ sunt, mutuo subordinandæ. *Nullæ in universo insulæ sunt* perfecte tales: Nullæ, inquam, partes, quæ cum nulla alia coexistente aut præcedente & consequente cohæreant. Id ex *naturali* rerum *serie* & successione deducitur. Igitur *nullam* Deus perfecte & *adæquate* potest cognoscere, *quin* uno simul *omnes* obtutu cognoscat. Qui rem adæquate aliquam cognoscit: ille partes, relationes & habitudines simul omnes cognoscit. Atque ita deducitur ab una ad aliam, donec omnes pernoverit. Dicendum igitur est *è duobus alterutrum*, decernere DEUM sine perfecta ejus cognitione, quod eligit, aut, respicere totum in decreto & optione sua. *Absit*, ut ego *primum* DEO imputem? Igitur *secundum teneo*, Deum in decernenda rebus existentia, totum earum ambitum respicere, atque omnia simul attendere, non aliqua, neglectis aliis.

§. 403. Pertinet *ad firmandam* enunciationem, quod *secunda* statim sectione admonuimus §. 70----73. quod si enim res in mundo ita sibi coexistunt & succedunt, ut altera per alteram, & propter alteram fiat; (sapientiam id ita postulare ostendimus §. 214. 271.) sequitur aliquam inter illas *relationem* intercedere, *qua* mediante *possint* considerari *ut unum quid*, ut totum §. 72. Esse illam

vero *cognitionem perfectiorem* altera, qua partes solum aliquas, non totum; relationes earum aliquas, non omnes quis cognoverit: id & seipso evidens est, & §. 71. admonitum. *Perfectissimam* autem *DEO* cognitionem quis non tribuerit? Igitur quis dubitet, in tota amplitudine objectum spectari, cum de eo sive producendo sive regendo DEUS decernat. Saltim id mihi certum est, *quousque operatio* extenditur divina; eo usque exporrigi decretum: quo usque *decretum*, eousque *cognitionem* decreto præsuppositam. Operatio, sive creatrix, sive conservatrix, moderatrix, & directrix rerum extenditur *ad omnia*: igitur & decretum Dei; igitur & consideratio & judicium decreti præambulum. *Igitur* in *divino* quidem *judicio* Mundus spectatur universus, collectis in fasciculum omnibus & singulis ejus partibus coexistentibus mutuo, & succedentibus.

§. 404. *Præjudicaret* id divino primum *intellectui*, si partes solum aliquas spectari, adeoque inadæquatam rerum cognitionem decreto præsupponeres ex §. 402. Præjudicaret aut universalitati & *unitati decreti*, *aut* ejus *rationabilitati*, si non omnia uno includi decreto, aut decretum exporrigi ad non-perpensa admitteres, ex §. 403. Præjudicaret *sapientiæ* opificis, si conciperetur statuere de condendo aliquo opere, ante, quam omnes illius partes, media & fines, & con-

tun-

rundem coordinationes universas perpenderit §. 223. 214. Præjudicaret *consensui operationum* & *decretorum*; si actio Dei amplius exporrigeretur, quàm in decreto res attenderit. Et quæ sunt *plura* ejus generis. Igitur id firmiter teneo, Deum, ubi de condendo mundo statuerit in consilio suo, totum illum cum omnibus collective partibus, locis & temporibus attendisse.

§. 405. *Collata* hac cum §. 401. sententia intelligo, *mundum*, si quis existit, esse *in toto perfectissimum*. Nimirum ex §. 401. perfectissimus ille est, quem Deus facit; perfectissimus autem eo sensu, quo Deus eum respicit ex §. 402. Respicit illum ut totum, ex dictis §. 402. 403. 404. Ergo mundus, si quis à DEO productus est, & in toto suo ambitu spectatur, perfectissimus est. Est *noster* à DEO productus. Est igitur in toto suo complexu *perfectissimus*; alterutro saltim significatu, *ut vel* ipse omnes sua perfectione possibiles excedat, si solum illum existere supposueris, *aut* ipsum nullus excedat, si plures eidem æquales existere statueris §. 401. & 395. Hoc est illud principale *Ill. Leibnitii Theorema* non paucis quoque cognitum & assertum *Scholasticis*: quo semel obtento, cetera de permissione theoremata & ratiocinia non difficulter expediri possunt.

§. 406. *Objectiones* illi sententiæ non paucas passim obverti notum est: Sed vero illas arbitror *secunda* sectione *dilutas* esse. Ejusmodi

407. *Alterum* illud est *è præcipuis.* Si o-nus solum mundus est, sapientia divina nus, si *solus* ille ex possibilibus eligi in col-one *sapienter potest*: ceteri possibiles dicun-, non sunt; unicus ille optimus, aut, si res ejusmodi æquales optimos supponas, illi sunt & *possibiles* & *necessarii.* Non re-o, quæ prolixe & sæpe numero edisserui n secunda sectione, tum tertia. Illud am revoco in memoriam Lectoribus, od de *possibilitate respectiva* dixi §. 138, 142. |. *Recedunt* illi *à receptis* communiter signi-itibus, qui possibilitatem rerum, & im-ssibilitatem proprie dictam, aliunde repe-it, quam ex ipsa rerum repugnantia aut icientia rationis & virium in ente origi-io. Et ostendimus tamen, *admissis licet* pectibus causæ efficientis etiam moralibus os præter perfectissimum mundos impos-iles *non* esse, *nisi* melioribus aliis compara-: exclusive, hoc est, ita ut alter alterum optione extrudat. *Sensus* autem hic *laxis-us* est, & omnino extra potestatem vocis opriam positus; inconstantiæ loquendi de-us, atque ex præmissa de possibilitate & cessitate theoria, (maxime §. §. 142. 151. 159.) rectificabilis.

|. 408. Diximus ista *ad imitationem Ill. bnitii*, nisi quod *alicubi* sententias nonni-aliter inflectere visum est, §. 395. aut ar-mentis superstruere minus universalibus 84. & quæ sunt similia in minutiis qui-bus-

busdam apertius evolvendis posita. Promisimus *aliud* sententiæ *fulcrum* in §. 357. Illud ante exhibebimus, quam ipsam hanc systematis partem ad explicandas divinæ permissionis rationes admoveamus. Scilicet, *eandem* de optimi mundi existentiæ *sententiam* eruere licet *è receptis* Theologorum & Philosophorum nostratium *dogmatibus*, secunda sectione indicatis §. 227. 234. & seqq. *Breve* illud *argumentum* est, neque tanti apparatus indigens, ut præcedentia: Est autem mea quidem sententia *perfecte validum.* Desumitur *ex* ipsa illa *voluntatis proprietate*, quam negari à *Leibnitio*, aut mirum quantum intorqueri visum est aliquibus. Equidem illa non *rejectanea* modo, sed *abominabilis* in sese sententia est, *quæ* divinis aliqua parte perfectionibus *detrahit.* Si *nostra* talis est, detestari illam Lectores nihil impedio. *Absit*, ut vel *ego* sciens aliquam ejusmodi *propugnem*, *aut alteri* tanquam scienti tales *imputem.* *Sin* illa divinis, *non repugnet* attributis; *ferri* illam: *si consentiat*, atque omnino illis deducatur; *approbari* postulo. Veniamus in rem præsentem.

§. 409. Dixi, *tantam* esse divini *Numinis Bonitatem*, ut intenso, quantum fieri potest studio; entibus, quantum fieri potest omnibus; realitates, quantum fieri potest, universas nitatur conferre §. 210. *Ex eadem* bonitate *voluntatem* deduximus, *antecedentem* primitivam & originariam, qua ferri illud intel-

telligimus *in bonum*, omnino *omnes* sed pro
o cujusque gradu tamen & merito; *pro-
portionate* rebus, sed *serio* tamen §. 231. Exhi-
bo argumentum, ita, ut abstrahere liceat
vocibus antecedentis, & consequentis in
EO voluntatis, ut nullam ex vocabulis
fficultatem patiatur argumentatio, etsi suf-
:ienter illas allegato loco explicuerim.
rgumentum hoc est: Deus summe bo-
us voluntate sua approbativa
antecedenti inclinatoria) fertur
ı *omne* bonum. *Seria* autem o-
ınis ipsius voluntas est: igitur
:ria Deus voluntate omne bo-
um prosequitur. *Qui seria* vo-
ıntate *omne* bonum prosequitur;
· *omne* etiam præstat, cum fieri
otest: *Aut*, si universum ob-
nere non possit (rerum impo-
:ntia) obtinet *præcise tantum* bo-
i, quantum fieri potest. Qui
ıntum obtinet boni, quantum
eri potest, ille *optimum* inter
ossibilia obtinet & perfectissi-

mum.

mum. *Igitur* quicunque seria (antecedenti) voluntate universali inclinante præditus est, ille in (consequenti) decretoria aut omnia decernit, & potentia sua producit bona, aut, si fieri conjunctim omnia non possint, optimum è possibilibus. Igitur *divinum* in toto suo ambitu *opus aut* omnia complectitur bona possibilia, *aut* tantum tamen illorum, quantum fieri conjunctim potest. *Primum* non facile quisquam dixerit: neque id dici potest ex antecedentibus. Uno enim omnia mundo comprehendi non possunt; plures eorum possibiles sunt, & perfectione inæquales; imperfectiores sapientia non producit; ita hactenus asserui. Igitur *omnia non* existunt: Existit *igitur optimum* è possibilibus.

§. 410. Oro hic Lectores meos, ut attendant *singulis* argumenti propositionibus, & si quam putent *dubiam*, *ad divinas* illam perfectiones exigant. *Non possum ego* à me impetrare, ut admittam, *dari* bona possibilia, *in qua* Deus approbativa sua voluntate, saltim inclinatoria, *non* propendeat; *dari* voluntatem *non* perfecte *seriam* in Numine purissimo;

seriam illam in omnia voluntatem *esse*; *quæ* negligat objecti partem, quam poterat sine absurdo undecunque emergenti obtinere. Quod si igitur *contradictoria harum* veræ sunt; *consequuntur* cetera indissolubiliter. *Priora* quidem *duo* adeo sunt recepta, ut neminem opiner ambigere: *Tertium* diserte adstruxi §. 234. *Aut* nescio ego, quid seria voluntas sit? *Aut* certum est, illam non esse seriam universaliter, quæ tantum non præstat, quantum potest sine absurdo. Num *ille serio omnia* servare vult, *qui* posset plura servare, quam servat? *qui* non omnia servat, quæ scit, posse se servare? *qui* negligit, quæ non impeditur servare? putem id omnes negare homines. *Igitur* ex *receptis* id, & *solidissimis* simul principiis consequitur: *aut omnia* Deum bona efficere singulatim possibilia, *aut*, si id fieri, intercedentibus aut rerum natura, aut divinis perfectionibus, non possit, *tantum* suo operi inferre bonorum, *quantum* fieri usquam possit. Producere igitur aut *omnia* aut *optimum*.

§. 411. Hæc è receptis, sed *disjunctive*, intuli: ita enim sequitur. Si remoto alteró alterum *determinate* velis concludere: argumenta rei in antecedentibus dedi, repetita modo in fine §. 409. Si *minus* illa *probes*: necessum est, è duobus alterum facias: *Aut nova* determinationis argumenta promas, priorem excludentia casum, & ponentia

posteriorem: *aut hereas* in conclusione an guus animi, num omnia velis possibilia c cedere aliquando actualia fieri? an optim ex omnibus compositum? *Primum* ego ribus de causis *nolim* admittere: igitur de gumentis prospectum est in antecedenti *Secundum* teneo, atque in reddendis div permissionis rationibus attendo. Quo do illas *in prima* reddere oporteret hypo si, facile unusquisque intellexerit: *ego* il non moror sententiam; viderint, quo interest.

§. 412. Disputavimus hucusque *à pri* nisi quod *existentiam* alicujus mundi ex servatione conjunximus. Ut propius ad dinem tractationis liceat accedere, *suppo nem* priori *alteram*, sed luctuosam plan molestam adjungere necessum est. *Ex* aliquis divina virtute operante *mundus*: idem ille *malis inquinatus*, creaturæ vi *Ortum* ejus à divina *operositate* removim *Purganda* nunc est, *suspensio* quoque inte nientis divinæ efficientiæ impedientis, dita illius permissionis ratione plana & cienti. *Generalem* de permissione & imp tione mali *Theoriam* exhibuimus §. 261--- 281. præcipue §. 266. 272. Illam igitu præsens negotium *applicabimus*; ratio reddituri, quare malum Deus permi *potius*, *quam* ut idem absoluta operatione pediverit?

§. 413. Diximus, *eo casu* malum aliquod, etiam morale permitti & *posse* & *debere*, *quo* impediri non possit absque alio graviori illato §. 267. Vindicavimus illam quoque sententiam, & divinis plane perfectionibus conciliavimus, quin ex illis omnino derivavimus §. 271. *Quod si* igitur *ille casus* obtinet de origine mali in mundo nostro moralis: divinæ etiam permissionis argumenta dedimus digna DEO & consentientia perfectionibus illius eminentissimis. Ut id intelligas, necessum est, *duas mutuo* sententias *conferas*, *alteram* modo memoratam, optimum illum mundum esse, quem Deus produxerit, conservet, regat: *alteram* ex sectione secunda repetendam §. 283. Individuum illum esse, adeoque determinatum omnimode. *Inde sequitur*, si quam ejus partem aliter constitutam supposueris, quæcunque illa sit, individuum aliud esse: *Igitur* si unum hoc optimum est, illud immutatum non amplius esse optimum. Immutata *igitur* circumstantia quacunque non amplius esse eum mundum, qui inter omnes optimus est. *Id* vero *neque* necessarium est, *neque* conveniens DEO, ut mundum ipse non optimum faciat: *Igitur* id DEO decens non fuit, immutare aliquam mundi optimi partem. *Igitur*, si hic cum sua mali permissione optimus est: non id DEO conveniens fuit impedire malum. *Igitur* permittere potius quam impe-

dire & debuit sapienter, §. 266. & consequenter voluit.

§. 414. Percurramus *sigillatim* enunciationes: *Quicquid existit*, individuum *est*, & omnimode *determinatum*. Id communis docet Philosophia. Nullibi existunt genera & species, aut vagi & communes rerum conceptus: singularia omnia sunt, & è generalitate ad determinationem reducta. *Igitur* & *mundus* si quis existit, *individuum* est & omnimode determinatus: ante productionem *idealiter* in intellectu opificis, sed perfectissimi; post creationem *realiter* in sua existentia. Dixi in intellectu opificis *perfectissimi*: ne quis existimet, *suffugio* locum esse, cum ideæ, quas vocant, ædificiorum v. g. in mente architecti satis indeterminatæ esse soleant in quam plurimis, quæ per externas dein circumstantias coexistentiasque aliarum rerum, & antecessiones & consecutiones determinantur. Equidem id imperfectionis est *in opifice*, qui individualem nullius rei cognitionem habere completam potest ex §. 283. Secus id *in DEO* obtinet, qui omnes sui objecti partes, relationesque & determinationes adæquatè pernovit. Igitur *res idealiter* DEO præsens in consilio ejus, decretum productionis (nostro concipiendi modo) antecedente, est *individualis* & omnimodè determinata, nihil in ea vagum, nihil futuro casui relictum, *il n'y a rien en blanc*, inquit alicubi *Leibnitius*. Credo, id sine contume-

lia

lia supremi Numinis asseri: An sine ejus incommodo ita ipsius suspendi scientia possit à futuris eventibus, ut aliqua in cognitione & præscientia Dei indeterminata maneant, *Poiretiano* & *Sociniano* more, circa quæ nesciat, quid in hoc suo mundo futurum sit, quorum adeo ratione, quod Socinianis *P. Jurieu* exprobravit, in diem vivat? id facile omnes deciderint.

§. 415. Habes, *mundum in* decreto divino *spectari determinatum* omnimodé: Habes ex §. 401. Mundo *nonnisi perfectissimo* decerni *existentiam*; sive unus solum perfectissimus sit omnium, sive plures aliqui æqualiter perfectissimi. *Sequitur* inde, mundum *existentem* cum *omnibus* suis determinationibus spectatum, *esse* divino judicio *perfectissimum*. *Nimirum*: Qui mundus existit, illi divino consilio decreta est existentia §. 376. Divinum consilium nonnisi illi existentiam decernit, qui divino judicio spectatus est perfectissimus §. 401. Itaque mundus existens in divino judicio spectatus est perfectissimus. *Porro*: Mundus in divino judicio specta-

tur ut omnimodè determinatus §. 414. Mundus existens in divino judicio spectatus est perfectissimus: igitur mundus existens, ut omnimodè determinatus, est perfectissimus. *Iterum*: Mundus existens ut omnimodè determinatus est perfectissimus; Mundus existens ut omnimodè determinatus est, inclusam simul mali per creaturas originem & divinam ejus permissionem continet in suis determinationibus. Ergo mundus hic, qui inclusam simul mali per creaturas originem & divinam ejus permissionem continet in suis determinationibus, est perfectissimus. *Praeterea*, qui mundus cum omnibus suis determinationibus spectatus est perfectissimus, illius determinationes, quatenus à DEO productae aut permissae, divinis ne-

nequaquam perfectionibus derogant. Mundus hic existens, qui inclusam simul mali per creaturas originem & divinam ejus permissionem continet in suis determinationibus, est mundus tamen cum omnibus suis determinationibus perfectissimus. Igitur hujus mundi malo inquinati determinationes, quatenus aut à DEO productæ aut permissæ, divinis nequaquam perfectionibus *derogant*. Num illud *obtinui*: Deum neque producendo hunc mundum, neque permittendo malum præjudicasse perfectionibus suis? Igitur *alteram* instituti *partem* exegimus, posse Deum permittere mala, salva perfectionum suarum puritate. §. 14.

§. 416. *Alteram* ei comitem coadjungemus, ostensuri, non solum, *quod voluerit*; namque id eventus docet; sed, *quare voluerit*? Hic vero *discerpere* tractationem oportet, *pro disjunctione* superius admissa §. 395. 402. Namque, si id sapientiæ convenientius est, aliquid, quam nihil pro ducere; (id ex facto *intelligitur* divino) si præterea mundo-

rum possibilium ea ratio est, quam *VVolfiana* postulant argumenta §. 395. allegato enarrata, hoc est, *si unus* ex omnibus præcise perfectissimus est, non plures æqualiter perfectissimi: tum vero ex dictis *constat*, existentem nostrum illum esse; *constat*, imperfectiorem illi nullum posse præferri, *constat*, alium fore, si quid in eo immutatum concipias. *Constat* igitur immutatum nihil posse concipi in determinationibus ejus, idealiter Deo præsentibus ante earum existentiam, quin imperfectior inde mundus fiat. *Constat* igitur & alterum, *quare* malum Deus in eo mundo idealiter comprehensum, aut inter determinationes hujus, in sensu individuali & composito, mundi contentum potius *permittere voluerit*, quin *debuerit* (§. 266.) quam impedire. Si enim immutata aliqua ejus circumstantia non amplius hic, adeoque nec optimus inter omnes mundus manet: intelligitur, quare nullam Deus circumstantiam aut determinationem, huic individualiter mundo debitam, immutare velit : *Adeoque*, si in optimo mundi individuo permissio mali idealiter comprehensa est; quare in eodem realiter producto permissioni illi ordinatæ impeditionem absolutam substituere nec debuerit, nec voluerit; Sed permissionem rebus indulgere & potuerit, & voluerit, & sano sensu debuerit.

§. 417. Ut *captiosum* nihil sit in tractatione nostra: *ordine iterum* argumenta exhibebimus.

Mun-

Mundus ille, qui existit, inter ceteras sui determinationes complectitur malum quoque, creaturarum vitio introductum. Id ex observatione proh dolor lugubri constat. Mundus autem existens est perfectissimus §. 401. Ergo mundus perfectissimus habet inter suas determinationes malum quoque, & illius originem, & permissionem. Perfectissimus *ex hypothesi* §. 416. unus est: omnis igitur alius est imperfectior. Mundus hic existens est individuum, hoc est, omnimodè determinatus: omnis igitur aliter determinatus non est hic mundus, sed alius. Omnis alius est imperfectior: Igitur omnis aliter determinatus est imperfectior. *Porro*: Mundus existens inter suas determinationes habet permissionem mali. Mun-

dus igitur ſine permisſione mali eſt aliter determinatus. Omnis aliter determinatus eſt imperfectior. Itaque mundus ſine permisſione mali eſt imperfectior præſenti. Imperfectior præ perfectisſimo non eligitur per ſapientiæ regulas, ſed poſtponitur. Igitur mundus alius ſine mali permisſione per ſapientiæ leges poſtponitur præſenti, non obſtante permisſione mali, nihilominus perfectisſimo. Igitur permisſionis legitima, & divinis perfectionibus deducta ratio illa eſt, quod in perfectisſimo mundi ſyſtemate malum comprehenditur: perfectisſimum autem fieri eſt DEO decentisſimum, & unice conveniens.

§. 418.

§. 418. *Propius* ad Theoriam permissionis §. 266. seqq. præmissam, ita rem, si placet, inflectere licet. Tum demum Deus permittit malum licite & sapienter, cum impedire non potest sine graviori alio simul admisso. Si *in optimo* unice mundi systemate malum comprehenditur idealiter, *non potest* illud impedire, *quin* gravius ipse admiserit. *Igitur* in optimo unice mundo comprehensum permittit licite & sapienter. Vis probari *assumtum*? Si in illo mundo; qui *solus* est *omnium* optimus, malum comprehenditur; consequens est, illos omnes, in quibus id non comprehenditur, esse *illo uno* imperfectiores. Igitur si mundum Deus faceret alium ab eo, in quo malum comprehenditur, faceret imperfectiorem. Qui imperfectiorem præfert perfectissimo impingit in leges sapientiæ.

Id

Id *DEO gravissimum* est omnium malorum, si supponatur ipse suis derogare perfectionibus; & *gravius profecto*, quam si creaturam patiatur suo abuti arbitrio, & peccare. Igitur si in optimo unicè mundo malum & ejus permissio involvitur, non potest illud Deus impedire, hoc est, non potest alium ejus loco mundum præstare, quin ipse gravius aliquid admittere supponatur, id scilicet, *quod imperfectius* sua electione opus prætulerit ipse perfectissimo; quod adeoque *tantum boni* & perfectionis *non* præstet aut præstiterit, aut præstiturus sit, quantum potest, quod igitur *seria* ipsius in bonum omne & perfectiones possibiles omnes *voluntas* non sit; quod denique ipsius *bonitas* summa prædicari non possit §. 409.

§. 419. Diximus *ex prima* hypotheſi: Dicamus *ex altera*, quam poſtulantibus viris quibusdam eruditis indulſimus §. 397. Si *plures* ſimul mundi æqualiter perfectisſimi exiſtunt, atque inter illos noſter quoque: *eadem* permisſionis ratio eſt in noſtro quidem mundo, quæ prius fuerat. Malum enim in perfectisſimo comprehenditur. Illud ſaltim *addi prioribus* neceſſe eſt in hac hypotheſi. Arguimus *antea*, ſi unus hic eſt perfectisſimus, omnes alii ſunt imperfectiores; imperfectiorem Deus ante habere perfectisſimo non poteſt. Videri hoc loco poſſet, *divelli conſequentiam* in hypotheſi plurium æqualiter perfectisſimorum. Poſſet enim alius ſine hoc malo æquè perfectisſimus eſſe, adeoque ordinatis ita rebus, ut aut malum non emergeret creaturarum vitio, aut oriturum impediretur, *non ea propter* ſtatim inferri poſſet, illam rerum ſeriem, ſive mundum fore imperfectiorem, adeoque ſapientia indignum divina. Atque *ita eſt* ſane. Sed *memento antecedentium*. *Aut* ille mundus, qui immutatis rebus præſentibus, & permisſione mali remota, ſupponitur æquè perfectus evadere, quam eſt præſens, in hac hypotheſi etiam perfectisſimus §. 402. Aut, *inquam* ille mundus *poteſt* cum præſenti conſiſtere, *aut non* poteſt. *Si non* poteſt: neutrum fieri ex §. 388. intelligitur. *Si poteſt*: utrumque fieri convenit ex ſapientia §. 388. & bonitate §. 409. divina. *Manet* igitur *eadem* permisſionis

sionis ratio, quoniam *si* hunc *non* simul cum altero faceret, non faceret boni tantum, quantum fieri sapienter potest. *Quod si autem* hunc facere velit, permissionem illi negare non potest. Neque enim *hic* mundus, *hoc* individuum foret, si aliter determinatus foret. Igitur si hic cum ceteris perfectissimus est, hunc cum ceteris producere, & consequenter omnes ejus determinationes admittere convenit, & debetur sapientiæ. *Ita resolvitur hic* alter casus in *præcedentem*.

§. 420. *Neque* illud fortasse Lectores *urgebunt*: si alius possibilis mundus supponatur sine malo saltim morali, qui æquè perfectus sit, atque noster cum malo suo esse supponitur: tum, si uterque simul existere non possit, *rationem* quare alter *præ* altero eligi possit, in eo quæri posse; quod *hic cum* malo suo *potius* excludi mereatur, quam ille sine malo: sin uterque simul existere possit, eadem ratione causam quare *unus solum* produci & possit & debeat in eo reperiri posse, quod in altero malum sit perfectionibus intermixtum, in altero non item. *Speciosa* illa quidem exceptio foret, *nisi pugnaret* in hypothesin. Quid ita? supposuimus plures *æqualiter* perfectissimos, alterum *cum* malo morali, *sine* illo alterum. Igitur, non obstante differentia, è malo sive præsente, sive absente pendula, æqualiter perfectissimi sunt. Igitur differentiam illam partialem *amplius* at-

dere, aut eo usque exporrigere non licet, lterum alteri totum, in suo omni comxu æqualiter perfectum anteferatur. Ni'um ita *bis* idem *totaliter* attenderetur. Ma1 alteri mundo immixtum attenditur in icanda totius compositi perfectione to-, atque attenditur & compensatur secunn *omne* suum demeritum; alioquin deternata totius æstimatio nulla foret? Igitur ta totali æstimatione *novum* illi demeritum comparatione ad alios possibiles mundos outari nullum potest. Quod si igitur A. n malo æque perfectus est ac alius B. sine lo: id *nullam* inter illos decidendi aut *elidi rationem* præstat, quod alter malum conet, alter non item. Igitur manifestum, præter enarrata §. 419. *nihil* hac exceone *novi* considerationibus nostris accere, manere rationem permissionis *utrobi' eandem*; quod *sapientiæ* id suæ *DEUS de'rit*, facere mundum suum (aut, si placet ındos suos) omnium perfectissimum (pertissimos) sed in perfectissimo etiam mun (uno & solo, vel eorum aliquo) jam idear comprehensum fuisse malum etiam orale, ex creaturæ arbitrio & libertatis nceslæ sive non-usu sive abusu oriundum. *tur* illam quoque exceptionem *admisisse* saentissimum, *tanquam* optimo nihilominus undo cohærentem.

§. 421. Putem, *dubia* Lectoribus *aliqua itasis* succurrere, non tam nervos argumen-

mentorum incidentia, quam *in consequentiis* dictorum durioribus posita. Soluta illa & *occupata* in antecedentibus arbitror, præcipue *in secunda*, quam illi præcipue quoque negotio destinaveram, *sectione*: operæ tamen pretium fuerit, admonere de nonnullis, atque ad prius enarrata ablegare sollicitos rerum æstimatores. Quando optimum cum malo mundum dicimus, *nequaquam malo* perfectionem derivamus: non est locutio *causalis*, est *individualis*. Id prolixè docui §. 93---99. Quando optimum cum malo mundum dicimus, *nequaquam extenuamus* mali turpitudinem, aut parvam eam imperfectionem per mala, præsertim moralia, mundo illatam arguimus: Potest esse *maxima*, & nihilominus ceteræ in mundo perfectiones compensatis defectibus exsuperare adhuc perfectiones in alio mundo obvias §. 103. & seqq. Quando optimum Deo mundum *adprobari* dicimus, eundemque malo deturpatum agnoscimus, *nequaquam* mala *DEO probari* dicimus, sed bona solum, mixta quidem malis. sed iisdem majora, atque ut talia §. 232. Neque *mala ut ordinabilia* ad bonum, aut ut connexa optimo sunt objectum voluntatis approbativæ, sed eorum *ordinabilitas*, ut loquuntur Philosophi. Vid. Noldium in Legibus distinguendi Thmem. I. cap. I. Porism. 2. p. m. 24. & 25. vel *potius* eorundem prohibitio, *permissio*, moderatio, directio, correctio, punitio, & quicunque sunt

divi-

divinæ providentiæ circa malum minuendum, & augendas creaturarum perfectiones, antecedanei, concurrentesque & consecutivi actus. De *quibus* plura prolixe non addo, quoniam perfecte receptis inter Philosophos thesibus & distinctionibus accedo.

§. 422. *Unicum* hoc loco distinctius exponere non inconsultum puto. Dixi *permissionem* mali esse *objectum voluntatis* divinæ approbativæ. Sententiam *inde* colligo. Optimum Deus mundum vult: optimum sine illa permissione (loquor hic subinde in hypothesi unius optimi, quoniam illa primaria est suppositio; additurus alteram tamen, si quando discrimen inferat dicendis) obtineri non potest. Igitur permissionem Deus vult. Posset *videri simile* priori argumentum sic fieri posse. Optimum Deus mundum vult. Optimus si intermixto malo non potest obtineri? igitur *malum* illud *fieri* Deus vult & voluit. *Absit* vero *isthæc propositio* & sententia; Deum *velle* malum *fieri:* absit, inquam, è finibus *nostris*, quibus huc usque cavi, ut nihil divinæ puritati ullo prætextu aut specie adversum inferrem! sed vero *neque illa sequitur* ex ante dictis. Ut id plane videas, *adde* dictis *argumenta volitionis*, & denuo, quæ inferri possint, circumspice. Num *recte* colligo? Deus vult optimum mundum propter perfectiones illo comprehensas; Igitur *perfectiones* vult. Deus vult optimum in toto

mundum non obstantibus partium imperfectionibus: ergo imperfectionum illarum *permissionem* vult. Jam si placet, argue similiter: Deus vult optimum mundum *propter imperfectiones*: Ergo vult *imperfectionem*. Nego *assumtum*. Deus vult optimum *non obstantibus* imperfectionibus intermistis: Ergo vult imperfectiones. Nego *consequentiam*. Atque iterum; Deus vult optimum mundum, *ut* optimus est: optimus est *propter* perfectiones. Vult igitur perfectiones. Optimus est *propter* moderationem exceptionum: Vult igitur eam moderationem. *Consentio*. Optimus est *propter* præsentiam exceptionum: vult igitur præsentiam exceptionum. Atqui falleris in *assumto*. *Non obstante* exceptionum præsentia optimus est aliunde: *concedo*. *Per* præsentiam; *Nego*. Frequentior hujus *resolutionis usus* esse potest in similibus non raro causis: igitur illam lectori liceat commendare. Hoc recte *consequitur*: Approbo A. *propter* B. ergo approbo & B. *Non sequitur*: approbo A. propter B. *non obstante* C. adjuncto inseparabili: Ergo & adjunctum C. approbo, aut *adjungi* illud volo.

§. 423. Nescio, an *similia* plura argumento intercurrant *dubia*: Confido autem, occupata esse, saltim præcipua. *Balianas* quidem argutationes §. 354. enarratas arbitror responsa nancisci congrua ex antecedentibus. *Fateor*, potuisse Deum impedire peccata

etc.

creaturæ absque dispendio libertatis §. 279. *Fateor*, potuisse libertatem restringere, si voluisset §. 280. *Fateor*, potuisse creaturam condere intelligentem in circumstantiis & cum facultatibus ejusmodi, ut lapsura non fuisset. *Nego* illud optimæ mundorum seriei congruum fuisse: *nego* igitur DEO decens fuisse; *Nego* creatorem sapienter partem anteferre toti, & eapropter in toto imperfectius opus facere aut posse, aut debere, ut partem aliquam pluribus exornet beneficiis, aut ambiguam confirmet. Nimirum eo inter cetera differunt *judicium* supremi *Numinis* & *Manichæorum*, quod illud omnia respicit & ordinat, isti ex parte, eademque non plene intellecta pronunciant. Isti separatas res considerant, DEUS ordine conjunctas, & mutuis sibi respectibus atque nexibus cohærentes. Si *solum* Deus hominem, & *solum hujus* vitæ periodum respiceret? meliori illos conditione collocare posset, &, non dubito, collocaret. Posse *omnibus* consideratis meliorem *totius*, atque in illo partium quoque *connexarum* sortem esse, id nemo quisquam asseverare potest: potius *contrarium* ex divina bonitate & sapientia ipsi derivavimus. *Illi* igitur dispositioni *acquiescimus*; Namque & Deus suæ permissioni & consequentibus illam providentiæ actibus beatissimæ acquiescit.

§. 424. *Quomodo* id fieri possit, ostendimus: *generaliter* quidem, & à priori, quatenus,

nus, non obstante creaturarum peccato, productum a DEO mundum esse optimum tamen evicimus. Deduxi eam sententiam è receptis quoque thesibus non minus, quam è Leibnitiano ratiocinationum serie. Illud §. 409. Istud autem §. 357.---405. Eligant Lectores, *utram* velint partem? *si nullam*: precor, ut *quæstionibus* attendant, §. 354. motis, atque illis accommodent responsa; namque *si id possint* nihilominus, *perinde* hactenus erit, quid de argumento permissionis statuerint? Si deprehenderint, *hærere aquam* sibi, tum vero id ne ægre ferant, circumspicere alios, & cum illis me quoque, de modis respondendi ad cavillationes hominum divinæ providentiæ inimicorum; præcipuè si, quod feci, *intra terminos* suæ cognitionis, proh quam tenuis & exiguæ, sese continuerint, neque de Deo temere quicquam asseruerint, *solis illis* contenti quæ dilucida ex divinis perfectionibus ratiocinatione liceat à priori deducere. Diximus illa, nisi fallimur, perspicue, & quemadmodum Dei reverentes decet scriptores, cessuri argumentis, cessuri sententiis, si divinam alicubi perfectionem, nescììs nobis & invitis plane, offenderint. Non id tamen arbitramur factum esse, tum ex ipsa rerum circumspecta meditatione persuasi, tum & testimonio Theologi, quem sæpe allegavimus; namque & illum videmus dixisse similia. Eo testimo-

) promisi tractationem obsignare nostram
357.

§. 425. Accipe verba Viri eruditissimi, *Jo.* *orgii Dorschei*, quibus de permissione pec- :orum divina mentem inter cetera expo- t suam, de voluntate Dei sect. 1. c. I, §. . p. 27. Ita ille: „ Rursus, quod *permittit* :us repugnare & fieri aliquid, quod non lt, *objectum beatitudinis* divinæ esse potest, et *vitium*, quo repugnatur & malitiam, æ fit, quam non vult Deus, objectum il- s esse nequeat. Illa enim ipsa *permissio* di- ıa repræsentat *summam sapientiam:* quæ rmissione mali majus bonum elicit; *&* nmam *potentiam*, quæ malo grassanti mo- m & terminum constituit; & *ceteras per-* *iones*, quas Deus malo opponit. *Plenissime* tem beatitudo divina emergit, si non *ab-* *ote* & *seorsim*, sed *in* illo perfectissimo *apo-* *esmate* voluntas divina æstimetur, quod ex ordinatione decretorum divinorum con- quitur. Ibi enim *omnibus confluentibus* & con- trentibus repræsentatur omnimoda pul- tudo, varietas, sapientia, gratia, justi- , sanctitas & quicquid perfectionum con-„ erari & cogitari poterat. „ *Intelligo* equi-„ m isthæc *verba* non de integro præcise ındano Systemate, sed *de universa* cum ho- nibus agendi *oeconomia*: *Tanto* autem *ma-* id *in* nostra valet sententia & *complexu* re- n *universali*; quod enim in parte *compensatu-* *:ius*, id in toto compensatum est certissi-

 me.

me. Tum vero *nec* illa Viro Cel. *insolita* est considerandi ratio, ubi consilium DEI ad mundum refertur & extenditur universum. Ita enim ille sect. I. c. 2. p. 73. de consilio DEI tanquam norma divinarum operationum agens, removet primo consultationem ex *investigatione ambiguorum* intellectus *discursu* atque agitatione facta, quam perfectissimo non convenire judicat rectissime; tum vero pergit: „Potest etiam vocari propositum de *universa* gubernatione DEI, quo ab omni æternitate prævisis *omnibus* possibilibus *determinarit* certam rerum *seriem*, in qua decurrere & *totius* mundi duratio, in quo proposito divina inprimis *bonitas* & inexhaustæ plane *divitiæ* cum *potentia* æterna, & infinita *sapientia*, suaviter *omnia disponente*, patefierent. „ Duo autem præcipue attendi velim in priori testimonio: generaliter *rationem acquiescentiæ* in permissione mali sumi ex eo, quod supposito hoc rerum ordine sapientia demonstretur *summa* & potentia. *Idem* nostra, urget & ostendit expositio. Specialiter præcipi, ut *in toto* illam apotelesmate Lectores considerent, namque ibi ex confluxu rerum & concursu luculentissima divinarum perfectionum vestigia, elucere. Id *præcipuum* est *in* omni *nostra* tractatione, ex toto rem æstimari divino judicio, non ex parte temporis aut loci, aut rerum. Scilicet *illam* Deus actionem *non permittit*, *quæ* bono creaturarum *universali* repugnat. Ostendimus id

id argumento §. 281. sed verbis quoque & testimonio *Dorschei* in antecedentibus §. 280. *Ex eo* sequitur, non illam actionem adversari bono universali, quam Deus permiserit. Adversatur autem universali bono, quæ mundum in toto spectatum faceret alio imperfectiorem: nequaquam illa, quæ perfectissimum ingreditur.

§. 426. Ita vero vel tandem *absolvimus generalia.* Specialia requirent alii; saltim *specialiora* exhibitis. Neque deesset *copia* dicendorum, si illum ingredi campum liberet. *Sunt, qui* in eo elaborant, ut *multitudinem* malorum, saltim comparativam, *imminuant*; eoque fine *negant, tot* inter homines mala obtinere, quot nonnulli accusent; *negant, tamdiu* duratura, atque recepta Theologorum sententia doceat; *negant, tanti* illa esse consideratis agentium viribus & circumstantiis, quanti habeantur communiter: ex adverso *asserunt bona* inter nos obtinere *plurima, quæ* nemo attendat, *quæ* nemo sufficienter ponderet; *asserunt* creaturas *alibi* locorum plurimas intelligentes, habitatos integros globos creaturis felicibus; *allegant* entia Moralis *mali incapacia*, bonis tamen sui generis aucta quam plurima: urgent, *bona* ex malis eruta divinis artificiis *tanto* esse *præstantiora*; esse etiam intelligentibus *tanto gratiora*, cum succedant tristibus; esse *ipsam* illam rerum in perfectionibus suis diversissimarum *varietatem* boni loco habendam; esse *malum ita* divini-

tus *correctum* & compensatum, ut longe sublimior rerum conditio sit, quam sine eo fuisset; optimam præsentis mundi partem, *Servatorem* Dei filium, non futurum fuisse partem mundi, id est, hominem, nisi lapsus antecessisset; *saltim* id non fore sub isto eminentissimæ omnino sapientiæ specimine & respectu mediatoris satisfactorii; non affore *specimina* omnis divinæ *justitiæ*, saltim vindicativæ, non *misericordiæ* &c. & quæ sunt *plura* plurimis allegata diverso quidem consilio, sed & eventu. Abstineo ergo ab istis & similibus quibusdam aliis, quæ non memini ab aliis allegata esse, fortasse tamen haud incongrua. Dixi *Causam facti* in principio. Sunt hæc *accessoria*, quæ ut placeant aliquibus, & aliquibus sub circumstantiis possint esse utilia: haud raro *difficultates* systemati parum necessarias inferunt §. 31. 19. 20.

§. 427. Equidem illud generaliter *certum est*, *plura* in hoc mundo *bona* contineri, quam mala; Alioquin divinæ potius aversationis, quam electionis objectum fuisset ex §. 232. *quibus* autem *computis* illud ostendi possit, aut declarari, id fateor, me cum ignarissimis ignorare: neque divinare velle in negotio difficili. Non metuo *philosophari* de DEO, *quousque* argumenta è perfectionibus ducere divinis licet: *cum* illa *deficiunt*, vel potius cum illis eruendis deficit facultas mea, tenuis & circumscripta, *desino* pronunciare,

sal-

ſaltim aſſeverate, & vel conjicere formido. Cetera non dubito *in divinos* bonorum *computos* venire *omnia*, inaminata quoque, & irrationalia; docuit id *Prophetam DEUS*, cum urbi ob pœnitentiam ſervatæ indignabatur: venire *etiam illa*, quæ in *cœleſtibus* ſpatiis locaverit ſuprema liberalitas entia, ſpecialiter nobis nondum cognita §. 60. 61. ſimiliter & *terreſtria* nondum cognita mortalibus. *Verbo:* omnia illa, *quæcunque* ad divinam gloriam celebrandam ipſe *ſanctior DEI ſpiritus* excitavit *hymno*, quem inter diviniores centeſimum numeramus & quadrageſimum octavum. *Gloria* nimirum *divina* exporrigitur, *quousque* cœlum extenditur & terra: gloriam autem divinam quærimus in veſtigiis divinitatis operi inſculptis, atque in communicata illi bonitate & perfectione poſitis.

§. 428. Unum *dubitavi*, an adjungere velim præſentibus: Tum vero viſum eſt, id fortaſſe *gratum* fore *aliquibus*, ſi breviter quidem, ſed perſpicue declaretur. Memini allegatum aliquando inter cauſas permiſſionis mali, quod *ſine miraculo*, & fortaſſe repetito impediri non potuerit; miracula vero ordinem interturbent naturalem, eoque perfectior ille mundus ſit, qui paucioribus diſtinguatur miraculis. Equidem *nihil* in ea cauſa poſitum eſt *mibi*, namque illam non allegavi cauſam diſerte & ſpecialiter: Igitur quæcunque dixero, *interpretis* perſonam in-

dutus dixero. *Potuisse* Deum miraculo impedire lapsum, & posse hodienum peccata hominum *omnia* impedire miraculis, (etsi *non quibuscunque*, præsertim *externis*, quæ fere sola attendi, & miraculorum titulo venire solent aliquibus) idquidem ex §. 276. seqq. argumento constat, & testimonio Theologi. *Non* id Deum *fecisse* constat experientia. Igitur id mihi *certum est*, convenientius divinæ sapientiæ fuisse, ut illa non interponeret miracula, creaturam suo relinquens arbitrio; convenientius etiam, ut *suo tempore* miraculis oeconomiam gratiæ distingueret, quam ut oeconomiam naturæ conservaret miraculis. Nimirum id *semper optimum* duco, quod Deus facit: Et *nihil* ea parte me *unquam* peccare penitus confido.

§. 429. *Non illam* igitur Virorum esse *sententiam* arbitror, quod perfectior *eo ipso* mundus sit, quo pauciora continet miracula, & plane perfectissimus, qui nulla. Loquuntur illi *limitate*, si quid intelligo. Est ille *ceteris paribus* perfectior, qui *paucioribus* aut *nullis* intermixtis miraculis *eadem* exhibet bona, quæ alius per miracula & repetita frequentius. *Major* isthæc *sapientia* est, quæ mediis magis cohærentibus & paucioribus fines obtinet eosdem. Quæ igitur ex ipsa & sola rerum institutione originaria perfectiones præstat easdem, illa videtur esse eminentior altera, quæ principiis rerum internis adjun-

git

git externa, ordinariis extraordinaria, naturalibus supernaturalia, repetitis molitionibus effectus nonnisi eosdem aut æquales præstantia. *Secus* illi *pronuntiant, ubi* per naturalia obtineri effectus destinati *non possint*: neque ullibi inficiantur, posse tantam miraculi necessitatem aut convenientiam obtingere, tantamve per miracula perfectionem rebus inferri, ut illam ordinis naturalis interturbationem compenset atque exsuperet illata noviter perfectio. Itaque *agnoscunt* miracula habere *suum ordinem*, sed *altiorem* naturali, & esse *opera* quoque *sapientiæ* in certis casibus §.223. *Frequentes* illi sint, an *rariores*? Philosophi non est decidere: asserit, illos *neque* frequentiores esse, *neque* rariores, *quam* divinæ consentiat sapientiæ. Huic visum non est, lapsum impedire miraculo, quod poterat §. 276. Igitur ordinata permissio fuit absoluta & miraculose facienda impeditione convenientior. *Quibus* id *præcise* momentis ita Deus dijudicaverit? id fateor, me *nescire* specialiter, *venerari* autem generaliter.

§. 430. Similiter, si licet, cetera dijudico. Ubi de *specialioribus* sermo est, aut *individualibus* casibus, quo loco à priori ratiocinari non possum, ibi constanter in memoriam mihi, & postulanti specialia lectori revoco dicta §. 123, sufficiens ille est, opinor, eo, ut *fastum* reprimere *pseudo philosophicos* valeat, atque animum præsumtione ingentis sapientiæ turgidum

gidum exuere divitiis suis; continere etiam scriptores sui memores intra terminos humanæ scientiæ circumscriptos. Illam opinor nunquam deposuimus *memoriam*, non *in promissis* sectione prima factis, sed neque *in executione* instituti, quod promissis nostris sollicite accommodavimus, abstinendo a conjecturis sponte sua sese offerentibus & specialioribus, continendoque animum inter generalia & liquido exposita. Num regulis factum consentiat, facile examines. Distinxi *quæstiones* de *origine* unam, & de *permissione* alteram §. 11. id ita persecutus sum sectione tertia, de origine exponens §. 292--350. de permissione §. 351--425. Distinxi quæstiones, *an* Deus *possit* salvis suis perfectionibus permittere malum? & *quare velit?* §. 13. 24. Idem in tertia sectione observavi; primum videas. §. 415. Secundum §. 417. 418. Promisi tractationem *à priori* & *generalem*, non specialem & à posteriori §. 22. *Combinatis* tamen *experientiæ* ratiociniis §. 25. Talem exhibuimus quoque: vid. §. 412. omissis etiam specialibus, etsi dudum per alios allegatis §, 426. *objectionum* speciales *resolutiones* non promisi, sed theticam ejusmodi explicationem, ut ex illa sumi responsiones possint & distinctiones necessariæ §. 31. Talem arbitror secunda præcipue libelli sectione præstitam esse, & passim tertiæ intertextam. Promisi tractationem ita inflexam, ut quam fieri potest, *minimum* sententiarum Leibnitio

pecu-

peculiarium ingrediatur ordinem nostrum §. 32. Talem opinor sectione præcipue tertia exhibitam esse, variis sententiæ inflexionibus, ut §. 392. & aliis, tum vero & argumentis §, 408. 409. *Historica* & *refutationes* excesse jussi §. 37, 38. Putem vero me & in decursu mansisse intra *Thetica* & *Apologetica.* Neminem lacessivi. Sententiam, quam ego innoxiam judico, studui argumentis fulcire, & in tuto collocare, *tacitis* objectionum *occupationibus*, sine cujusquam injuria. Putem igitur, sed præfiscini, quam promiserim *explicationes*, eas in antecedentibus esse exhibitas: *cumulat* quidem in *secunda* sectione quoniam in *principiis* versabar; *strictius* in *tertia*, quoniam *conclusiones* ea complectebar. Juvat autem in principiis *potius* abundantiorem esse & parciorem in conclusionibus, *quam* vicissim. *Superest* dictorum *ad morales usus applicatio* quoque; Eam *nunc* ingredimur.

SECTIO QUARTA.

PRACTICA

Usus enarrati Systematis Morales complexa.

§. 431.

Diximus §. 47. adjunctum iri Explicationi Systematis aliquam *usuum Moralium expositionem*, qua dissipatum abstractionibus animum intra sese iterum *colligere*, & flectere etiam *his motivis* ad virtutem, & *divinam* in universo hoc negotio Majestatem *venerari* liceat. Deinde etiam illud §. 272. asserui, posse hæc philosophemata eo adhiberi, ut *pietatis* in Deum & cultus *specimina* exhibeant. Liberaturi fidem nostram, utrumque hic persequi negotium constituimus daturi operam, ut stimulos ad bonum aliquos lectorum animis infigamus, eoque præter *intellectus* aliquam illustrationem iniis, quibus ea res non ante cognita fuit, aut melius perpensa, quam nobis, nonnullam *voluntatis* perfectionem moliamur, & divino fortunante Nutu obtineamus.

§. 432. *Brevem* tamen hic tractationem, paramus, rescissis, quæcunque ad ornan-dum

dum pertinent, aut amplificandum discursum, *solis* scilicet iis intenti, quæ *ad finem* obtinendum sunt, aut necessaria, aut præ aliis utilia. Igitur *neque* illud mihi impositum puto, ut ea *omnia* enumerem, quæ ex argumento hactenus exposito derivari corollaria possunt practica. Maximus eorum numerus est: quis nescit? & quæ non officia possunt ex divina mundi productione derivari? quæ consectaria non deduci ex demerito peccati, nostra introducti culpa? Sed vero illa omnia non complector ambitu præsentis instituti. Attendo *solum* ad *ea*, quæ ex *nostra* fluunt rerum expositione, quatenus *aliquid proprium* aut habet, aut habere creditur; præcipue autem illa non negligam, *si qua* Systematis nostri partes officiis hominum demonstrandis aut urgendis *obesse visa* sint, sine culpa sua. Namque id fieri potest, ut *eadem* sententia diversi mode spectata possit aliis *incommoda* videri, *&* *utilis* haberi aliis in eodem negotio. Quis nescit, eundem *Malebranchium* suas à duplici extremo sententias morales defendere coactum esse ab adversariis diversi generis, *Cel. Regio* Epicureismum illis & *voluptatum* sensualium patrocinia imputante, *Cl. Lamio* Quietismum illis & *amorem* Dei *purum* superstruente, *utroque* ab sententia Philosophi, ex ipsius quidem testimonio, abludente? vide, si placet, vitam ejus ab ingeniosissimo *Fontenellio* scriptam elegantissimè, *Tom. II.* des Eloges Historiques p. 226. *seq. edit. Amstel.* 1720.

§. 433.

§. 433. Memineris vero etiam, si *ex nostris* officia thesibus deducamus, *nequaquam* id agi, ut *præjudicemus* aliis demonstrandi generibus. Potest *eadem* sententia *diversis* derivari fontibus; idem officium diversis persuaderi *motivis*. Non igitur aut nova eruere officia studebimus, aut derogare aliorum argumentis: Volumus *nostra* accommodare *usui*, ne solam illa speculationem occupent, sed animum quoque Lectorum inflectant ad virtutem; quem ego præcipuum cognitionis *metaphysicæ scopum* facio; non illam magni habiturus, quæ neque ipsa per sese, neque aliis mediantibus ad divini Numinis cultum excitare valeat. Igitur honorem ceteris præfati, ad nostra accedimus.

§. 434. Equidem generaliter *Ill. Leibnitius* admonuit, quænam ex suo systemate corollaria fluant moralia, in principiis Philosophiæ §. 92. 93. vid. Supplementa Actorum Erud. Lipsiens, Tom. VII. sect. XI. p. 513. 514. Sed vero illa *per aphorismos* dicta *Interpretem* postulant rerum aliunde gnarum, aut lectorem fatigare nimium solent. Optime omnem illam causam *Excell. Christianus VVolfius* exegit, in Institutionibus Moralibus, quibus metaphysicæ suæ consectaria dilucide explicuit & asseruit. Ingrediamur *medii* inter *illius* Aphorismos & Systema *hujus*, ea solum enarraturi, quæ ad hanc præcipue causam pertinent, *avulsa* ceteris, sed *connexa* tamen argumentis, quibus illa deducemus.

. 435. *Tria* sunt, ad quæ respicimus po-
imum: 1. Quod *mundum* Deus *velit* & fa-
t *optimum*, id est, tantum boni comple-
n, quantum obtineri in aliquo mundo
test. 2. quod mundum illum *systema* fece-
, cohærentibus mutuo rebus creatis, sed
ordine, omnibus 3. quod id *sapientia*
us ordinante factum sit, quæ res mutuo
nnexas spectet, ut media atque fines. *Of-*
a autem *dupliciter* spectabimus, alia 1. cir-
actiones nostras versantia: alia 2. circa *paf-*
es. Erit locus nobis enumerandi tum ea,
bus sufficiat Philosophia *inculcandis*, sub di-
so formali, tum ea, quibus illa *præstandis*
sufficiat, altius expectatura subsidium.
itui *meminisse* eorum, *quæ* in secunda se-
one *distuli*, & ad quartam relegavi: si quid
te festinanti omittatur, non id studiose
tum existiment Lectores *Benevoli*, sed è
teris haud gravatim, ut fieri poterit, ipsi
npleant.

§. 436. *Primum*, quod circa actiones crea-
arum intelligentium attendo, *hoc est*, ex
nsideratione Bonitatis divinæ, & volun-
is antecedentis, primitivæ, inclinantis,
l seriæ, velle Deum, & ferri in bona o-
nino omnia, in consequenti decretoria
lle optimum, adeoque tantum appetere,
sic loquar, boni, quantum obtineri in
undo potest. *Generaliter* quidem id vulgo
gnitum est, & concessum, *esse divinas per-*
tiones, præcipue cognitas, *exemplaria no-*
bis

bis & *creaturis* intelligentibus omnibus, quæ teneamur exprimere imitationibus nostris. Itaque *& hanc* Dei in bona omnia propensionem & in obtinendo optimo curam esse *exempli loco*, cui conformandæ sint volitiones atque appetitus & operationes nostræ. *Facilius* id *negotium* Deus *reddidit*, quando mentes creavit ejusmodi, ut nonnisi bonum queant appetere, & à bono omni cognito, ut tali, alliciantur: ita enim indice digito ostendit, *cui scopo* facultates nostras *destinaverit*. Neque id argumentum contemsero distinctius evolutum. *Pressius* hic tamen philosophari datur, ubi ad divinam circa mundi perfectiones augendas voluntatem attenderis.

§. 437. Compone si placet, *ista duo* in substantiis intelligentibus. *Novimus* Deum homini facultatem indulsisse, qua possit ipse sese in suis actionibus determinare, appetendo prout visum fuerit expedire; dedisse aliam, qua possit in existentias rerum suis influere viribus, & actionibus, determinando illas quoque in casibus quam plurimis ex sua voluntate: Dedisse facultatem denique intelligendi connexiones consensusque rerum & dissensus, bona & mala, perfectiones atque imperfectiones. Hæc ex *uno latere*: Ex *altero novimus*, Deum seria, quantum fieri potest voluntate in id conniti, ut tantum in suo opere bonitatis atque perfectionis existat, quantum eo licet comprehendere. Num

ex

ex utroque conjunctim sumto *intelligitur*, Deum velle, ut homines quoque suas ad promovenda & amplificanda universi bona facultates convertant, inquirendo in modos, occasionesque & media & vires & virium applicationes, si quibus forte bono publico & communi valeant prodesse; appetendo occasiones & media fini illi accommoda; aversando contraria; denique adhibendo in ea re prosequenda studium ac curam suam universam? *Num sequitur*: teneri unumquemque omnibus prodesse, quibus possit? & ex animo plane? & quantum possit? *Difficilia* hic *præcepta* loquor: Sed quæ ex antecedentibus consequuntur. Tum vero id *non est Philosophi*, præcepta laxare ob exempla, sed exempla & actiones dirigere ad præcepta.

§. 438. *Finge*, homines ex divino instituto & voluntate *non teneri* ad faciendum tantum boni, quantum fieri potest, extensionis, intensionis aut protensionis ratione: *Sequitur* profecto, *DEUM non velle* serio, ut tantum boni in hoc mundo obtineat, quantum possit obtinere. Igitur, si hoc certum est, ut ante evicimus, si divinæ bonitati & voluntati contrariatur oppositum: Sequitur id divinæ *bonitati* (ut exemplari) & *voluntati* (ut finibus suis intentæ) *adversari*, si quis negligat præstare bonum, quod possit. *Negligit* ille vero, qui posset intellectum imbuere cognitionibus ejusmodi, quibus aut di-

stinguere solerter bona & mala, vera & apparentia posset, aut cognita (generaliter secundum qualitates suas) animo etiam efficaciter persuadere, & individualiter, atque ita seipsum non præparare solum, sed etiam potenter excitare ad agendum; qui posset, inquam, nec facit. *Negligit*, qui posset animum fortiori virtutum amore & vitiorum odio imbuere, quam imbuit; præcipuè, si eo facto accidat, ut aliquando molestam sensibus virtutem omittat excolere, tentationem fortius blandientem nequeat superare. *Negligit*, qui aut facultatem benefaciendi sibi non comparat, quantam potest, aut comparatam collocat imprudentius, atque omnino sic, ut non tantum ea boni in mundum inferatur, quantum aliter applicata posset inferri. *Non sufficit* agere *bona*, *necessum est* agere plurima & maxima quæ possis, agere igitur *optima*, *si* divinæ quidem voluntati attemperare tuam, & consequentes illam actiones *volueris*.

§. 439. *Debes* autem id & *velle*, & *agere* nisi divinis obsistere finibus, & restringere velis effectum voluntatis primitivæ universalis. Id vero *creaturam* sisteret auctori *repugnantem* suo. *Quo* id *fructu*? facile intelligas, & ad eventus cognitionem cohorreas. Igitur officio attende, & agnosce debitum. Deus vult tantum fieri bonorum in universo, quantum potest fieri: Vult igitur Te agere, quantum potes agere. Quod Deus te age-

:re vult & serio, ut ante diximus: quid-
.d debeas velle similiter & agere? *officium*
ur id *Tuum est*, subservire divinis finibus,
fectionem mundi maximum postulanti-
;: quid inde consequitur? Num illa *ge-*
ilis officiorum *regula* stabilitur: conan-
n esse, *ut teipsum perficias & circa te alios,*
ntum fieri possit. Ita arbitror sane, atque
mihi ingero, & *persuadeo:* Non quod *fa-*
negotium & *in* meo positum *arbitrio* exi-
iem, sed quod *debitum* & *difficile.*

440. Utinam id intime animis inhære-
ıumanis, divinos fines poscere, ut *tan-*
unusquisque boni perficiat, *quantum* Deus
ltatibus ipsius indulserit. Quantus ea re
:ntus obtineri posset inter actiones homi-
ı & divinam de illis voluntatem! quam
undi bonorum operum forent *Potentes!*
m quieti *imbecilles*, nulla sua culpa tales!
n *omnes* in benefactis *æmuli &* solertes, pro
ıuisque facultate & occasionibus! quam
nimo *turbati*, qui suam hac parte cul-
vel tacite intelligerent! quam *in commo-*
ndo neglectu antecedenti forent *studiosi!*
n *sapienter* homines bona *distribuere*, &
rnere casus allaborarent, quibus optime
am collocare suam possent, & prodesse
mum! quam augeretur *divinum* in ho-
bus *beneplacitum*, ubi singulos in sua
itatis sphærula æmulari divinitatem Opti-
Maximus rerum Conditor intueretur,

atque in seipso gauderet beatissime! quam eo casu intelligerentur *divitiæ*, *Naturæ* rerum implantatæ divinitus, si in *communem maximum* omnia usum verterentur! quam illi *intime gauderent* & exquisitissime, qui actiones suas deprehenderent ejusmodi, ut nihil se ab divino fine scienter, aut culpabili inadvertentia deflexisse penitus confiderent! Nimirum *hæc via* est *ad harmoniam* rerum omnium inter se & cum divinis finibus *universalem* felicissime obtinendam! *Hoc medium* est, quo homines fieri possunt *Dei imagines* Philosophico sensu, id est, in suo genere & modulo imitatores! quam illa *homine digna* est occupatio! quam divino *Numini accepta!* *utinam* inter omnes *frequentissima!*

§. 441. *Deprehendi* etiam aliquando *non inefficax* hoc argumentum, atque ab bene agendum animi *motivum*: si quibus id Lectoribus utile fuerit vel in minimo, quod incurii putaverint, peccatillo evitando, aut sectando bono opusculo, operæ me pretium fecisse arbitrabor. Ex enarratis hucusque thesibus hoc consequitur: *quantum* unusquisque *boni* habet, molitur, agit, *tantum* ille *inter objecta* divinæ *approbationis* pertinet, & *motiva* electi hujus potius, quam alius mundi; ingreditur enim eo respectu in computum perfectionis, cujus intuitu optimum Deus decernit & facit. *Quantum* ille *mali* continet, molitur & agit, quantum omittit boni

boni ex sua facultate possibilis, *tantum inter defectus* pertinet, objectum aversationis futurus, & *motivum* (non electionis, sed) *rejectionis*, *nisi* ceteris simul rebus in toto optimis esset *implicitus*, eaque ipsa cohæsione *infelicissimus*. Fateor id animum *suaviter* meum afficere, & penetrare interius, si cogitavero, agentem bona esse inter *objecta* divini *beneplaciti*; quid eo felicius esse potest? & esse id *eousque*, ut *non* ipsi *solum* in sese spectato beneficium existentiæ, tanquam futuræ felicitatis fundamentum, potuerit, approbantibus bonitate & sapientia, adeoque sub divino favore, primitus decerni & conservari hactenus; *sed* ut ipse *etiam* motivum fuerit divinæ voluntati (pro sua tamen exigua parte) ad producendam è possibilibus hanc, cui ipse idealiter innexus fuerat, rerum universitatem. Num id nihili est, *esse* inter *vestigia* divinæ *bonitatis* & *sapientiæ*? *conferre* suis operationibus *eo*, ut perfectissimum id opus sit, quod productum est divinitus? ut *Deus* illo *acquiescere* possit beatissime? ut summam ejus intuitu gloriam ipse sibi conferre? Ex adverso, id mentem *graviter* meam turbat, si meminero, agentes mala, esse inter *objecta aversationis* divinæ *usque eo*, ut quasi *ingratiis DEI* inter existentia deprehendatur, *non* suo ipsius intuitu comprehensus, *sed* eo respectu potius exclusus, solius *tantum* ordinis & Systematis & rerum aliarum ipsi cohærentium causa admissus; *qui*, tantum ab-

abest, ut felicitatem ex ea connexione trahat, ut *hoc ipso* sit longe *infelicissimus.*

§. 442. Nostis *dictum* divinissimi Servatoris *JESU CHRITI* *Meliorem ejusmodi hominis sortem fore, si nunquam existeret.* *Simile* illi *aliud* hic *philosophice* intelligitur. Tale illud est: *Meliorem eorum sortem esse peccatorum, qui optimo non cohæreant rerum systemati, quam qui cohæreant*; quid ita? inquis: Accipe *argumentum* rei. Specta hominem malum *in seipso* singulatim: fieri non potest, quin divinæ aversationis objectum agnoscas. Quid inde colligis? Num sequitur: eum, si extiterit, fore infelicem divina sic flagitante sapientia: Nimirum *a sapiente aliter* collocari *non* potest, quam ut factis consectaria consentiant, immediata & proxima, aut mediata & remote sequentia. Si *in optima* rerum serie ejus existentia comprehenditur; *indulgetur* illa quidem homini, sed ita plane temperata, atque ordinata, ut consentiat sapientiæ, modo quem diximus. *Si minus*: hæret ille inter possibilia *nunquam* actualis. *Posteriori* casu neque felix prædicari potest, neque infelix dici: *Priori* infelicissimus haberi debet, tanquam in optimo cetera mundo, suo tamen facto, miserrimus. *Num* illi *conduceret*, optimi potius mundi partem non esse, quam *esse* aliquam, non ut perfectissimi tamen, sed ut imperfecti: *esse* objectum non amoris, sed indignationis: *esse* partem, non quæ suadeat ejus mundi productionem, sed quæ dissua-

deat:

deat: *esse* partem divinis finibus, antecedenti primitivæ voluntati propositis, non consonantem sane, sed detrahentem plane: *esse* partem ex sapientia miseram, non ex bonitate felicem. Eant igitur isti homunciones, & *glorientur* se optimi mundi partem esse, non male secum agi posse, pertinere se inter fines divinos, & quæ sunt cetera non intellectæ hypotheseos specimina! *Ego aut* divinis me finibus accommodare nitar, *aut* non cohærere mallem optimæ rerum seriei. Sed vero *primum* unicuique licet: *Illi* igitur *incumbamus* quam diligentissime!

§. 443. Scio, *non* illa *omnibus æqualia* videri momentis suis argumenta; neque omnia ab omnibus animi dispositionibus admitti. Equidem id factum generale est, & omnibus ad virtutem motivis commune; sunto autem *illis* proposita, quibus mature pensitata possunt figere aculeos & argumenta fieri virtutum. *Ceteri in illo* maneant, *quod* divinis adversentur finibus, quicunque minus boni præstiterint, quam pro facultate divinitus sibi indulta potuissent: *quod* igitur generale omnium id *officium* sit, conniti ad perficiendos secum omnes alios, quantum fieri potest. Dixi, *quantum fieri potest*, neque id exaggeratione dixi, aut Rhetorica enunciatione: Intuli illud ex divina circa mundum voluntate; & postulavi non bona solum opera, sed plurima illa, & maxima, §.

438. & 439. *Neque* illud *commune* hominum non satis attendentium *judicium moror*, quod eleganter more suo *Ill. Fontenellius* extulit, de Philosophia *Malebranchii* Practica locutus: „ Le P. Malebranche tire tous nos devoirs des principes, qui lui sont particuliers: on est *surpris* & peutetre *faché*, de se voir conduit par la *seule* Philosophie aux *plus rigoureuses* obligations du Christianisme. On croit *communement*, pouvoir etre Philosophe à meilleur marchè. Vide vitam ejus l. c. p. 223. 224. Possem similiter specialia omnia deducere ex principio memorato. Non id vero est præsentis instituti, §. 432. 434. quo id solum agitur, ut de *consequentia officii* ex *nostra* de optimo mundo sententia Lectores solliciti admoneantur. Cetera, si cui arrideat intelligere, quo modo & argumentis ex eo generali, quod diximus, officio reliqua suo ordine & nexu omnia, propius aut remotius, faciliusque aut difficilius, legitime tamen singula, inferre liceat? ille aut per seipsum rebus attendat, aut Cel. *Christiani VVolfii* Institutiones ante memoratas evolvat.

§. 444. Dedimus *aliqua prima* sententiæ consectaria: dabimus nunc *alia secunda*? *pauca* tamen, quod *pleraque* ex *conjunctis* invicem omnibus *tribus* emergunt. Optimum Deus mundum fecit: ita vidimus sane. Disjectum ille chaos est? an systema cohærens? *Systema* approbavimus in antecedentibus, & aliquando

do argumentis nostris involvimus. *Male* id *nonnullis* audit, si tantum in mundo systematis admittas, ut ordine omnia definito sibi succedant. Num ille *nostro* quoque systemati metus deroget: diximus partim in prioribus §. 74--77. partim proxime dicemus, ubi tertiam secundæ sententiam conjungere dabitur. *Hic* illa *attendimus*, posse ex ratione systematis argumenta erui adversus vitia & pro virtutibus. Cohærent illa: neque adeo sollicite nobis discernentur. *In systemate*, admisso *uno* absurdo sequuntur *plura*. De *idealibus* id Aristoteles edixit: De *realibus* idem dico. *Privationes* esse privationum feraces, ante ostendimus §. 248. & vel exemplis liquido deduximus. *Moralia* mala esse *physicis gravida*, adjunximus §. 255. atque illa ipsa admonuimus exporrigi non in *remotissimas* solum *gentes*, sed in *tempora* etiam longe post *sequentia*. §. 347. Utinam *consequentiis* attenderent mortales, ubi ad peccandum pelliciuntur. Præstantissimæ *illarum* meditationes forent, quas §. 255. initio diximus: sed & *alteras* juvaret frequentius attendere.

§. 445. *Si systema* est hic mundus, ubi partes antecedentes influunt in consequentes, tanto in consequentibus plus mali erit, ordinarie & naturaliter, quanto plus est in antecedentibus; Si *animæ natura* est, ut, quod semel voluit, facilius deinde velit, etiam obscure cognitum: tanto illa facilius & crebrius

brius peccabit, quanto peccavit antea frequentius. *Non* id systematis ratione deducitur, quod *abjicere habitus* liceat, ut placet; *difficilis* isthæc opera est, & tenacior consuetudinum adhæsio, quam ut exui sine labore & contentione possint, præsertim malæ. Nimirum ex sensibus est tentatio ad malum, hoc est, *ex cognitione* bonitatis confusa, aut etiam *obscura*: si obscuram sequi decissionibus Tuis & confusam occoeperis, *nullo* Tuo *labore* opus est; Offeruntur enim. Itaque *facile* est habitum *induere*: Sed *exuere* illum est *tanto difficilius*, quanto magis animum à distinctis rerum meditationibus abstraxeris: neque ita crede, id *unico* voluntatis actu perficitur, ut quotiescunque tentatio animum subit, ejus Tui statuti, quo distinctam Tibi cognitionem semel imperasti, *subinde memineris*; atque, ut ita *fortiter* memineris, ut hic & nunc suspendere contrarios motus velis,& serio velis, donec ad Legem omnia exegeris: multo minus, ut *facultatem* tibi *imperes* examinandi rerum momenta & distinctius pensitandi; *acquiritur* enim illa, non imperatur, exercitio debetur, non decreto. Proh! quam illi misere *falluntur*, *qui* in sua potestate ponunt, interrumpendi cursum suarum appetitionum, *ut libet!* quam illi rei insufficiens est *qualiscunque* voluntatis actus! quam non exuuntur *uno momento* habitus; quam non immutantur *uno actu* principia judicandi! quam non

,*ictu* abscinditur cohærens malum! *Dubi-*
? attende homini *dejerationibus assueto*,
l perfecte serio voluntatis decreto eam
i consuetudinem prohibenti. *Quid facilius*
letur, quam omittere aliqua inter sermo-
iationes verba, & pauca illa quidem, &
nnino talia, ut nullis hominem utilitati-
s, aut blandimentis sensuum alliciant. *Et*
ro *quoties* ille edisseret, quibus non atten-
! *quoties* attendet, sed ira & effectibus sti-
ılatus; in casu individuali aliter statuet,
am statuerat in generali! Si *incogitantiam*
: solum accuses; etsi illa ad secundam hy-
thesin non pertineat; etsi & ipsa nobis
liciat, ad ostendendas peccatorum seque-
in homine obvias, neque ipsius imperio
ıpliciter subjectas: *aliud* Tibi *exemplum* da-
, quo incogitantiam minus, quam assue-
linem judicandi accusare licet. Fac esse
ıuem *dicacitati* assuetum, & dicteriis in
ɔs nocentes aut innocentes malitiose in-
quendis gaudere; *fac illum postea* de injusti-
convictum *serio* factum detestari, & *sta-*
e apud animum, quod abstinere in po-
um similibus velit. *Quoties* ille aliter in
ticulari constituet, quam in generali fe-
at, *si* occasione commode sic ferente,
t detrahere illis, quibus male cupit; *pos-*
avorem aliorum acuminibus & maledi-
captare; *possit* subtiliter & malitiose dicto
enium ostentare; *possit* æmulum submo-
:; *possit* prurientem blande affectum ex-
plere,

plere, & quæ ſunt ſimilia? *quoties* ille ſtatutum generale, etiam præſens memoriæ, reſtringet, caſum unum atque alterum excipiens? *quoties* in priorem conſuetudinem relabetur?

§. 446. Talia poſſent *plurima* admoneri, omnia *illo* deducta *argumento*, quod & in animis hominum conſtans aliquis cogitationum atque appetituum ordo ſit, quo antecedentia influant in ſequentia: Sufficiant *illa* vero de conſequentibus *in ipſo homine*. Sperem; plurimos ſibi magis attendere, ſi meminerint, implicari ſe malis, niſi caveant ab initio, neque ita facilem in ſubſequentibus medicinam eſſe, atque illam in principiis experirentur. Quis dubitat, graviſſima non admiſſuros fuiſſe plurimos, ſi in principio conſequentiam ſubiiſſet cogitatio, præſens animo & familiaris. *Sunt quædam vitiorum elementa*: *Juvenalis* verbum eſt, & omnino congruum; cohærent enim alia aliis, & deducuntur. *Num ille deſes* foret in addiſcendis & perſuadendis animo ſuo morum præceptis, *qui* cogitaret, neglectis motivorum præparationibus haud raro tantum ipſi non ſuppetere argumentorum, ut tentationem ſuperet feliciter? accidere, ut blandimentis ſuccumbat in ſpeciem bonis, reipſa tamen & in conſequentibus ſuis longe infeliciſſimis? *Eximius* vero ille *ſyſtematis fructus* foret, ſi ea conſideratione moverentur homines ad proſpiciendum ſibi in futurum; ad inculcandas

imo virtutum ideas, motiva, regulas,
litates; ad pernoscendas penitius pecca-
rum occasiones, naturam, turpitudinem.
mirum *id cohæsionis* est inter *ideas* animæ,
præsentes simul excitent antiquas, quibus
tea conjunctæ simul in animo fuerant, aut
ibus cum aliquid commune habent, præ-
uè si frequentius illarum mens memine-
, adeoque & pluribus illas rebus conjun-
it, & sibi eo facto familiariores reddiderit.
mirum *ita facilius* animo præsto esse pos-
it præjudicatæ olim sententiæ, & fortius
llum agere; hic *modus* est *inducendi habitum*
tutis, & facilitandi ejus exercitium.

§. 447. Sed vero & alterum considerari
retur, ubi de *consequentibus* mali *in aliis*
mo est hominibus, sive exemplo solum
enderis, sive effectibus malorum proprie
bus. De *exemplo* res peculiarem plane
ctationem meretur: quoniam plurimis il-
onis atque malis inferendis idonea sunt,
caciter & diversimode. Sed vero illa
a persequemur hac vice. Dabimus spe-
ina meditationum *de fœcunditate malorum*,
lia inter homines frequentius considera-
expediret. Admonuimus §. 347. quam
male factorum consequentiæ *diuturna*,
uctoribus suis *superstites*. *Quo crebrius* eam
recogito, *eo* est mihi *formidabilior* malo-
a successio, & quasi *genealogia* subinde ani-
r, & *in ramos* diffusa, semper amplior es-
Non

Non eo solo absolvitur reatus peccatoris, quod ex ipso *immediate* facto ejus consequitur. *Quicquid* post longa demum tempora pullulat ex radice, Tua opinione dudum emortua, *id Tuum est*, & reatum Tibi inducit, Philosophia judice, & præcipuè recentiori. Quod *de præteritis* dici *alioquin* criminibus solet, venire in illorum communionem, qui *vestigiis* insistant: Idem multo adhuc apertius de *futuris* intelligitur; atque ad illos pertinet, qui vestigia faciunt sequentibus. Neque ad illa solum restringitur, quæ in *eadem* specie committuntur; pertinet ad illa quoque, quæ *utcunque* ansam è prioribus, aut causam sumsere.

§. 448. Pertinet huc illud *Juvenalis* * *sapienter dictum*, quo *excusationem* redarguit eorum, qui non satis cauti prima vitiorum elementa aliis facto, dictove suo instillarunt, successum vero & augmenta illorum sibi ea de causa deberi negant. „ *Hæc* ego *nunquam* „ mandavi, dices olim, nec *talia* suasi: Men„ tis *causa* malæ tamen est & *origo* penes Te. „ Nam quisquis magni census præcepit amo„ rem, & lævo monitu pueros producit a„ varos, & qui per fraudes patrimonia con„ duplicare dat libertatem, & totas effundit „ habenas curriculo: quem si revoces, sub„ sistere nescit, & te contemto rapitur, me„ tisque relictis. Nemo satis credit *tantum* „ delinquere, *quantum* permittas: adeo indul„ gent sibi *latius* ipsi . . . . . . Ego ignem, cujus

* Sat. XIV.

„ Ergo ignem cujus *scintillas* ipse dedisti, flagrantem late & rapientem cuncta videbis: Nimirum ita est, scintillas fortasse aliquas dare videris, facile restinguendas: illa nutrimentum nactæ *latius* grassantur, & *fortius*, quam videbatur futurum. Cujus id *factum* est? *Tuum* sane, qui meminisse & poteras & debebas, succedere sibi series appetituum, neque id in potestate positum tua, eximere semina fœcundæ illata terræ, aut eradicare illa tam facile, atque ista serere poteras. Id in potestate est, *novas* futurorum malorum causas Tuo facto *inferre* huic rerum seriei: *illatas* reprimere, aut omnino *tollere*, aut efficaciam illorum omnem opposita Tua medela sufflaminare, *neque* in teipso potes perfecte, *multo minus* in alio. Atque ut *hoc* vitii genus homini, per Te olim corrupto, oppositis denuo molitionibus dissuaseris: fecisti & *in cetera* proniorem eo vitii tui contagio; & *quis illam* homini propensionem eximit?

§. 449. Utinam frequentius id *præceptum* inter nostros quoque occurreret, quod non sine voluptate *apud Confucium* conspexi: Explicat ille præceptum utique vulgatum, sed nobile: *quod Tibi non sis fieri id alteri non feceris.* Inter *plura* ejus specimina & applicationes omnino præstantes, placuit illa quoque, quæ ad majores refertur & posteros. „ *Quod* „ *Tu odisti in antecessoribus, in eo ne præeas Tuis* „ *posteris: & quod odisti in posteris, in eo ne se-*

quaris antecessores,, Optime id vero! quis non exhorreat ad intuitum peccati, si meminerit, *effectus* facti sui turpis *perennare* inter homines (loquor Philosophice) & in futura longo ordine secula fructus protrudere, omnes sibi debitos, cumulato in immensum reatu graves. *Excipis* forte hanc atque illam *peccati* aut *speciem*, aut *actionem* individualem, nemini cognitam, nullis igitur offensionibus prægnantem, neque talem, quæ multas post se sequelas trahere apta sit. *Num attendis* ad rationem systematis, vi cujus omnia determinantur ex omnibus! *Num meministi*, cogitationum quoque Tuarum esse series systematicas? quibus fiat, ut hæc vel illa cogitatio, tentatio, & agendi facilitas redeat animo, & afficiat illum & pelliciat ad similia, disponat etiam in genere ad sectandas sensuum blanditias, ad negligendum actionis ex norma Legis examen serium & distinctum, ad præcipitandum voluntatis consensum in casibus dubiis, & quæ sunt similia. *Nimis* profecto *abrupte de animo* suo homines arbitrantur: nullas in illo consequentias attendunt, nullas metuunt. *Aliter* illi, qui rerum æque externarum & idearum animo internarum cohæsiones intelligunt & systematis rationes recogitant frequentius.

§. 450. Equidem *specialia* & *in exemplis* dicta fortius pungunt, quam *generalia* & *in præceptis* solum aut ratiociniis exposita. Atten-

tendamus animum ad eorum *aliqua.* Non arbitror, aliquem profligati adeo pudoris existere, ut ausit scripta offensionibus plena vulgare, si intelligat, quantum inde reatum, & quam immedicabilem possit contrahere & contrahat. Putem, lascivientes *veterum poëtas* non id animo reputasse, quod eorum scripta post mille & amplius ab ipsorum morte annos corruptura sint hominum animos, & perniciem ipsis, & eorum opera infinitis etiam aliis allatura. Non ego quenquam arbitror *tam inimico* in humanum genus *animo* reperiri, ut *tantum* facinus *sciens* perpetrare ausit, & volens. Scilicet *illi* posterorum securi, *præsentibus intenti* voluptatibus, ignari, aut non attendentes consequentiæ, infinitorum malorum causam paucis licet aut factis aut dictis aut scriptis mundo intulerunt in perpetuum. *Utcunque* enim *illa* nunc omnia ex hominum, quaqua diffusi sunt, omnium memoria possent eximi: *non ea propter* tamen *&* *illa* simul mala mundo extuleris, quæ causa, aut occasione reliquorum ullibi prognata sunt. Et tenentur illi tamen, non minus atque ceteri omnes malitiosi aut incauti scriptores, tenentur, inquam, *de consequentiis*, suo sive facto, sive dicto *connexis. Vides quantum* facile reatum liceat contrahere? Accipe, *quam immedicabilem?* Nimirum, ut *Adrianus* aliquis *Beverlandius* de fugienda vitæ impuritate admonitionem *lascivis suis* commendationibus opponat:

Num ille præstare *potest*, *ut* omnes priorum Lectores incidant in posteriorem? *ut* interea nihil peccent prioribus corrupti? *ut* non propagent vitii contagium in eos quoque, qui parum de libellis solliciti, neque fontem suæ corruptionis intelligant, neque medelam illi postmodum, & sero nimis oppositam? *ut* ipsi illi, qui in posteriores admonitiones incidunt, flexilem illis mentem præstent: *Ut* non isthanc solum vitiorum speciem exuant animo, sed ceteras quoque omnes priori connexas, aut illius occasione exercitas? *ut* sententias animo omnes expellant, quas occasione commendati olim vitii, induerunt, atque ex illis successive intulerunt? Atqui vero, *nisi id* simul *omne* præstiterit, non omnes facti sui tristes consequentias intervertit, neque reatum ab se omnem devolvit. Vides, qualia ex systematis ratione consectaria fluant, deducta rerum in hoc mundo cohærentia: *Num* illa *utiliter* adhiberi reprimendis hominum cupiditatibus possunt? *Num* illa *cautos* actionum suarum autores & futuri solicitos præstare?

§. 451. Non excurram latius vel circa *hoc* exemplum, *cujus* intuitu *plurima* adhuc specialia liceret adducere, vel circa alia. *Unum addo* vitii genus frequentissimum, & præ ceteris *feracissimum* consequentiarum, communiter non attendi solitarum. Ejusmodi illud est, *si alter alteri detrahat*. Attendo iterum

ad hæc *duo*, ad *multitudinem* consecutionum & *immedicabilitatem*. Puto, *detractori* illud omne *deberi*, *quicquid* injuriæ alter ab illis patitur, quas calumnia sua instigavit; quicquid ab illis, quos tradita per manus & à prioribus propagata accusatio infensos innocenti & infestos reddiderit; *deberi* etiam illa, *quæ* ceteri ulterius progressi sua ipsorum malitiæ, sed fucum ex accusationibus sumente, addiderint; *quæ* rumor & vagi sermones occasionem è facto detrectatoris nacti, cumulate adjecerint: *deberi* illa quoque, si *quæ* innocentes irritati peccaverint; si *quæ*, inepta de talione sententia seducti, inter affectuum vehementias, vicissim læserint, iisdem postea consequentiis fœcunda; *deberi* defectus, & *oritura* ex defectibus illis *mala* quoque *omnia*, si quis effecerit calumnia, ut alteri decedat copia bene agendi, applicandi vires atque facultates suas ad res & negotia publice utilia, sive quod indignitate rei pertæsus nolit, sive quod impeditus nequeat. Namque ut isthæc *omnia suis* simul *autoribus* imputari & possint & debeant: *communem* tamen cum omnibus *culpam* detractor subit, primus universæ illius causæ motor, abs quo si foret, cetera ordine suo & legitime omnia procederent. Sed vero, *quam* ea *late* pateant mala, necessum non est edisserere. Sed *neque alterum* oratore opus habet. *Quis adeo* fidenter *de seipso* existimet, & *gloriose*, ut putet in sua id facultate positum esse,

ſe, ut omnibus illis malis uno fortaſſe verbulo, pœnitudinis qualicunque indicio, mederi poſſit: *quis ille eſt, qui* hominum animis dominatur? *qui* ſiniſtras de altero ſententias cum radicibus poteſt, quandocunque lubuerit, evellere? contrarias momento inſerere? factum infectum præſtare? damna prius illata penſare? latiſſime propagatas accuſationes ex hominum memoria eximere? reatum abſtergere à peccatis calumniarum occaſione & intuitu & ſtimulo perpetratis etiam ab innocente? &c. *Jejune* philoſophantur, ſi qui putant *ſufficere contrariam* poſtea teſtificationem: non illa tanti ponderis eſt, ut omnibus, quæ dixi, poſtulatis queat ſatisfacere. Sed *neque* illi *ſubtiliter*, qui benefactis culpam, vel ratione innocentis ſolius, elui poſſe arbitrantur: Namque illa *aut nimia* ſunt, novis adeoque in ceteros peccatis gravida, *aut* antea *debentur*, ex noſtra ſaltim Philoſophia prius demonſtrata, §. 438. 439. ut *nihil* de ipſo in ſeſe reatu calumniis contracto, *nihil* de ceteris dicam, quibus peccandi cauſam aut ipſum detractoris factum, aut falſo delati conſequens ex detractione impotentia dederit in præſens, aut futurum. Scilicet hoc demum eſt attendere ad rationem ſyſtematis, ad nexus rerum, anteceſſiones & conſecutiones mutuas.

§. 452. Pergamus *ad bona* quoque: Namque & illis motiva in ſyſtemate repoſita ſunt.

na actionis, fieri non potest, quin *bona* quo-
e *consequentiæ* sint: primum *in ipso* illo ho-
ine, *auctore* actionis; Namque, ut nullum
ud enarrari commodum possit, quo *fre-
ntior* in bonis exercitatio est, eo est *faci-*
& *fœcundior*. Cohærent virtutes quoque,
altera prognascitur ex altera. Si *difficilis*
victoria affectus: connitere fortius; nam-
e ita *vires augentur* vincendi in posterum,
getur agendi *alacritas*, augetur animi *con-
ntia* in difficilibus. Similiter habe de ce-
is. *Numquam* est conatus *perfecte irritus*,
non obtineas totum: *obtines* certo certius
nen *aliquid*; Si non in præsens, *in futurum*
nen; si non ipsum illud, quod postulas,
nen *aliud* eidem *congener*, & præambulum
te, aut cohærens. *Hortaris* ad virtutem;
que admittit monitum auditor tuus:
tis viam; neque sequitur tamen. Fatigat
animum, *ut pigeat* hortari amplius & in-
ere diutius. *Attende*, si placet, *nexui* re-
n & *proportioni*. *Non* potest *major* ex mi-
re causa effectus procedere: *non* potest ex
nte licet causa *nullus* consequi. *Ut* igitur
ibilis ille Tibi *non sit?* est aliquis tamen;
nondum plenus sit, est inchoatus tamen.
ivenit Systemati; ut quam maxime, illud
Andrea Maximiliano Fredrò dictum: „ qui
gere negligit, habere non vult, non „
ipiendo, sed perseverando res habentur. „
licet in systemate *effectus* causæ *proportiona-*
est & *congener*: Bonæ igitur actionis *bo-*

 num

num confide effectum esse. Sed *quantum* illum expectare liceat, id à juvantibus pendet, & impedientibus. Fortasse *nondum* sat argumenti est, ut effectum in præsens & sensibilem queat producere: Producet, *ubi plura* accesserint auxilia; recesserint impedimenta. Ostendimus §. 446. recte Iuvenalem; *nemo repente fit turpissimus*: Idem puta in universum dici, & majori jure; *nemo repente fuit sanctissimus*. Tempore opus, conatu, opera; potest tamen illa diversimode collocari; altero *applicationis modo* plus vires præstant eædem, & labor etsi non major. Id rerum quoque connexio fert & postulat: didicimus rem primo exemplis *corporum* & machinarum, indubie Systematum; tum vero & observatione *animorum*, eminentius talium. *Macte* igitur bono animo incumbe rei, & successuum secure *urge opus*, & insiste solers, dum perviceris, *namque aut* id dabitur Tibi, *aut* perfecisti, quod Tuum est. §. 439.

§. 453. Sunt plura, quæ ex Systematis ratione liceat deducere: properamus autem ad sequentia. *Duo* solum admonebimus. Pendet *ex ea* quoque *præceptum* longe elegantissimum, & *inter Sinica* obvium, Libro *Lun yu* dicto, Parte III. f. 34. & 35. edit. Parisinæ 1687. quam *Ludovicus Magnus* excudi jusserat. Num existimas, recte *Confu-*

cium

, penetrasse *moralem Systematis usum*, quan-
ita ad discipulum fatur? „ Est igitur „
litas illa, vel caritas, pietasve, quam „
go, mi discipule, affectio animi constans „
consentanea rationi, qua quis *abjecta pro-*
utilitatis commodive cura, *totius* orbis
nines amplectitur, haud secus *ac si unum*
d idemque secum forent, atque adeo
munem cum iisdem *sensum* tam inter pro-
ra, quam adversa & habet & prodit. Ex-
pli causa hujuscemodi pius ipsemet *desi-*
ans erigi ac *florere*, protinus consilio & o-
& opera etiam erigit quoscunque alios,
os vel nativa tenuitas imbecillitasque de-
ssos humi teneat, vel gravior fortunæ
ius ex alto dejectos afflixerit prostraverit-
e. Similiter ipsemet *volens* feliciter *res pe-*
rare, non sustinet videre alios, qui vel er-
nt coeci, vel laboribus ac difficultatibus
ti succumbant; sed ipse per se nihil non
itat ac molitur, quo opitulatur & his &
s, atque ita etiam penetrare faciat alios,
perstringere objectas difficultates, & ex er
rum ignorantiæque tenebris feliciter tan-
m eluctari. Hæc porro caritas pietasve;
i mortalium animis semel insederit, tum
ro *totus* orbis *unius erit* instar *familiæ*, quin
hominis unius instar homines erunt universi,
quicquid ubique rerum est, *propter* admirabi-
n illum summorum, mediorum, infimo-
m inter se mutuo *nexum* atque ordinem
ius & ejusdem substantiæ esse videbitur.

„ Scilicet *hoc est mundum* etiam moralem, civitatem ſpirituum *facere ſyſtema*, ſi communicent invicem omnia, ſi cohæreant officiis, adeo, ut una omnium cauſa ſit, & affectio, & in communes uſus opera. Ut *mala* ceteris incumbentia judicentur ad eos quoque pertinere. *Quis enim bonus, aut face dignus arcana, qualem Cereris vult eſſe ſacerdos, ulla aliena ſibi credat mala?* Ut *bona* ceterorum noſtris quoque laboribus, & ſocietatis viribus promovenda eſſe exiſtimentur; *mutuus ut nos affectus petere auxilium, & præſtare juberet.*

§. 454. Tum vero & illud probe velim adverti. *Nihil* eſſe *frequentius*, quam ut *in ſyſtematis rationem* homines impingant. *Volunt eruditi* eſſe, *nec operam* literis dare: *ditescere*, nec frugi eſſe: elevari ad *honores*, nec mereri: *edere*, nec laborare; *liberos* habere *morigeros*, nec attendere illis tamen, nec negare quicquam: *fidelibus* uti *miniſtris*, nec proſpicere ipſis de neceſſario: *amantes ſui conjuges* experiri, nec amare prius: haberi *virtuoſi*, & perpetim id quidem, & à perſpicacibus quoque & familiaribus, nec eſſe tamen: volunt audiri *preces*, nec fundere, uti debent: volunt *beari*, nec ordine tamen, ſed abrupte. Et quæ ſunt ejus generis pæne infinita. Eleganter in hanc partem *Perſius*;
„ Poſcis opem nervis corpuſque fidele ſenectæ: Eſto, age: ſed grandes patinæ, tu-
„ cetaque craſſa annuere his ſuperos vetuere;

re; Jovemque morantur. Rem struere," exoptas, cæso bove, Mercuriumque ar-," cessis fibra: da fortunare Penates; da pecus," & gregibus fœtum. Quo pessime pacto?" Tot tibi cum in flammas junicum omenta" liquescant? Et tamen hic extis & opimo" vincere facto intendit. Jam crescit ager;" jam crescit ovile; jam dabitur; jam, jam:" donec deceptus & exspes nec quicquam" fundo suspiret nummus in imo. Graviter" hic multa dici possent, & *specialia*: *supplebunt* illa *Lectores* tamen: neque si sapiunt, perpetua, & *indigna* DEO, *miracula* imperabunt *votis* suis atque *factis*, mutuo *repugnantibus*.

§. 455. Pergimus ad cetera. Monuimus, *tria* hic potissimum attendi §. 435. Eorum *priora* breviter executi sumus. *Tertium* illis nunc adjungere præstat, ut intelligatur quoque, quid ex divina *pro* obtinendo *optimo* cura, *systematico* rerum nexu, ut conjunctis *sapientia* nexum illum ordinanti consequatur. Dabimus etiam hic *aliqua* solum è pluribus. sed fortasse præcipua. *Primum* hoc est, in systemate sapienter ordinato, *nullum sine pœna malum*, nullum esse sine præmio bonum opus. Id secunda statim sectione asseruimus §. 77. *omnia* enim *ex omnibus* & pro natura omnium temperata sunt. Igitur & malis sui fructus destinati simulatque ordinati sunt, & bonis sui: *destinati*, inquam, & *ordinati* à sapiente, cujus eludere prudentiam, aut effugere

gere potentiam nemini licet. *Preordinari* igitur illi sint ab initio statim & comprehensi in systemate; aut suo *demum* tempore inferantur: *quoad* convenientiam consequentium cum antecedentibus, & consecutionum certitudinem *nihil* omnino *interest* intelligentibus; *præcipuè* si addideris id, quod nunc planius edisserere constitui, esse in illa ordinatione antecedanea *locum motivis*, & *finibus* morali respectu, non physicas tantum considerationes mediorum & finium. §. 76. 77. *Duo* sunt, quæ in hanc partem adstrui debent, *alterum* continetur universalitate, & certitudine consecutionis damnorum ex malis actionibus; *alterum* respectu eorundem pœnali. *Utrumque* ex antecedentibus liquido satis ita eruimus.

§. 456. *Imperfectionis* esset conditori debitæ, si creatura gauderet repugnantia sua & in Autorem suum rebellione. Talis ille casus foret, si *impune* divinam violare voluntatem liceret, malo adversantem & postulantem optima §. 438. 439. Imperfectionem *conditori imputabilem* sapiens Architectus *nullam* admittit. Credo, id in confesso esse: Sed hoc firmandum est, *dissensum* illum atque imperfectionem redundare *in opificem*, si quod male factum sine insequenti damno permaneat. *Quæcunque* imperfectio præsens exesse potest sine graviori incommodo: illam sapiens rerum conditor, tanquam sibi

imputabilem, non admittit; ex §. 266. seqq. Potest *autem* peccatum impunitum excesse mundo sine graviori incommodo. *Igitur* excesse illud divina omnino postulat sapientia. Ut minorem intelligas, & concedas, *duo* necesse est expendere. Certum est, peccata impunita *posse* mundo hoc *excesse* duplici argumento; *pone*, si placet factum esse ejusmodi, ut *naturali* consequentia *nullum* id damnum consequatur: indulgebo id hactenus tibi, etsi non concedam thetice. Potest illi tamen peccato *positiva* statui pœna, eademque *aut* ordine statuto, *aut* omnino ex abrupto & per singulare miraculum irrogari: Potest etiam *impediri* actio antecedenter, cui consequenter nullam applicare pœnam liceret. Igitur certum est; culpam impunitam posse ex universitate rerum excesse. *An* excesse possit *sine graviori* incommodo? Videamus. Non loquor de *primo* casu, quo difficultas non est, si ipsa naturalis rerum consecutio pœnas secum vehat delictis debitas. Loquor de *posterioribus*: atque illud diserte affirmo, *potius* id convenire, *ut aut* positiva actioni pœna superinducatur, *aut* impediatur peccatum, quam ut impunitum aliquod transmittatur. Quid ita? *gravissimum* hoc est inter omnia, læsionem Numinis, pugnam adversus conditorem esse sine consequentiis se dignis. *Quæ major* dissimilitudo esse, aut dissensus cogitari potest inter antecedentia & consequentia? Num ille

casus non est *ejusmodi*, ut miraculum fieri possit opus sapientiæ? §. 429. aut, *quonam* amplius potest, si hoc non potest? Num gravius est, *impediri actum* aliquem futurum, & impediri illum, cum aut sine præjudicio libertatis, *quam* impediri *vindictam* divinam, negligi altiorem facto *debitam?* Scilicet *gravissimum* illud est, quod divinæ repugnat majestati, & perfectionibus: *gravius* utique illo habebitur, quod solis rerum nexibus, ad ipsos illos perfectionum respectus exigendis, & subordinandis, contraire videbitur. Primum *immediate* & *simpliciter* pugnat adversus puritatem Dei, eminentiamque & sapientiam: si quid illi ob rerum nexus repugnet, *mediatum* illud est, & *comparate* dictum in dubio, aut electione plurium absolute non pugnantium. Igitur postremum priori concedere, quis ambigat? Igitur peccatum, si quod concipias, impunitum *exesse* mundo *potest*, sine graviori malo aliunde illato. Igitur *exest* certissime. *Igitur* peccatis *pœna omnibus* irrogatur.

§. 457. An proprie dicta & *formalis*? sub ratione pœnali? hoc *alterum* est, ex sapientiæ fontibus decidendum. Assero id vero, &, ubi pœnæ rationem declaravero, facile evinco. *Pœnam* dicimus malum passionis ob malum actionis: Fallor, an *pœnalis ratio* in illo consistit, quod antecedens mala actio sit motivum consecutionis ratione passionis:

tivum in voluntate ejus, à quo pœnam
imus irrogari? Id *ex sapientia* deducitur,
n de DEO sermo est, & mundi fabrica.
i universum ideale in omnibus suis conse-
ionibus spectat ut sapiens, & existentiam
ut sapiens decernit, ille consensum at-
dit consecutionum, mediorum & finium
ones ponderat, & *propter* illas *ipsas* conne-
nes egregie consentientes, id est, pro-
r perfectionem operis decernit. *Est igi-*
illa mediorum & finium consideratio,
consecutionum conformitas, est, inquam,
motivum voluntati, cujus intuitu eligit
: potius, quam aliud. Quodsi igitur eam
ım seriem sapiens faxit existentem, in
ı demeritum passio sequitur, & merito
:mium succedit: intelligimus, *illam quo-*
inter ceteras *consecutionem* fuisse à sapiente
:ntam, convenientiamque ejus fuisse *in-*
motiva electionis, pro hoc potius mun-
, quam omni alio. *Dupliciter* id intelligi
est, & *utroque sensu* debet. Primum *ge-*
iliter, consecutionum illarum conveni-
iam esse inter motiva electionis *mundi u-*
præ altero: est enim inter perfectiones
ndi idealiter Deo præsentis & ob perfe-
nes suas electi. Deinde *specialiter*, quin
m *individualiter*, *factum* antecedens esse
tivum *passionis* insequentis, & *hoc* factum
hujus passionis.

458. Erunt fortasse, quibus primum vi-
tur *avelli* posse *à postremo*, ita quidem,
ut

ut consecutionum illarum conformitas sit motivum pro Mundo *universim* spectato, ut hic præ alio producatur: non autem *in ipso illo* producto specialiter malum turpe sit motivum pone sequentis mali tristis: Sed *nisi & secundum* obtineam, pœnæ formalem rationem non exhiberi. Attenderint illi rebus, & intelligent *cohærere ista duo* in divina mundi æstimatione. Quid enim? si *mundum Deus* in judicio suo attendit, attendit *individualiter*, hoc est, cum omnibus suis determinationibus spectatum. Quodsi igitur *hunc* eligit *propter* convenientiam successionum ejus & coexistentiarum: eligit *omnes* ejus determinationes *propter* earum consensum. Igitur inter ceteras, & *hanc* mali tristis ad turpe consequentiam eligit *propter* ejus congruentiam. Igitur *vult*, *consequi* triste ex turpi *propter* utriusque habitudinem. Igitur *triste* vult consequi *propter turpe*. Igitur *triste* malum *consequens* est *pœna* turpis antegressi, id est, *peccati*, *sub ipsa*, quam postulavimus, & §. 457. explicavimus, *ratione pœnali*. Atque id erat ostendendum.

§. 459. Non est *hæc* de nihilo *theoria*, aut ingenio solum subtilitatibus pascendo congrua: *Maximi* illam *facio* ob rationes non unas. Admonui §. 221. consideratione sapientiæ fieri, ut *in* rebus quoque *naturalibus* venerari *divinos* fines & voluntatem, ut *Legem naturalem* liceat ostendere divinam, non

ori-

origine solum naturæ, sed *intentione obligandi.* Similiter in antecedentibus ex illo etiam respectu *supplevimus* §. 76. 77. quæ systemati corporum *mechanico ut tali* deessent. Scilicet hæc sapientiæ contemplatio est *vinculi* loco, quo *physica* cohærent moralibus; *corporum* universitas connectitur civitati spirituum; causæ *efficientes* conspirant finalibus; *Deus* machinæ *Architectus* consentit DEO Legislatori; *mechanismus* denique concordat providentiæ. Atque hoc est inter *præcipua* sane, quibus *sapientem rerum nexum* ab *necessitate fatali* discernimus; quo *morales* rerum considerationes, in absoluta earum necessitate exulantes, stabilimus: quo *errores* non minus, *atque abusus* doctrinæ de rerum cohærentia præcidimus. Possem facile fidem dictis facere, explicita rei enarratione, nisi considerem, ista plenius & perfectius exposita esse ab *Excell. Christ. VVolfio*, cujus ea de re *commentarium singularem* jam tum exponi publico intellexi. Igitur ista quidem Lectores mei, si placuerit, illic inquirant. Nobis breviter ea persequi constitutum est, quæ monuimus *initio* paragraphi, daturi operam, ut *apophthegmata* illa *Leibnitio* usurpata, & repetita nobis quoque in *differt. hypothetica de harmonia* animi & corporis humani, *maxime præstabilita* sect. I. §. 10. 11. p. 8. 9. Lectores nostri intelligant.

§. 460. Licet *in* rebus quoque *naturalibus* & earum consecutione, & *usibus* venerari di-

vinos fines & providentiam, si admiseris, Deum in consilio suo spectare universitatem rerum ut omnimode determinatam, hoc est, considerare mundum cum omnibus suis determinationibus. Scilicet ita *nihil boni* est in mundo, *quin* id Deus intenderit, & *illius* etiam intuitu & *motivo* hanc aliis universitatem eligendo prætulerit. *Num* illud in *ceteris* quoque hypothesibus locum habeat, in quibus aut consilium divinum electioni præsuppositum non ad omnia & singula respicere supponitur aut naturalia opponuntur moralibus, & consecutiones rerum speciales providentiæ subtrahuntur: *viderint*, quorum interest. Mihi illa perquam approbatur *Leibnitii sollicitudo*, qua sæpenumero admonuit, attendendum esse in divina mundi ordinatione divinum quoque consilium, neque excludendos ab ea consideratione fines divinos. Vid. ex pluribus aliis locis, *Journaux des Savans* 1697. 19. & 26. Aoust. p. 619. Scio, quænam *ambiguitates* intercurrant in quæstione vexata, qua *Cartesiani* negant in physicis attendendas esse causas finales: asserunt *alii* cum *Illustribus* Viris, *Rob. Boylio & Guil. God. Leibnitio*. Transeo illa prolixe *passim* tradita, & *variis* hincinde distinctionibus *non* semper *felicibus*, dirimi aut conciliari solita. Parum id mea hoc loco interest, an illa ad *physicam* consideratio referatur? an ad *moralem* doctrinam? etsi consentiam *Illustribus Viris*, quod in ipsa etiam physica attendi utiliter fines re-

rum

naturalium, atque ad causarum cetera-
investigationem aliquid conferre pos-
Hoc urgeo, *ineptam* esse *Epicuream*
usuum & finium *distinctionem*, cui *Pe-*
quoque *Poiretum* in suis cogitationibus
onalibus præcipiti impetu accessisse vi-
apud Cel. *Sturmium* in Physic. hypothet.
l. c. V. num. II. §. VIII. p. 215. Num
timus simul & *sapientissimus*, rerum con-
est, cujus opera *pluribus* adhiberi & in-
e bonis usibus possunt, quam ipse de-
vit? Num usus illos *non* omnes *novit*
ntissimus? aut *non* omnes *intendit* opti-
Num illam ipse *vim* qua possunt ali-
ono subservire, *non indidit?* num indi-
gnarus, & futuri securus? an sine inten-
& respectu usus futuri? aut, *num* illa
n usus, quem Deus intendit, *finis non*

481. Nimis illi anguste, & humano mo-
ilosophantur, qui in opere divino usus a-
cunt, quos negant esse fines divinos,
sferunt *ad divina*, quod *imperfectionis* est
imanis. Equidem id *in artefactis* fre-
ntissimum est, ut usus rerum plures sint,
veniantur sæpe ab aliis, quam intendun-
ab artifice. Id *triplici* fonte profluit: 1
o, quod combinabilitates hujus artefa-
m aliis rebus omnes non potuerit ar-
prospicere; *secundo*, quod usus etiam
isi possint indifferentes esse artifici, non
er id agenti, ut ultra destinatum scopum

pum plures alios, & possibiles rei omnes utilitates intendat: *tertio*, quod artefactum ex materia sua & natura rerum habeat dispositionem ab artifice non acceptam. *Quodsi* artefactum *nihil* haberet, *nisi* acceptum ab Auctore suo; si *praterea* intelligenter ille ageret: *nullis* utique usibus adhiberi machina posset, *nisi pravisis*. Si prævisis: utique etiam *intentis*, eo casu, quo opifex tantum boni nititur producere, quantum fieri potest. Igitur *illi aut* bonitatem intervertunt divinam, *aut* sapientiam elevant, *aut* creaturis bona adjudicant non accepta divinitus, quicunque usus rerum naturalium quoscunque negant esse divinos fines, hoc est, usus divinitus intentos. Neque sufficit cum *P. poireto cavillari*: „ quicquid à Deo differat, id neque *motivum* neque *finem* ejus esse; adeo quidem, ut neget *gloriam Dei* esse *finem* creationis rerum, quæ exstant; esse *usum* solum, & *occupationem* earum. „ Equidem, qui *sine fine* agit, *sapienter* non agit. Qui *sapienter* agit, *per* media *ob* finem agit. *Usus* rei ab auctore *intentus* est *finis* ejus: *occupatio* intelligentis creaturæ divinitus *intenta* est finis quoque divinus. Qui *secus* sentit, *sapientiam* in *opere* divino *nullam* relinquit.

§. 462. *Quodsi usus* rerum naturalium divini *fines non sunt: unde* intelligis, *velle Deum*, ut agrorum sterilitate admoneantur homines de vitanda luxuria, colenda potius tem-

pe-

intia, quærenda admissorum venia, &
ela adversus vitium adhibenda? *velle*
m, ut, cum tonat, potentiam ipsius,
tempestive pluit, bonitatem, cum
dantur mala, onganimitatem, cum in-
int calamitates, justitiam venerentur?
Deum, ut observata vicini morte, ut
pente somno, mortis imagine, ut in-
escente morbo, mortis prodromo, exi-
ex hac mortalitate tuum cogites? *Velle*
n, ut lucentibus novis astris, fulgenti-
cometis, intereuntibus astris, ut obscu-
cœli luminibus, & quæ sunt ejus gene-
ifinita, Deum & perfectiones ejus, ani-
ique Tuam & illius ad divinas leges exa-
mediteris? Unde, inquam, intelligis,
id Deum, non permittere solum, ut ea
sione utaris? si *usus solum* est, *non inten-*
ed præter divinam intentionem acce-
: non id dici potest, *velle* Deum, *ut* sie
. *Si usus* est Deo *intentus*: est finis plano.

463. Scilicet ita intelligitur, quemad-
um *mechanismus* sapienter ordinatus hoc
ipsa naturalium rerum consecutio, ad
orem ducat? quomodo *naturalia* rerum
iomena haberi possint *divini monitores*?
ant illi, & *inscitiam* large *produnt* suam,
i negant, *DEUM* verbigratia phænome-
Vaturæ rarioribus id *intendere*, ut ex secu-
excitati homines veternum excutiant,
oque suo & divinis rebus attendant; si

qui id negant, inquam, *eo argumento*, q
naturalia illa sint phænomena, natura
causis *grandinem* ferentibus, aut *sterili*
vineæ inducentibus. Num ille *naturali*
suum *finem* rebus non utitur, qui ex omn
possibilibus illam rerum universitatem
git, qua *plurimam* mediorum & finium
hæsionem licuit comprehendere, & *eo*
motivo selegit? Num ille *usus* ejusmodi *n*
tendit, qui tantum in suo mundo boni in
dit, quantum fieri potest? *Absit*, *ut* il
pugnent invicem, esse *naturale*, & esse *m*
divinum, esse *motivum* intelligentibus
gnoscendum glorificandumque condito
Sequuntur ejusmodi *portenta* in *hypothesi*, q
perstrinximus §. 157. Ubi *intelligentem* n
causam *non* præsupponit: media quide
usus rerum, non fines licet admittere.
cus est, *ubi sapientem* Naturæ opificem ve
ris, *tantum* suo systemate boni intenden
quantum obtineri unquam potest, neq
generali solum operis contemplatione
singularibus omnino omnibus invigilant

§. 464. Quodsi enim, ut ante adstruxi
perfectio illa *totalis*, cujus intuitu hunc
mundum ceteris antehabuit, *ex omnib*
dividualibus & *singularibus* conjunctim
tat: manifestum est, *singulas* illas pro
pondere & mensura aliquod in divino
silio momentum habuisse, attentas e
partem motivorum divinorum fecisse. N

adeo *providentiam*, his considerationibus conjunctam, esse generalem solum, esse illam potius *ad individua* in universum omnia extensam, non executione solum operationis divinæ, sed *intuitu* ipsius *consilii*. Ideo *hanc* *hoc* ordine Deus naturam *fecit*, etiam *ab initio*, quoniam *sic* vidit obtinere se posse, ut concordent successiones *antecessionibus*, præmia *meritis*, *demeritis* mala, *precibus* legitimè fusis eventa, *mediis* fines. Neque ille *physicus* solum respectus est: sed *moralis* plane. Aut ego nihil omnino rerum intelligo: aut *ille* rebus *providet* suis, non generaliter solum, sed specialiter, quin *individualiter*, & *omnibus* plane & *sensu*, *qui* intelligentem decet, & bono creaturæ intentum, ille inquam providet rebus amplissimo sensu, qui ex *pluribus* possibilibus rerum coordinationibus *illam* seligit, qua res optimè, & moralibus earum respectibus convenientissimè succedunt, & *eo* ipso id *motivo* facit, quia sic procedunt. *Neque* arbitror id *imperfectionem* arguere, si quis arbitretur, illum fuisse adeo perspicacem & potentem, ut omnia ad hunc finem pertinentia potuerit *ab initio sic* ordinare, ut serie non interrupta ex Legibus atque viribus divinitus creaturæ inditis possint consequi §. 455. Præcipuè si per §. 223. & 428. intelligatur, dici illud, *salvo jure* immutandi aut addendi aut detrahendi, cum sapientia & rerum conditio illud postulaverit.

§. 465. Nescio, quam illud *abjectum* mihi videatur, quod *incurii* homines sibi *persuadent*; si ordinata ab initio omnia sint, & quidem in systemate, securos se rerum aut nihil agere velle, aut agere pro ingenio, eventura omnia tamen, ut præordinata sint. Quoties *id sophisma* repulsum est ab Eruditis. Etiamsi *absoluta à motivis* ab homine sumtis præordinatio foret, non id tamen consequeretur, nisi & *à mediis* absoluta esset. Sed *in nostra* hac expositione etiam *illud* rescinditur. Est rerum naturalium coordinatio ab initio facta conformiter futuris spirituum determinationibus, atque eo ipso motivo ita cœlitus constituta est. Igitur & factis convenientia sequuntur *ob* facta; & *ob* non facta omittuntur, quæ factorum intuitu fuissent ordinata. *Aut* igitur *divinam fallere* Te posse *præscientiam* cum *Socinianis* & P. *Poireto* existimas: *aut* divinam quoque pœnarum & præmiorum *præordinationem* fallere Te *non* posse agnoscas §. 77. & 455.

§. 466. Obtinuimus bona rebus atque adeo & actionibus Naturalibus fluentia esse divinos fines. §. 460. seqq. Mala naturaliter ex actionibus creaturarum venientia esse pœnas §. 456. & 457. *Præmia* igitur & *pœnas* obtinuimus *naturales*. Igitur *naturalem*, quam vocamus, *Legem* ostendimus *esse divinam*; non origine solum naturæ, qui physicus tantum respectus est, sed *intentione obligandi*. Voluntatem enim divinam intercedere §. 438. 439.

asse-

asseruimus: eandemque pœnis & præmiis actioni affixis moventem creaturas hic vidimus. *Vult Deus*, ut tantum boni a creaturis suis producatur, tantumque mali præcaveatur, quantum potest §. cit. *Novit*, earum voluntates permoveri bonis atque malis actionum suarum consequentibus; *Affigit* illis convenientia; atque ita rem *ordinat*, ut intelligere sequelam liceat. Num *inde* intelligitur, *velle* Deum, *ut his* motivis persuasi *hoc illud* agant, aut intermittant. Quodsi consequentia illa simpliciter *ut grata* sibi, aut *molesta* respiciant, solis sibi & rerum considerationi physicæ intenti: Naturalem illam legem, & consequentem inde virtutem *vehementer* adhuc *imbecillem* dixeris: sin ut *motiva* divinitus posita respiciant, argumentum suæ actionis *ex divina voluntate*, per ordinationem illam intellecta, sumentes, *pietatem* id *Philosophicam* appello, & cultus Dei naturalis partem facio. Id deinde distinctius edisseram. §. 472, 473.

§. 467. Num intelligis *dicta* Ill. *Leibnitii* superius allegata §. 459. *Physica* rerum corporearum successio consentit *moralibus* actionum meritis & demeritis; adeoque *corporum* universitas societati *spirituum* vel civitati, quam ille vocat, Dei. Quæ enim regendis civibus, id est, movendis ad bonum, aut ob malum puniendis spiritibus, necessaria sunt, suo deducta ordine consequuntur. Causæ *efficientes* pœnam ferentes aut præmia, con-

sentiunt *finalibus* quatenus producunt effectus à DEO intentos, & munerandis creaturarum actionibus debitos, aut immediate cohærentes, aut tardo pede venientes, sed congruos tamen, & certos. Ita Deus machinæ *Architectus* consentit eidem, ut Legislatori & *Monarcha* civitatis spirituum. Neque enim aliud debetur regimini administrando, quam ille sua naturæ ordinatione obtineat. Neque præstat in machina aliud, quam consentiens regimini. Ita & *Mechanismum* licet subordinare *Moralibus*, & concordiam tueri utriusque respectus, quorum alterum corpora sibi postulant, alterum vindicant sibi spiritus. Sic *in Natura* Numen *venerari sapiens* licet, & *bonum*; elevare animum ab opere ad Autorem; & *imitari*, pro modulo tamen nostro, *divinas* agendi rationes atque *perfectiones*.

§. 468. Memineris tamen, *illa sapientibus dici*. Si qui aut futurorum actionis suæ successuum *incurii* sunt, aut *rudiores*, quam ut enumeratas ante consequentias intelligere possint propositas, aut eruere non propositas; *Alio* illis *remedio* opus est, alio quoque *subventum est*. *Positivas* illis *Leges*, & *promulgationes* naturalium quoque *speciales* indulsit Deus; quin ipsis etiam intelligentibus eximium *operæ compendium* ea promulgatione fecit. Loquor hic de Legibus: si de rebus fidei ageretur & mysteriis, aliter locutus essem.

Ita

Ita intelligo *positivas* quoque *Leges* statui *sapienter* posse, & *pœnas* naturaliter *non connexas* affigi factis creaturarum. Ubi naturalia per sese non sufficiunt media ad obtinendos fines, addi positiva, non est sapientiæ incongruum. Intelligo, *promulgationem* Legis naturalis *externam* & *specialem* fieri *sapienter* posse: ubi naturalis non sufficit, longis ratiocinationum catenis implexa, externam & specialem accedere pro obtinendo obsequio, Legis fine, inconveniens non est. Intelligo, promulgationem illam *esse beneficium*, duplici causa, pro *imbecillioribus*, ut Legem esse divinam intelligant, quam ratiociniis assecuti non essent suis, tum vero *pro omnibus*, etiam intelligentioribus, qui sine Legibus divinis & humanis, positivis, aut specialiter promulgatis, sæpenumero ambigui hærere possent, quid unoquoque casu optimum, adeoque præ ceteris agendum sit? namque ad optima adstringimur, §. 438. vide, si placet, exemplum rei. §. 269. Intelligo, *ipsam* illam divinæ *Legis rationem* esse *nobis beneficium*: ita *pluribus* motivis ad ea persuademur, quæ utilia sunt nobis ex vero æstimata; ita *excellentioribus*. Pluribus igitur præstandis officiis pares erimus, si & hanc rationem attenderimus: atque eadem facta, his motivis præstita, erunt meliora simul & acceptiora divino Numini.

§. 469. Sed vero *de actionibus* illa sufficiant. Transeo *ad passiones*. Duplicis illæ generis

neris ſunt, & utræque hic attendi debent. Alteram claſſem *injuriæ* conſtituunt: alteram *pœnæ* peccatorum. *Generaliter* id repeto ex antecedentibus: neminem ſub optimo Monarcha miſerum ſine demerito. Quando *miſerum* dico, non aliquam ejus ætatem, aut periodum attendo, cui afflictionem Deus accedere permittit. *Non* ille *miſer* eſt, qui aliquid innocens patitur, ea liberalitate compenſatum poſtea, ut nollet paſſus non eſſe §. 243. Redeunt hoc loco argumenta §. 456. *Quemadmodum* id ſapientiæ *in ſeipſo* repugnat, adeoque nullis intercurrentibus conditionibus admitti poteſt, ut fruſtra Auctorem creatura contemnat, bonis aucta & fruens in perpetuum, aut non punita facto conformiter: *Ita* illud *ſimiliter*, ſi fruſtra Auctorem venerari creatura, eademque malis obrui perpetuis, aut non mactari bonis facto congruentibus ſupponatur. *Irreducibiles* ad harmoniam defectus ſapientia non admittit; *Talis* illa foret difformitas, quæ *innocentem* faceret *revera* miſerum, id eſt, perpetuis afflictum calamitatibus.

§. 470. *Injuriis* igitur non difficile eſt *ſolatia* opponere, *in theſi* quidem; *in hypotheſi* eſt difficillimum, *non* ſyſtematis vitio, *ſed* hominum. Id deinceps videbimus. *Sufficit aliquando*, meminiſſe futuri, & *cataſtrophen* expectare; ſufficit attendentibus & de certitudine rei, & compenſationis amplitudine convictis plane aut perſuaſis tamen. Dico

con-

convictis, aut *persuasis*: namque omnis cognitio, cui certissime assentitur intellectus, est motivum quoque voluntatis, sive illa legitimis deducta sit argumentis assensio, sive fallacibus, sed ab animo tamen admissis. Atque hoc vulgatum est inter homines, admittere molestias, si *per angusta* liceat ascendere *ad augusta*. Id *in divino* mundi regimine *licet*, quo certum est, injurias innocenti illatas ita regi, coërceri & pensari, ut nemo sit sine demerito miser, §. 469. ut innocentes nollent passi non esse. §. 243.

§. 471. Aliquando *illam* non sine efficacia *considerationem* alicui commendavi, *non esse* ambos *nos omnem DEI* curam; ut nostri causa negligere cetera, & solis nobis indulgere debeat: illam Deo *resignationem* placere, si concedamus non inviti, si approbemus plane, ut meliora nobis antehabeat & plura; certum enim esse, illum *non* anteferre nobis, *nisi* quæ *magis* in commune prosint & universale bonum. Quin ipsis illis sive injuriis sive defectibus nostris ad *cautelam* uti, & eo facto nos ab aliis præservare malis, secuturis ex præsentibus animi dispositionibus, nisi illas ipsa injuriarum tolerantia DEUS immi-nueret, aut corrigeret. Tum vero nihil in eo injusti esse, si *pars toti*, & creaturæ singularis commodum divino circa universale bonum fini concedat. Deum & *toti* universo; & *unicuique* ejus *parti tantum* largiri (igitur

&

& nobis distribuere) *quantum* fieri sapienter possit. Posse *plura* sapienter *illis* distribui, qui divino acquiescant regimine, quam qui suas divino operi utilitates morose præponant. „*Non* sunt *omnia ejusdem* generis, prout illa diversimode considerantur. Accipe *gradationem*, ut omne dicti meritum intelligas.

§. 472. *Stoicum* illud est, cedere nexui rerum, quoniam obsistere non possis. *Talem* illi quoque speciem indolentiæ possunt affectare, quorum systemati fatum inest, & *bruta* necessitas. *Magis* illud *Philosophicum* est, si attenderis *aquum* esse, ut pars toti concedat; si memineris, ipsis hisce injuriis *præservari* Te haud raro *à* malis *gravioribus*, quibus Te involverent peccata, in quæ incideres sine isthoc afflictionum præmonitione; si cogitaveris, illas aliquando, præter inferentis mentem, *bona conferre* alia, molestiis potiora; si deprehenderis, id *levius* fieri *tolerantia, asperari* attentione & *morositate*, quod Tua immutari opera non possit. *Propius* id *ad patientiam* accedit, & naturale virtutis instar constituit, quatenus ex connexis facto utilitatibus aut incommodis Tua injuriæ tolerantia procedit. Sed vero *illud demum vere philosophicum* est, *pietatisque* philosophicæ, & divini cultus partem constituit: si è divinis perfectionibus *motiva* facti sumas; si *ideo* feras calamitatem patienter, *quod* divinitus aut immissa est, aut permissa; *quod* sub divina cur-

tit

rit providentia & moderatione; *quod* divinæ convenientius est sapientiæ, anteponere Tibi alia majorem universo perfectionem inferentia, restringere & castigare appetitus Tuos, probare patientiam, exercere fiduciam, præparare Te majoribus, & coronare demum suo tempore. *Ille* voluntatem divinæ suam subjicit; *ille* resignat desideria; *ille* fiduciam demonstrat: *qui ideo* promte agit, *quoniam* id Deus voluit; *qui* patienter & æquo animo fortunam omnem admittit, *quoniam* dirigitur illa coelitus; *qui ex eo* ipso divinam certissime opem expectat, *quoniam*, etsi agit, quantum potest, fert æque tamen, quicquid ipsi accidit divinitus.

§. 473. Dixi, hanc *divini cultus partem* esse: Nimirum illas omnes ad pietatem philosophicam *actiones* refero; *quarum motiva sunt perfectiones divinæ.* Definitionem superius allegavi e *Christ. VVolfii* Ratione Prælectionum, & doctrina Morali. *Fœcunda* est illationum notio, cum officia hominis erga Deum reducit ad *eos actus*, quibus testamur, nos Deum habere pro ente istius modi perfectionibus prædito, quibus eum gaudere in metaphysicis demonstratur, hoc est, quorum motiva sunt perfectiones divinæ. Quicquid *eo formali* caret, nego, pertinere ad cultum divinum: quicquid eo gaudet, assero pertinere. *Quodsi* igitur bonitas divina exemplum Tibi & motivum fuerit actionis aut

per-

perpessionis; si *sapientia* coordinationis rerum; si *justitia*: actionem illam & perpessionis tolerantiam, *quatenus* eo fonte pullulat, ad cultum refero divinum. Ita *vides*, *quomodo* ex *nostris* considerationibus rerum *ascendere* in moralibus liceat, *ultra* solam actionis sive utilitatem sive ad conservandos homines necessitatem; *quomodo* pertingere ad *motiva altius* petita, & perfectionibus plane divinis derivata; & *quam imperfectum* sine hac consideratione foret jus naturale. Vides, nisi fallor, *quid illud sit*, in Latina demum *Theodiceae* Editione per parenthesin adjunctum §. 184. *qua dicitur*,, fatendum esse jus naturæ, quo tenerentur homines, remoto DEO imperfectius fore. ,, *Non quasi* remoto cogitationibus DEO res in judicio philosophi essent possibiles, multo minus actuales, quod *utrumque* Leibnitius *eodem* illo paragrapho, & *ceteris* ante allegatis, §. 129. disertissime removit: *sed quod remota* per hominum ruditatem aut malitiam, Dei, & naturalis rerum ab eo dependentiæ *cognitione* istiusmodi homines, terræ filii, utilitate quidem ex actionibus aut omissionibus (per ipsam Dei ordinationem, sed ab atheis neglectam) naturaliter consequente, *moveri* aliquando *nonnihil* possint; *non vero* ad præcipuam illius consecutionis vim, ad motiva actionum præstantissima, atque adeo ad ipsam pietatis philosophicæ rationem, quæ ex illa consequitur, assurgere.

§. 474.

§. 474. Habes *consolationem* ex hoc systemate philosophicam perferendis patienter afflictionibus & injuriis! Sed vero illa pertinet *ad innocentes*: quorum nulla intervenit culpa in arcessenda sibi calamitate. Sequuntur *alia* deinceps *omnia*, si inverteris hypothesin: *pœna* enim illa erit, & quicquid eam consequitur. *Sequelas* autem in systemate *perpetuas* trahit: nisi *factum* queas *infectum* præstare. Id *Philosophice nemo* potest. *Sola* hæc *religionis Christianæ prærogativa* est, qua medium patet, ut divina æstimatione possit infectum fieri, quod admissum est. Namque, ut post factum animadvertas, atque emendes peccatum, actionibus priori oppositis, quin & habitibus facto illi contrariis: *facies* ea re, *ut* mala non accumules, *ut* aliqua quasi in herba suffoces, *quis* Te certiorem reddet, cautum esse universis, & in perpetuum? *quis* tantam rerum omnium cognitionem tribuet, ut possis confidere, calamitates proxime aut post longa demum tempora ingruentes, nihil ex ea culpa causæ aut occasionis traxisse?

§. 475. Scilicet hic ille *labyrinthus* est, ubi *Philosophia cultorem destituit*, atque ad *sublimius* aliquod *remedium* non postulandum quidem, sed acceptandum tamen disponit, quousque potest. *Postulare* illud nemo ausit Philosophus: non enim id injustum est, ut patiatur, quæ meruerit. Si quod tamen obtigerit, *tanto* ille *minus repugnabit*, oblato, quanto pro-

profundius intelligere mali naturam & illius consequentia exhorrere; *quanto* magis interruptam facto suo fiduciam in divina bonitate & cura æstimare, & restitutionem ejus anhelare ardentius; *quanto* divinas in procurando illo admissorum remedio perfectiones cognoscere & venerari didicit intimius. *Felicem* vero *operam* nostram & fortunatum hunc cum omnibus suis molestiis laborem prædicabimus, *si quid* nostra ad ejusmodi successum commentatio, divina adjuvante gratia, contulerit. *Illi fini obtinendo*; divinam in universo hoc negotio bonitatem, sapientiam, sanctitatem, voluntatem; Mali ex adverso turpitudinem & damna; officia creaturarum ex utraque hac consideratione manantia explicui, quantum fieri potuit, distinctius. *Lectoris* est, pensitare dicta, & ad divinas præcipuè perfectiones exigere. Ita *felix* ista *utrique nostrûm* opera sit, & *gloriosa DEO*, cujus honori omnia submittimus!

SE-

SEQUITUR

INDICIS LOCO

EPILOGUS,

Brevem opellæ præcedentis summam exhibens.

§. 476.

QUicunque *de Mali*, præcipuè moralis, *origine* & *permissione* divina, itemque *de scriptis* eo pertinentibus, judicare instituunt, illis arbitror in difficili negotio illud non parum expedire, si *sollicite* diversa distinxerint §. 10. *Alia* est quæstio ista *historicè* instituta: *alia* est *Philosophicè*. *Illam* ex sacris literis petendam esse concedimus: *hanc* arbitramur argumentis deduci posse, ex notionibus quidem universaliter receptis, de DEO, creaturis, mundo, malo, & similibus §. 7. 8. 9. & 23. *Alia* est quæstio de *origine* mali: *Alia* est de *permissione* ejus generali! aut in specie divina §. 11. & 270. *Connexa* illæ quæstiones sunt, & mutuo se respiciunt: *Differunt* tamen. §. 12. Differunt etiam illa, si quæras

an permittere Deus ſalva ſua bonitate & ſanctitate *poſſit? an* permittere *velit?* atque, ſi velit permittere, *quare* id *velit* potius, quàm impedire? *Mediam* eventus ſufficienter decidit. *Primam* plurimi reſolvunt, pro ſuo unusquisque ingenio. *Tertiam* aliqui intactam relinquunt: Alii præcipuè attendendam eſſe exiſtimant §. 13. Puto, *illam in noſtris* occurrere expoſitionibus. Pertinent iſta ad *ipſum in ſeſe* negotium: ſequentia ad *ſcriptores* quoque.

§. 477. Diſtinxeris igitur porro: an *rationem* permiſſionis *generalem* aliquis reddere ſuſcipiat? an *ſpeciales*? Specialia difficilius attingant homines: generalia eruant facilius. §. 22. Diſtinxeris, an *à priori* illas inferre nitatur? an *à poſteriori*? Qui *primum* aggreditur, poteſt *argumentis* negotium abſolvere, deductis præcipuè ex conſideratione perfectionum divinarum, & generalibus rerum ideis, ſuppoſita tamen hujus mundi exiſtentia §. 25. 26. Qui *ſecundum* ſuſciperet, magnum ille onus ſubiret & intolerabile: explicate enim diſcernere deberet, quanta ſit in hoc mundo perfectio, &, quod illa major obtineri nulla alia combinatione poſſet, *per ſingulas* eundo demonſtrare. §. 27. Diſtinxeris tamen & *objectiones à poſteriori* factas, *ab* ejusmodi *tractatione*. Puto, *nullam* eſſe argutationem profanorum, ex aſpectu hujus mundi deſumtam, in qua non liceat falſam aliquam propoſitionem deprehendere, ita qui-

quidem, ut argumenta sua nunquam ad evidentia per se principia valeant isti homines probando reducere. Igitur in *rigore Logico* solubilia omnia esse pronuncio: non in *significatu* tamen *liberaliori*, quo plenam & specialem quæstionum argumento connexarum dilucidationem includimus. §. 28---30.

§. 478. Distinxeris, si placet, *principalia* ab *accessoriis*. Accidit non raro, ut liberaliores, quam necesse est, Auctores aliqua adjungant, quæ *poterant* abesse à systemate; fortassis etiam alia, quæ *debebant*. Separare igitur illa, & divisim judicare licet ita, ut alterum alteri non præjudicet. §. 31, 32. Præterea etiam illud probè distinxeris, *cui fini* unaquæque responsio adhibeatur? an *immediate* argumento applicetur? & *cuinam* præcisè? an *mediate* demum? & quibus intermediis? an *sola* illa? sic, ut cum illa stet omnis causa & cadat? an *conjuncta* aliis? & sine illa consistentibus? §. 18. & 32. Denique in *dijudicandis* sententiarum *consequentiis* omnino ista distinxeris: An consequens sequatur ex sententia *pro Auctoris mente* intellecta? an secus? an illa consequatur ex eadem *in Systemate* suo & cohæsione cæterarum spectata? an ex *abrupta*! aut omnino *aliis*, Auctori non admissis, *copulata*? An *admittatur* ab Auctore? an negetur? An *admissa* Auctori, *requiratur* ad Systema, aut exesse possit? An altera, ab Auctore *non admissa*, *cohæreat* Systemati tamen, an minus? An illas Auctori? an Systemati?

mati? an *utrique?* an *neutri* liceat imputare? non cohærentes, ſed obtruſas? ab *ſollicitis* & *bono* cetera *animo* Lectoribus? aut *profanis* etiam, & colores malitiæ quærentibus? §. 40. 68. 69.

§. 479. Habes *præcipua* Sectionis *primæ* momenta: ſimiliter *in ſecunda* breviter exhibenda verſabimur. *Definitiones* operi præmiſſas volui, ut mentem certius intelligere meam liceret: Adjunxi *fundamenta* concluſionum, ut ne ſterilis labor videretur: *Objectiones*, quas meminiſſe datum fuit, occupavi, ut ne prolixiora in ipſo Syſtemate intervalla, facerent §. 44. 45. 46. *Sententia principalis* illa eſt: Mundum hunc inter plures poſſibiles ratione totius Syſtematis eſſe perfectiſſimum, adeoque à divina voluntate conſequente, quæ morali neceſſitate optimum ſeligat, ceteris omnibus ſapienter antehabitum, etſi creaturarum, utpote finitarum, culpa malis maculatum: Permiſſionis adeoque motivum Deo fuiſſe, quod in idea mundi, in toto optimi, imperfectiones in partibus obviæ ſimul comprehenſæ fuerint. §. 49. quas hic *voces* adhibuimus aliquantum ambiguas, eas in ſequentibus declarare viſum eſt. §. 50.

§. 480. *Mundum* igitur, *cum* Ill. *Leibnitio* diſerte id *præmonente* in Theodicæa §. 8. *Dicimus* collectionem creaturarum omnium, ſimul & ſucceſſive exiſtentium, nullis ſive locis, ſive temporibus, ſive rebus ullibi neglectis, §. 51--53. Neque adeo *alium nunc* mundum

dum supponimus, *quam olim* fuerit: *neque periodum* aliquam denotamus eo vocabulo, v. g. primitivam: *neque partem* mundi aliquam, globum e. g. terraquaerium: *multo minus nostrarum* in *hoc* globo conditionem *pro* periodo *præsenti* spectatam non igitur admittimus *consequentiam* à periodo aut parte ad totum. Accipe *verba Theologi* & perspicacis: Magni-„ tudinem operum divinorum non satis per-„ pendunt, qui in hoc arenæ granulo, quod „ *tellurem* dicimus, vellent omnia perfectissi-„ ma & felicissima esse. *It nigrum campis a-„ gmen. Formicarum iste discursus est, in angusto „ laborantium.* Sursum immensa sive loci si-„ ve temporis spatia sunt, in quibus innume-„ ris modis, humanæ menti imperviis, πολυ-„ πόικιλος Dei sapientia sese exerat: illaque per-„ fecte explicet, quæ nobis homuncionibus „ in hac caligine, perplexa videntur. §. 54--- 61.

§. 481. *Systema* dico multitudinem rerum inter sese connexarum, hoc est, quarum altera determinationes suas nanciscatur ex determinationibus alterius, ita ut secundum communem aliquem Canonem, naturæ earum rerum convenientem; ratio unius reddi possit ex altera. *Determinationem* voco, cum id quod vagum, commune, indifferens concipitur in aliqua idea, certo aliquo modo definitur, limitatur, ex indifferentia sua ad aliquid specialius restringitur. *Rationem unius ex altero* dari tum agnosco, quando ex

priori intelligi poteſt, quare hoc vel illud in poſteriori deprehendatur. §. 62--64. *Communem* hunc ſyſtematis *ſenſum* eſſe exemplis doceo §. 65- 67. *Infero* exinde, quomodo judicari doctrina debeat cohærens ſyſtematicè. §. 68, 69. *Infero*, quod ſyſtema ſpectari ut unum aliquod totum & poſſit, & in perfecta cognitione debeat. §. 70 -73. *Admoneo* tamen, omnium in Syſtemate partium rationem cohærendi eandem neceſſario non eſſe, generalem connexionis canonem naturæ rerum accommodari, aliter aptari ſpiritibus, aliter corporibus. §. 74. *Præcipuè illos* vehementer *falli*, qui *ſyſtemati*, ab *intelligente* cauſa ordinati, rationem opponant *Providentiæ*, cum ex illo potius utrumque reſultet, & eſſe omnia ſub cura providentiæ, & alterum alteri eſſe non medium ſolùm, ſed motivum plane in judicio Conditoris; *Firmari* igitur hac conſideratione reſpectus *morales*, non excludi §. 75--77.

§. 482. *Perfectionem* definio conſenſum in varietate: quo ille major eſt in re quapiam, eo *perfectiorem* illam voco: *Perfectiſſimam abſolute*, quæ omnem omnino poſſibilem conſenſum comprehendit; *comparate* illam, quæ omnem in ſuo genere poſſibilem §. 78. Conſenſum ubi appello, *principium* ſuppono in quo conveniant illa omnia, quæ in objecto conſiderationis noſtræ licet utcunque attendere & diſcernere §. 79. Illud, ſi *multiplex* eſt, ut è diverſis pendeat capitibus rei alicujus per-

fectio,

fectio, *compositam* illam voco §. 81. Observo autem, *fieri* & posse & solere, & ex rerum finitudine etiam debere, ut *aliquando*, præsertim *in vehementer compositis pugnent* perfectiones simplices §. 83. sive ad absolute necessaria attenderis §. 84. sive ad res physicas. §. 85. sive ad metaphysicas, & spiritus finitos §. 86. *Admittendam* igitur eo casu *exceptionem* in simplicibus aliquam §. 87. non opificis defectu aut malevolentia, sed operis & rerum finitudine ita postulante. §. 88. *Fieri* illam verò *diversimodè posse*, si vel duæ solum simplices pugnent §. 89. multoque magis etiam, ubi plures §. 90. Esse verò *alteram* exceptionem altera *tolerabiliorem*, ubi majorem in toto consensum reliquerit, quam altera, dissensumque intulerit minorem §. 91. 92. *Perfectissimum* igitur illud *in suo genere* compositum esse, ubi, si pugnent invicem simplices aliquæ perfectiones, *ita* tamen mutuo attemperatæ sint, *ut* quam fieri potest minimum exceptionis admittatur, servetur consensus plurimum § 93. *Hoc sensu* intelligo dicta *virorum Celebrium*, qui imperfectiones *partium* inquiunt *pertinere* ad perfectionem *totius*: *non*, *quod* exceptio perfectionem inferat, *sed quod* hæc præ alia excludat minorem §. 94. 95. *non*, *quod* imperfectio, aut malum aut exceptio sit medium obtinendi optimi, aut conditio sine qua non influens, *sed quod* moderatio exceptionis, *quod* permissio *hujus* potius, quam intrusio alterius cujusdam majoris. §. 96--99.

§. 483. *Fieri* igitur *potest* mea sententia, *ut in* composito præ ceteris sui generis possibilibus *perfectissimo imperfectiones* intercurrant. §. 100. quin etiam, ut *plures* in eo imperfectiones adsint, quàm in alio minus perfecto, §. 101; *Imperfectiones dupliciter* dico, *remotive* alteras, ubi consensus abest; *contrarie* alteras, ubi dissensus adest. §. 102. Quodsi igitur duas mutuo res contendam, A. & B. fieri utique potest, ut in altera A. *plures* partium *dissensus* sint, quàm in B. Sint verò *plures* quoque *consensus*, atque id *eousque*, ut collatis atque compensatis in utroque dissensibus per oppositos illis consensus similes & æquales, *plures* in A. consensus *persistant*, quam in B. Ita plures in A. imperfectiones sunt contrarie dictæ; &, *facta* tamen *compensatione* imperfectionum, idem A. deprehenditur esse adhuc perfectius, quam alterum B. Hæres? Dedi *exempla* rei §. 103---106. dedi *theoriam* quoque *generalem*, qua ostenditur, in judicanda compositi alicujus perfectione totali, *compensari* mutuo simplices perfectiones & imperfectiones tam remotive, quàm contrarie dictas *posse*, & *quo* illa *modo* in diversis casibus instituenda sit comparatio edisseritur prolixius. §. 107---122. Nimirum in re publice nondum, quod ego sciam, exposita, *lubuit* esse diffusiori, & *licuit*, tanquam in connexa cum instituto præsenti.

§. 484. Ea enim mediante *intelligitur*, neque *præsentiam* exceptionum in composito,

neque *dispersionem* earum per diversas aut omnes ejus partes §. 100. neque *frequentiam* absolute spectatam §. 106. inferre illud, ut compositum in suo genere optimum esse non possit; *Intelligitur* ad judicandam *à posteriori* rerum mutuo collisarum perfectionem totalem, majorem aut minorem requiri, ut simplices perfectiones omnes possibiles, ut modis omnibus combinatarum repugnantias, ut exceptionum modos omnes possibiles, ut totalem perfectionis in unaquaque combinatione emergentis gradum & momenta distincte pernoris, atque ex illis omnibus mutuo comparatis possibilem maximum eligas §. 123. Intelligitur *denique*, in judicandi optimo possibili composito, *non fines solos*, sed *neque media* tantum attendi, non *opus* solum, sed neque *operandi modos* tantum; ut omnino hic *non differant* locutiones, cetera alicubi differenter applicabiles, cum dicitur, posse *rem* fieri *meliorem*, non posse illam fieri *meliùs*. Namque qui *optimum* facit, ille nec meliorem facere rem potest, neque eandem rem melius facere. Si alterutrum foret, totum apotelesma non foret optimum. §. 124. 125.

§. 485. *Possibile*, recepto sensu, illud omne & solum dico, quod nullam in sese repugnantiam involvit. *Definitionem* tamen hanc *nominalem* puto, & quæ aliquid præsupponat. §. 127. Eodem sensu, sed *reali* & *genetica* definitione, illud voco possibile, cui præstando vires alicujus causæ existentis sufficiunt §. 128.

§. 128. *Posterior* ad intelligendam possibilium à DEO *originem* accommodata est definitio, §. 129. 130. *Prior* ad discernenda in applicatione possibilia est aptior. §. 131. *Utramque* tamen coëxtensam esse, & quoad rem ipsam coincidere ostenditur §. 132---134. Sunt illæ *acceptiones propriæ* & perfectæ §. 135. *Abusivæ* & *impropriæ* illæ sunt, ubi præter rei ipsius naturam, præter virium in causa efficiente sufficientiam, ceteras causarum *dispositiones, morales* præcipuè, *simul* attendere scriptores instituunt, *impossibile* etiam *illud* rati, quod etsi neque in sese implicet, neque viribus causæ majus sit, indignum est applicatione virium illius, ob respectus quidem morales §. 136. *Impossibilitatem* illam *moralem* vocant: malo, *respectivam* dici §. 137. *Duplici* aliquando respectu intercurrente §. 138. Evenire enim potest, ut *ipsum in sese* opus dissonet perfectionibus moralibus; *aliquando* solum id si spectatur, non dissonat, sed *collisum demum* cum alio meliori, quod electo priori excluderetur. §. 139. 140.

§. 486. *Recepto* inter Metaphysicos significatui *patrocinatur* rei *natura*. Cum quæritur, an plura Deo possibilia sint, quam fecerit aut facturus sit? Non arbitror illam animis Auditorum sententiam obversari: an dignum sit sapientia divina, ut plura, quam condit, condat? Sed hanc plane: An omnia actu ipso præstet, quibus præstandis sufficiat potentia ipsius infinita §. 141. Pro intelligendis

tamen

n *Auctoribus*, & cavendis *ambiguitatibus*, *or* significatus licet distinguere, *duos* in e dictos, ampliorem *tertium*, *quartum* n amplissimum. Possibile dicitur 1. quod gnantiam non involvit, 2, cui exhiben- ufficiunt vires divinæ, 3. cui in sese spe- non incongruum est applicari divinas productrices, 4. cui etiam in collisione ceteris congruit illas applicari. Similiter npossibili statuas: §. 142. Atque ex illis di- ionibus *pugnam componas* eorum, qui cau- ficientes in judicanda rerum possibilitate ttendendas esse contendunt, & eorum, ostulant. §. 143. Num *recte* admititur con- atio virium *quoad sufficientiam* & quantita- uam? Excluduntur considerationes viri- xtrinsecæ? §. 144. Ita *Hobbesii* ictum exeas, *elardi* tela retundas, quorum *ille* necessi- n rerum ex eo deduxit, quod causæ nisi sitæ non agant, vide *Theodicaam* §. 172. *iste* bilia æquavit actualibus, quoniam quæ fie- ıveniat, Deus quoque efficiat, quæ fieri conveniat, facere etiam non possit. §. 148. Denique *illam* quoque *evites* nostro ne sententiam, qua *possibilia* à *voluntate* ali- derivant Recentiores Eruditi. §. 149.

487. *Necessitatis* vocabulum diversimo- & non sine incommodo, passim usur- solitum. §. 150. 151. proprie & *philoso-* , ad solam illam pertinet, quæ *absoluta* ur, & qua illud unum & solum habetur *trium*, cujus oppositum in seipso involvit

con-

contradictionem; quod est sui generis *cum*; §. 152. *Vocatur* hæc necessitas int logica, metaphysica, geometrica, abso cœca, §. 153. *Vis ejus* ipsa consistit in hoc res *unico* tantum modo sit *possibilis*, & ut cu aliter concepta involvat contradictione 154. *Extensa* est duplici fonte significatio §. ut *physicam* quoque necessitatem homine cerent, si quid pro *ordinario* rerum cursu cum est sui generis §. 156. etsi cursum i non existimaverint esse necessarium cum *noza*, sed vel indifferentem primitus cum *tesianis*, vel convenientissimum cum *Leibn* 157. Inde mixtura *naturalium* & *essentialiu* rum consulta §. 158. & *diversarum* necessi physicæ *specierum* confusio §. 159. Similite *ralem* alii necessitatem induxerunt, si qu ita est comparata, ut oppositum ejus diff attributis causæ agentis moralibus §. 160. *impropriam* appellationem esse *ante nos* al monuerunt. §. 161. 162. *Discrimina* autem *luta* necessitatis *à morali* omnino gravia *qu* indicavimus §. 163.

§. 488. *Mihi* sic videtur: *In* necessitate attendendum esse ad *fundamentum* ejus. S rei natura talis est, ut repugnet, esse illam constitutam, *absoluta* est necessitas: si pote aliter atque aliter concipi sine repugnan psius rei intrinseca, præmissa autem aliqu pothesi, tantum in illa rationis aut causæ d henditur, ut repugnet rem non consequi consequi aliter affectam; *hypothetica* istha

cessitas ex consuetudine dicatur. Si posita licet hypothesi, nondum in illa tantum causæ est; ut res non possit aliter consequi: *hypotheticam* eo loco *contingentiam* admitto §. 164. *hypothetica* igitur *nunquam tanta* vis est, quanta absolutæ: sed *neque* hypothetica *adest*, *nisi* posita conditione impossibile sit, effectum non consequi §. 165. *Conditio illa* varia est §. 166. si *concomitans* solum actionem, aut *antecedens* est, *non influens*, libertatem illa nunquam turbabit §. 167. si *antecedens extrinseca naturalis*, sed occulta solum, quales in Systemate Spinozistico occurrunt, tollit illa libertatem §. 169. sed an *divina* etiam *præmotio* est necessitans & inimica libertati? §. 168. si conditio *antecedens influens* & *intrinseca* est, sed *physica* solum, excludit illa electionem voluntatis, & adeoque libertatem §. 170. si *moralis* est, includit & præsupponit; non enim illa in effectum influit immediate, sed in voluntatem potius eligentem §. 171. Quodsi igitur *moralem Deo necessitatem* asserimus, non fato alligatum eum concipimus, non exclusum ab electione inter plura, non obtrusam illi hanc partem ab extrinseco §. 172. 173. *Dicimus*, ipsum sua *intellectus* perfectione optimum ex possibilibus discernere, & *sapientiam* id suadere, & *voluntatem* sua perfectione duce infallibiliter se pro ea parte determinare §. 174. *Negamus*, ipsum opus *optimum* ea propter *metaphysice necessarium* fieri, etsi metaphysice necessarium sit, esse Deum sapientem, & agere quoque sapienter §. 175--179. Commendamus autem præcipue

ut nostro exemplo *significatum* vocibus *technicis* substituere Lectores non dedignentur: Eo nimirum artificio solvi intelligent, quæ prima fronte speciosa videntur.

§. 489. Hæc prima *conditionum* species est, *necessitantium*: datur *alia* quoque *minus efficax*, & amicior electioni agentium quoque finitorum. *Determinationem* illæ *generant*, non vero necessitatem. §. 180. 181. *Determinatam* vero *rem* aliquam *existentem* dico, ubi causarum suarum operatione ex generalitate vaga ad certum aliquem modum reducta est, ita, ut, cum potuerit existere aliter & aliter, existat hoc præcise modo, non alio. *Futuras* demum *res* determinatas dico, si rationes præsto sint, quarum indiciis queat intelligi, quonam illæ modo futuræ sint? valetque id, *sive* rationes omnino *tantæ* sint, ut *aliter* fieri res *non* possit, *sive tales* solum, *ut* iis positis *magis hoc* quam aliud futurum sit? §. 182. *Determinationis* igitur ipsius rationem *formalem* eam agnosco, ut principium adsit, ex quo sumi pro alterutra futurorum parte decisio possit. §. 183. *Ad* determinatam *scibilitatem* futuri postulo, ut in conditione *necessitante* præsto sit notitia positæ aut ponendæ conditionis; in conditione *solum inclinante* requiritur, ut utrumque scias, eandem esse rationibus sibi oppositis majorem, & majorem prævalere in hoc Entium genere §. 184. *Primum* in prædictionibus obtinet physicis, astronomicis: *secundum* in prævisione actionum moralium §. 185.

490. *Ad* determinatam futurorum *præ-*
ilitatem non videtur mihi *sufficere* principi-
contradictionis, quo impossibile est, ut
n simul sit & non sit. *Consequitur* ex illo,
ı *aut* fore, *aut* non fore. Sed vero un-
:ertum est, *fore* illam *potius*, *quam* non fo-
Atqui hoc ad determinationem requi-
r. §. 186. Num *in antecedentibus* actionis
eri fundamentum potest, *si caveris*, ut ne-
itantem conditionem non admiseris, sup-
ueris *solum* inclinantem, pro parte tamen
:ra *potius*, *quam* altera valentem? §. 187.
m ita *evitare* licet *indeterminationem* futuri-
ıis? & *conservare contingentiam*? subtili li-
, *vero* tamen *discrimine*. §. 188. Videntur
ɪi *difficultates* eo niti, quod, *si* conditio-
n inclinantem, non necessitantem, *solam*
ɪeamur, nondum satis certum sit, quor-
a voluntas itura sit? *Sin* inclinantem *for-*
em dixeris constanter *prævalere*: ex *duabus*
itis conditionibus necessario consequatur.
luntatem agere hoc, non aliud; Eoque
othetic am saltim necessitatem *antecedaneam*
ugere non liceat. §. 189. *Leibnitius* aliquan-
vocem admisit, neque id male, si *sano*
su, quem diximus. §. 190. *Malo* tamen
rem expediri. *Si*, *posita* conditione, ef-
tus alicujus productrice, *implicat* eum
n consequi: hypothetica rei necessitas lo-
m habet. *Sin posita* licet conditione in ef-
tum influente, eundemque hic & nunc

producente, *non implicat*, etiam naturaliter eum aut aliter aut non consequi, *si aliunde* accedere nova *debeat* propositio, & *contingens* illa, sed vera tamen: tum vero hypotheticam *ipsius rei* necessitatem non agnosco. §. 165, etsi *conclusionem* ex *utraque* præmissa *certam* & infallibilem sequi non abnegem. §. 191.

§. 491. Puto, *omnem* præscientiam infallibilem esse ejusmodi, ut, si homini competeret, *integro* ille *Syllogismo* futuritionem cognosceret: Num ea propter *ipsa res* præcognita etiam foret hypothetice necessaria, quoniam *conclusio*, (quoad formam,) *necessario* consequitur ex antecedentibus; §. 192. Num illa *quoad materiam* contingens manet *conclusio*, quæ *ex duabus* propositionibus *contingentibus*, sed positis, infertur legitimè? Num plus est necessitatis in conclusione (quoad materiam spectata) quam in præmissis fuerat? §. 193. Num ille *assensus liber* non est, si Mevius parti firmiter adhæreat probabiliori, quam scit, nondum esse demonstratam? si *semper* ita adhæreat, num libere non adhæreat? *si* Cajus præsciat, hanc Mevio partem probabiliorem visum iri; & novit, sequi eum probabiliora: Num *præscire* non potest *determinate*, quam Mevius partem apprehensurus sit? Velim, id simile perpendant Lectores. §. 194. Puto, *supplementum*

re-

receptis de rerum, etiam futurarum, determinatione sententiis *accessisse* per hanc meam enarrationem, idemque intelligendæ contingentium possibilitati determinatæ non incommodum, necessitate vacuum, & libertati amicum.

§. 492. *Libertatem* agentium intelligentium *dupliciter* spectari posse arbitror. Pro *facultate* sumtam dico potentiam, quo agens nulla naturæ necessitate ad alteram oppositorum partem adstrictum est, sed potius in seipso potestatem habet determinandi sese in eam partem, quam pro suo rerum & actionum cognitione plus minus distincta, clara aut obscura, maxime probat. *Exercitium* illius voco ipsam illam unius præ altero electionem, factam ab interno determinationis principio, suis illam partem decisionibus apprehendente, quam ceteris anteferendam esse, argumentis sibi *qualibuscunque* persuadet: Legitimis illis, aut illegitimis; intellectum afficientibus, aut appetitum; distincte clare aut obscure cognitis; inclinantibus quidem, & hoc loco prævalentibus, necquicquam tamen necessitantibus. §. 196. *Nulla* hic *necessitas* intercurrit, in facultate aut exercitio, quoniam *neque prævalentes* necessitant rationes, *sive* illas *quoad* sese & *positivum* in illis contentum consideres, *sive* in ipsa cum ceteris comparatione, *ut prævalentes*. §. 19[illegible]

Consistit autem *determinatio* futurorum *cum hac libertate*, non ratione ipsius immediate facultatis, quam in sese indeterminatam diximus, sed ob exercitium illius ordinatum. §. 199. Conf. §. 194. & 491. Consistit *denique* & *libertas* hæc *cum determinatione* memorata; quæ nullum libertatis requisitum impedit. §. 200, 201.

§. 493. Intelligitur ex dictis *concordia* & *discrimen*, quibus se mutuo *necessitas* respiciunt, & *determinatio*, & *contingentia* rerum, atque *libertas*. Ad *necessitatem* vel hypotheticam *requiritur*, ut principia effectum suo influxu præstitura sint ejusmodi, ut semel posita non possint non producere effectum, & unicum illum quidem, qui producitur, non alium. §. 165. Ad *determinationem requiritur* & *sufficit*, ut ratio adsit, quare hoc potius, quam aliud sequatur. §. 183. Ad *præscibilitatem* determinatam, ut prævisa sit illa ratio, & cognitus certissime agendi modus, causæ agenti usitatus & constans. §. 184. Ad *contingentiam* quoque hypotheticam *sufficit*, ut posita licet conditione alius sequi effectus. §. 164. Conf. § 198. Ad *libertatem* denique requiritur facultas sese determinandi in utramque partem, exercitium tamen illius ordinatum non excluditur. §. 196. Conf. §. 194. & 200. Præsto igitur sunt in hac theoria, quæ ad libertatis & determinationis *concordiam* perti-

nent,

nent, & necessitati *exilium* indicunt. §. 202. 203. Neque obest, voluntatem ex nostra opinione *semper* argumenta sequi fortiora sibi habita. Si *libere semel* sequi fortiora potest; potest *libere semper* sequi. §. 204. *Num reipsa* à nobis illi *differunt*, qui voluntatem vocant facultatem *boniformem*, & quæ *non* appetat, *nisi* bonum *ut* bonum? Num *ille* bonum *ut* bonum appetit, qui *minus* bonum, *pro* tali cognitum, *cum* exclusione majoris *deliberata* appetit? §. 205. Ita communem cum ceteris causam habere videor. §. 205. *Illam* fortasse dilucidioris *theoria prarogativam* interpretari licet, quod ea mediante conspicitur, præscientiam futurorum non solum *non inferre* rebus necessitatem, sed *neque prasupponere* aliquid contingentiæ & libertati inimicum, facilis prima quæstio est & ubique trita, difficilior secunda & rarior. §. 206.

§. 494. Tum verò etiam ex dictis consequitur, *libertatem* consistere *cum* ea *bonitatis* & *sapientia prastantia*, quæ infallibiliter optimum eligit. §. 207. & necessitatem fundat moralem. §. 208. *Bonitatem* verò, pro attributo causæ agentis morali sumtam, *appello* promtitudinem conferendi realitates, vel si mavis, inferendi rebus perfectiones §. 209. Bonitatis agnosco *gradus* dari inter finita diversos: *Summam*, adeoque divinam, illam voco, cum *intenso*, quantum fieri potest,

ſtudio, entibus, quantum fieri poteſt, *omnibus, realitates*, quantum fieri poteſt, *omnes* conferre nititur. §. 210. Fieri tamen poteſt, ut *exercitium* nanciſcatur *limites*. *Quis ignorat*, verba ſunt Theologi præſtantis, *vel optimum Virum, ſi ſapientia poſtulet, certos bonitatis actus omittere : Non* igitur illam *indifferenter* collocari neceſſe eſt, ſed neque conveniens ſapientiæ. §. 211.

§. 495. *Sapientiam* definio ſcientiam ſubordinandi media & fines, id eſt, dirigendi fines, ut alter ſit medium alterius, & eligendi media obtinendis finibus idonea. *Gradus* in ſapientia agnoſco: & *ſapientiſſimum* illum dico, qui omnes ſuos fines ita novit connectere, ut neuter alteri repugnet, unusquisque alteri tanquam medium ſubſerviat; & qui media novit illa ſeligere, quibus fines ſibi propoſitos, quotcunque eorum compoſſibiles ſunt, pleniſſime & breviſſime obtineat. §. 212. *Nullam* enim mediorum & finium connexionem, cetera poſſibilem, *licet omittere*, ſi ſumma *ex ipſo operis intuitu* ſapientia demonſtrari debeat. §. 213. *Problema* igitur *ſapientiſſimo* id *propoſitum* eſt, expedire fines ſuos mediis pauciſſimis, & mediis ſuis obtinere fines ampliſſimos. §. 214. Sapientia igitur & *ſimplicitati* attendit *mediorum*, & *fœcunditati* ſimul; *Multitudini finium*, & obtinendi *modo*; uno *verbo*, maximæ poſſibili-

n perfectioni. §. 215. 216. Si *solis finibus* ·tiri sapientiam instituas, neglectis eorum ediis: sequitur aut omnia produci possibi-, aut maximam non demonstrari sapien-m. Si *solis mediis*, neglecta finium consi-ratione: Sequitur, aut omnia esse unifor-a, aut supremam non demonstrari sapi-tiam. §. 217. *Evitabis* absurda, *cum u-mque* attenderis, sapientiam ex mediis si-ıl & finibus æstimaturus. §. 218. 219.

§. 496. *Corollaria* definitionis illa habe. *Sa-ntem* eligere inter plura possibilia, & *agere* quod est *perfectissimum*: agere *ex legibus imi*: approbare ante omnia, quod est *ma-ne harmonicum*. §. 220. *Consentire* potius, am repugnare id *sapientiæ*, *ut* in opere sa-ntis *consequentia* habeant *rationem* suam *in ecedentibus*: *naturales* rerum consecutiones sse spectari ut *media* & fines divinitus or-ıatos: *omnes* rerum *usus* esse *fines divinos*. §. . Sapientiam *supponere rerum* possibilium *itudines*, non facere. §. 222. *Non* tamen *inviolabilem* sapientiæ divinæ ordinem re-n naturalem prædicari, ut *miraculis* illum mutare non possit; Ut illa *nunquam* fieri ssint opera sapientiæ. §. 223. Tum verò *cipuum* sapientiæ & bonitatis *effectum* con-:i in comparatione voluntatis diviuæ an-edentis & consequentis. §. 224.

. 497. *Voluntatem* generaliter appello fa-

cultatem faciendi aliquid pro mensura boni, quam continet. §. 224. *Perfectionem illius*, quaeram *triplici consensu* : Uno quasi praesupposito; & duobus voluntatem ingredientibus. *Primo* inter repraesentationem rei & rem ipsam: *Secundo*, inter repraesentationem motivorum & volitionem: *Tertio*, inter volitionem unam & alteram. *Perfectissima* igitur *illa est*, quae bona appetit omnia, & perpetim, & pro gradu unumquodque suo, & maxima maxime tanquam talia. §. 225. Voluntatem *antecedentem* & *consequentem* cum Jll. *Leibnitio universaliter* sumimus, ut & hominibus applicari queat, & divino Numini: *Antecedentem* dicentes, quae obtinere concipitur nondum consideratis omnibus circumstantiis; *Consequentem*, quae perpensis omnibus. De *vocabulo* nihil litigare constitui, dic, *previam* & *finalem*, si malis. §. 226---228. *Prima* est excitatoria ad agendum, & *inclinatoria*; fertur in *omne* bonum pro sua scil. *mensura* bonitatis: *Secunda* est *decretoria*; ferturque in bonum *praevalens*. *Illa* intuetur & intendit bona *sigillatim* singula: *haec* ponderat & decernit *conjuncta*. *Illa* connititur ad *omnia*: *haec* obtinet, *quantum* potest, salvis DEI decentiis. §. 229. Possis rem *distinctius* concipere *in τριχοτομία*, §. 230. qua *voluntas primitiva* ex ipsa divina bonitate consequitur immediatè, inclinatoria, non velleitas tamen, *unumquodque* in se ipso bonum ap-

approbans, proportionate tamen perfectioni rerum. §. 231. Voluntas *media* attendit combinationes rerum singulares, ex conjuncta bonitati sapientia fluens, approbatque illas combinationes, in quibus bonum prævalet, ceteras, ubi malum dominatur, reprobat in sese spectatas. §. 232. Voluntas denique *finalis*, quæ in DEO à bonitate & sapientia ut summis pendet, res & combinationes possibiles omnes ita ordinat, ut eam rerum faciem ceteris antehabeat, quæ maximam exhibet operis perfectionem possibilem. §. 233. Possis primam vocare *excitatoriam*; secundam quasi *consultatoriam*; tertiam *decretoriam*. Loquimur *humano more*, postquam admonuimus de *differentia*, in fine. §. cit.

§. 498. Voluntatem *antecedentem* esse *seriam ex effectu* colligimus, qui *in consequente* conspicitur. *Non* ille *serio* vult omnia, qui non obtinet omnia, quæ posset. *Qui serio* omnia *vult*, facit omnia, cum potest; si minus, facit quantum potest §. 234. Qui *præcise tantum* facit, *quantum* potest, ille seriam, meo judicio, adversus omnia voluntatem testatur §. 235. *Saltim* id *non consequitur*, seriam non esse universaliter voluntatem, quæ non omnia præstet, *eo scil. casu*, quo præstari omnia salvis attributis causæ moralibus non possunt. §. 236. Mihi *serium est*, quod *effe-*

ctum habet, eundemque *maximum* possibilem: Talis est antecedens Dei voluntas: *Consequens* enim, *quatenus* maximum decernit, est *effectus* antecedentis, *quatenus* universalis. §. 236. 237. *Neque* id *sapientiæ repugnat*, voluntatem antecedentem fieri in id, quod obtineri non possit, est enim inclinatoria solum, non decretoria; considerat bona sigillatim, non ut combinata universim; neque æqualiter illa probat, sed proportionate rebus. *Igitur* neque combinabilitates tollit, neque inæqualitatem rerum, neque innixam illis boni unius præ altero eligibilitatem. *Nihil* igitur *sapientiam* in posteriori demum momento accedentem *excludit*. §. 238. *Neque sapientia* accedens *voluntatem corrigit* priorem. Effectum ipsius limitat: approbationem universalem non restringit. Non illa universalem corrigit proportionatam rebus: æqualem corrigeret; talis non est antecedens. §. 239. Non igitur pugnat, *intendi* & *serio*, *quod* in sapientissimo opere *futurum non est*: pugnaret, *intendi* illud *magis*, quam ipsum opus sapientissimum; pugnaret, *decerni* illud. §. 240. Sed *neque beatitudini* repugnat divinæ, non obtineri omnia, sed optimum. Potius id acquiescentiæ divinæ objectum esse intelligitur. §. 241.

§. 499. Puto, *in hac* theoria *momentum* aliquod reponi, & *facilem* in ea *lapsum* esse. Igitur

idem aliter dicam, *applicando* theoremata
casum in sequentibus utilem. *Suppone*
ctorem operis optimum & sapientissi-
ım: *Suppone* opus esse diversimode possi-
:: inter diversa illa unum aliquod opus es-
ɔræ ceteris perfectissimum: esse illud ta-
'n ejusmodi, ut successu temporis in præ-
ua aliqua parte defectus introducantur in-
ıtes: Evitabiles illi, sic tamen, ut re-
ɔtis illis & alia decedant, quorum intuitu
momentis opus id est præstantissimum.
ɥeritur, an illos *excesse* defectus *intenderit* o-
ex sapientissimus. *Intendit* verò, inquam,
intendit *serio*, sed intendit *proportionate*.
rtinet *hoc* ad voluntatem primitivam, &
:diam: quibus & *omnia* in sese bona inten-
. §. 231. & *combinationes partiales* illas ap-
ɔbat, in quibus plus boni est, quam mali.
:32. *Seriam* esse *utramque* evicimus. §. 236.
l proportionatam tamen. §. 239. Igitur &
ıe partialem *vere* intendit: sed *magis tamen*
endit totalem optimam, adeoque hanc
cernit. §. 233. *non*, *quasi* intercurrens ma-
n probaret, intenderet, aut decerneret.
ixta est *voluntas* etiam *illa*, quæ optimum
cernit, ex approbatione boni in opere
ntenti, & aversatione mali, perfectioni-
s ejus detrahentis vid. §. 232. & conf. o-
ıino §. 422. *Sapientissime* igitur intendit op-
ɔsitas defectibus illis perfectiones: Sed eò
ɔ intendit proportionate; Si *supra omnia*

bas

hac appeteret perfectiones, sapientissimum opus sine illis confieri non potest: *Eo* autem *casu* absolute illas opifex optimus decerneret, & potentissimus obtineret infallibiliter. 233. Fieri igitur potest, ut, quod *in sese* spectatum *appetit* & probat, *in cohæsione non* possit absolute *decernere*; ut, quod *in sese* spectatum aversatur & *improbat*, *in connexione non* possit omnino *evitare*: facturus optimum. Ita de voluntate.

§. 500. *Malum* colloca in privationibus, realitatum oppositis. §. 242. *triplex* illud est *Leibnitio*, *metaphysicum* vocat nudas rerum imperfectiones, *morale* collocat in peccato, *physicum* in perpessionibus. De *vocibus* admonui in §. 243. *Imperfectiones* autem *omnes*, etiam contrarie dictas consistere *in privativo* ostenditur. §. 244. 245. *Ignorantiam* & *errores* consistere in privationibus facile intelligitur, §. 246. Mediantibus illis ex metaphysico exsurgit *morale*. §. 247. quod necquicquam *extenuant*. §. 248. qui in privatione illud consistere docent. §. 249---251. Consectarium moralis mali *physicum*, in sensu imperfectionis ponitur nobis §. 252. 253. Positivum igitur aliquid comprehendit, sed *malitiæ ratio* consistit etiam hic *in privativo*. §. 254. *Maximum* est *morale* malum ob consequentias & plurimas & tristissimas. §. 255. Idemque *divinæ voluntatis* approbativæ objectum fieri

num-

nunquam potest. §. 256. Ut enim *physica* mala sint *aliquando media* ad obtinendum aliquod bonum. 257. de *morali* id *nunquam* obtinere, specialiter & prolixe ostendimus. §. 258. 259. Ceterum comparari invicem & *commensurari physica* moralibus mala, *compensari* etiam moralia *mala bonis* moralibus posse obiter admonuimus, §. 260.

§. 501. *Permissionem* appello suspensionem vel negationem alicujus efficientiæ, qua opposita factum ab agente non eliceretur. §. 261. 262. *Non præsupponit* illa necessario aliquam *propensionem* agentis positivam; *neque otium permittentis* postulat; sed *neque futuritionis* mali *rationem* in sese complectitur. §. 263. 264. *Neque* inter causas, vulgo morales dictas, *permittens* est *causa actionis* alterius, *sed non-impeditionis* suæ: itaque culpam *eo* solum *casu*, & *eo* solo *fonte* trahit, si & quatenus impedire & potest & debet: quæ *vulgaris* limitatio hic distinctius quam fieri solet, evolvitur §. 265. *Permittere* autem mala *non licet, nisi cum oportet*, hoc est, cum impedire non licet. Ubi impedire licet, permittere non licet. §. 266. Licet *igitur* permittere malum, *si* interposita impeditione *gravius* aliunde emergeret, aut ex ea ipsa prognasceretur. §. 267. 268. hoc est, cum ipse *impediens* suo facto interposito *peccaret*. §. 269. Caveas autem, ut ne, cum ad *divina* sermonem applicas,

Systematis enarrationem ingredimur; brevem illam, uti convenit epilogo.

§. 504. *Tertiæ* sectionis *institutum* intelligitur ex antecedentibus: generalem, & Philosophicam & abstractam tractationem promittimus, non specialem, historicam, aut applicatam ad Angelos vel Hominem §. 288. 289. De *origine mali* philosophantibus arbitror id præstitutum est, ut ostendant, saltim generaliter, *quibus* illud *fontibus*, & *quo modo possit* oriri? *Non suppono* consequentiam: si oriri potest; oritur. *Hoc assero*: si oritur, oritur illis fontibus, quibus potest oriri. §. 290. atque si uno solum fonte oriri potest: quæstionem *difficiliorem* historicam, quo fonte oriatur, resolvo *in faciliorem* philosophicam, quo fonte possit oriri? §. 291. Persequamur ordine malum primo *metaphysicum*, deinceps *morale* tum *physicum* quoque. Rem igitur *in summa* sic habe. In Ente *infinito* malum *nullum est*, aut esse potest. §. 292. Igitur, si quod est, *in finito est*, aut finitis Entibus. In finito præter realitates & illarum limitationes nihil est. Igitur aut in realitate consistit, aut in limitationibus §. 293. In *realitatibus* malum *non consistit* §. 294. consistit igitur in *limitationibus* §. 295. Limitationes ex realitatibus ut talibus *non oriuntur* §. 296. neque adeo ex *fonte* realitatum *DEO* originarie descendunt §. 297. Igitur *neque malum* in li-

mi-

ationibus positum §. 298. *à divina* quo-
n *efficientia* procedit §. 299. *Privatio* poti-
est *privatione orta* §. 300. quæ causam sufi
ientem aut positivam *neque* postulat, *neque*
et §. 301. scaturiens *ex nihilo*, quod vocant,
icali §. 302. adeoque rerum *finitudini* co-
rens §. 303. Habes originem mali *meta-*
sici sive imperfectionum communiter re-
tam §. 304. *Generalia* sunt verò illa quo-
:, & *ad ceteros* privationes, eoque & mala
alia §. 209. applicari possunt §. 305.
. 505. Malo tamen, eam partem enarra-
pecialius, maxime ideo, quod *necessaria o-*
mali moralis videntur, *si ex limitationibus*
aturarum essentialibus derivetur. §. 365.
vit dubium *Ill. Leibnitius*, quando, *funda-*
ntum, inquit, mali est necessarium; sed
s tamen contingens: hoc est, necessari-
est, ut mala sint *possibilia*; sed contingens
; ut mala sint *actualia*, §. 306. Funda-
ntum intelligitur primum & *remotum*, non
ximum & mediatum; *generale*, non spe-
cum; mali *ut possibilis*, non ut actualis.
cesse est, *aliquas* creaturæ limitationes ad-
:; non est necessarium *has esse*, non alias:
ue ex his ipsis necessarium est, *consequi* la-
m actualiter; cum sequitur, sequitur me-
nte arbitrio. Igitur *neque contingentia* eli-
ır hoc dicto, *neque* excluditur *culpa* agen-
Id generaliter ostendimus §. 307---309.
Specialius distinguatur, quid ex finitudine
consequatur, & quid voluntati debeatur,

ſingulatim illa enumeravimus in ſeqq. §. 311--326. Ut id intelligas, *finge* ſubſtantiam cogitantem finitam, (qualem hominem eſſe deprehendimus, id eſt) talem, quæ ſui ipſius & æternarum rerum conſcientiam habeat; ideas aliquas diſtinctas, plures claras, & obſcuras plurimas; facultatem item flectendi attentionem ſuam quo velit, eoque ipſo acquirendi ideas illarum rerum clariores; vim denique internam connitendi ad objecta ſive diſtincte ſive confuſe ſive obſcure cognita. Fac, illam eſſe Legi ſubjectam, vetanti objectum in cognitione ejus confuſa (talem eſſe ſenſualem conſtat ex metaphyſicis) deſiderabile. *Dico*, fieri poſſe, ut neglecta ad interdictum attentione diſtinctius continuata, confuſa cognitionis ſtimulus tantum in ea ſubſtantia valeat, ut ſub fortioribus hâc vice, ſed non-melioribus reipſa, determinet ſeſe ad agendum id, quod vetitum eſt: *Dico* autem, id libere fieri, cum ita ſit, ut poſitis licet illecebris illis potuiſſet Legi attendere, atque eo facto tentationem exſuperare, §. 110.

§. 506. Debetur *finitudini*, quod non omnes *ideæ* diſtinctæ ſint, ſed confuſæ & *obſcuræ* plurimæ: ex obſcuris ſequitur, & quod errare poſſit judicio: *Errores* igitur judicii ſunt ex finitudine §. 311. ſimiliter ex finitudine pendet *facultas* ſeſe determinandi *ſub* ar-

gumentæ

nentis & motivis *obscura cognitis.* *Imper-*
onis esse judico, si quis spiritus conniti
sit in id, quod nondum exquisite perpen-
, aut cognovit distincte. Quamcunque
ur *prærogativam* hic alii quæsierint, finitu-
is est, posse se determinare sub fortiori-
non-melioribus, posse non-meliora ju-
ıre meliora, & sequi tanquam fortiora.
12. *Non* quasi in eo malum esset, quod
obscure cognita stimulent appetitum, *sed*
od non semper succurrat distinctior co-
tio periculi quod in decisione ex obscu-
involvitur, eoque voluntas actu ipso se-
non-meliora possit. §. 313. Tum vero
illud finitudinis est, quod *distincta* prius
a possint *fieri confusa*, & obscuræ penitus
oblivio locum aliqua habeat §. 314.
o fit, ut creatura possit *Legem transgredi*,
destinatum Legis contemtum *nondum* an-
ınimo induerit; atque adeo, ut *prius in-*
ta possit peccare. §. 315. Habes *potentiam*
ecandi ex finitudine.

. 507. *Actum ipsum* ex sola hac conside-
ione *nondum* eruo. Ut enim peccare pos-
, potest nostra sententia etiam non pec-
e. §. 316. Quid igitur *illud* est, *quo medi-*
e potentia in actum transit, & quod cul-
n inducit ? *Neglectum* hic accuso facul-
is attendendi rebus, & suspendendi judi-
ım, dum distincte rem perpenderit. Sup-

 pone,

pone, creaturam in tentatione positam, hoc est, obscura vel confusa alicujus rei tanquam bonæ repræsentatione excitatam ad agendum aliquid, quod Lege vetitum est: Præditam illam quidem facultate revocandi sibi interdictum in memoriam, & suspendendi judicium, dum Legi factum contulerit, sed negligentem ejus cautelæ, concedere argumentis sibi propositis, neque fortiora circumspicere & opponere prioribus: *intelliges* opinor, quo fonte id, quod aliter fieri poterat, hoc modo fieri possit, & inter actualia fiat? & quo intermedio indeterminata utriusque possibilitas utriusque oppositi facta sit determinata? §. 317. *intelliges*: id mediante arbitrio & libertate factum trahere culpam ex illo neglectu moralem §. 318. *intelliges*; neglectum illum non postulare causam sui antecedaneam efficientem specialem aut positivam, sufficere generalem, deficientem, negativam, ex finitudine pendentem §. 319. *intelliges*; peccatum esse ex non-usu libertatis, aut abusu ejus, quod dicitur, privative dicto §. 320. 321. Illum *non usum* facultatis absolute loquendo *non* esse *semper* quidem & in sese *culpabilem*: *Sed* esse *hoc loco*, quoniam usus sit & possibilis & debitus §. 322. *involvere* adeoque hoc loco peccatum *primo* omissionis, *ex eo* fluere alterum commissionis §. 323. Ita arbitror *conciliari* illos, qui antecedaneas omnium rerum cau-

sas postulant, & appetitionis rationem requirunt, cum illis;, qui *solam* hoc loco libertatem & abusum ejus allegant & increpant. Namque appetitionis *causam habet* repræsentationem boni apparentis antecedaneam; *sed moderante* demum non-usu facultatis congenitæ *prævalentem*. *Illa*, si proportionata foret objecto, mala non esset; quod ultra proportionem invalescat, est ex non-usu libertatis in quærendo & prosequendo bono majori. §. 324. *est igitur malum ex abusu libertatis*: *Habet* ille causam sui, quod in eo positivum quid est, sed nondum in vitio positum; *non habet* ille nec postulat, quoad privativum è quo vitium transfunditur in positivum. §. 325. Igitur & lapsus liber est. §. 326.

§. 508. *Objectionem* breviter unam atque alteram removebimus. *Præcipuam* ex principio rationis sufficientis deducunt adversarii: „Aut sufficiens adfuit ratio ad usum illum libertatis; aut non adfuit. Si primum fuisset, secutus ille fuisset. Si secundum mavis, quæ culpa est omittentis id, ad quod præstandum sufficiens non adest ratio?. §. 327. *Resolvitur* objectio in *duas* partes; aut ex *præsentia* rationis sufficientis ad *necessitatem* arguitur: aut ex ejus *absentia* ad *excusationem* omissionis & *primum* in secunda sectione evolvimus & resolvimus, locis §. 328. allegatis. De *al-*

tero sic tene. Principium loquitur *de eo*
fit: ut aliquid *non fiat* ut v. g. non mem
rim absentis amici, legis alicujus spec
cujus objectum nunc non obversatur an
id *specialem* sui causam non postulat §.
sed *neque* antecedens *non-attentio specia*
vitio est §. 330. neque ex eo argumento
ditur vitiosa, quod, præsente ejus
attentione continuata, adfuisset att
quoque fortior in momento tentatio
331. *Non igitur*, id principium, non
applicatum, ponit antecedaneam cau
eandemque extra hominis potestatem
tam, adeoque illum ab culpa neglect
beraturam. *Tum vero*, si *convertitur*,
guum est. Recte *Ill. Leibnitius* & *Chr.*
fius, nihil fieri sine ratione sufficiente
cave, *simpliciter* convertas: ubicunque
ciens ratio est, ibi fieri actionem infal
ter, multo minus necessario, & in
excusabiliter. §. 332. Potest dici *sufficie*
ut fieri actio *possit*, ut *debeat*, ut *fiat*. §.
Non sequitur; sufficiens est ratio, ut
fieri actio: ergo fit. *Sequitur* hoc; suff
est, ut fiat: ergo fit. §. 334. In cre
peccante supponitur sufficiens, ut po
attendere interdicto distinctius: non,
tenderit. §. 335. Igitur *ad argumentum*
le respondebitur: „Si sufficiens adfuis
tio illius usus, cujus oppositum negl
accusavimus: secutus fuisset, „*Limi*

sufficiens, ut potuerit; *nego consequentiam.* Si sufficiens, ut attendere voluerit & attenderit: *Nego minorem.* „ Si non adfuit sufficiens: *Sequitur* neglectum esse inculpabilem. „ *Limito*: Si non adfuit sufficiens eo, ut potuerit attendere: Transeat major; *nego minorem.* Si non adfuit sufficiens eo, ut voluerit attendere & attenderit: *Nego consequentiam.* Non est ille extra culpam, qui potest & debet, sed non facit. Recte Acutissimus *Dorscheus* p. 125. „ *Adamum VELLE à divina manu non accepisse, verum est.* „ Sed neque *NOLLE* accepit: accepit *POSSE VELLE.* Si potuit uti, nec usus est, cum debuit: num ille culpam non habet? num ideo excusabitur, quoniam antecedens ratio tanta non fuit, ut voluerit? §. 336. Num *in relapso* (Loquor ex Theologia *Augustanæ Confessionis*) Dei gratia non adfuit sufficiens ad hoc, ut *potuerit* persistere? num adfuit sufficiens eo, ut *perstiterit*? num ex *primo* sequitur illum persistere? num ex *secundi negatione* sequitur, illum sine culpa relabi? §. 337. Similiter statuo de præsenti negotio, *quousque* id convenit §. 338. Puto *solvi* totam objectionem, *ubi* §. 329. 335. & 336. *contuleris*: solvi tamen quoad originem mali: de connexis postea dicitur §. 339.

§. 509. Facilior est *altera* objectio, si cui in mentem veniat, universam hanc dedu-

ctionem niti ; *ctione* §. 340. *Licet* assumere subjectum *in* tractatione *Philosophica* & abstracta qualecunque volueris, salvo contradictionis principio: secus est in historica §. 340. *Supposuimus* id tamen, *quale* applicari Angelis & Hominibus liceat ex communi omnium sententia §. 341. Neque illi negotio *necessum* fuerat, concipere substantiam ut *positive inclinatam* in bona, quoniam de *Angelis* dissentiunt inter sese Theologi, neque id Philosopho licet, pronunciare pro alterutris §. 342. Facile tamen *extenditur* ad illum quoque casum theoria præcedens, ubi inclinationem illam distinctius evolveris. Ejusmodi specimina dedimus, sed sine applicatione tamen, extra nostrum scil. institutum posita. §. 343. Ita de *morali* malo, & illius origine breviter dicta sunt.

§. 510. *Physicum* ex morali malum pullulat. *Specialem* de illo tractationem nos perteximus §. 344. An ex ipso *immediate* malo *metaphysico* calamitates profluant, aut profluere possint, absente morali, non determino §. 344. Hoc certum est, illa *sapienti graves non fore* in ea hypothesi. §. 345. Ex morali *unius* creaturæ, v.g. hominis potentis, malo *transire* calamitatem *in alios*, id in aprico est §. 346. Oriuntur verò & *in eodem* subjecto, tam naturaliter connexa, quam ex arbitrio Legislatoris §. 347. *Species* malorum physico-

corum moralibus *omnibus* connexæ, & ab omnibus *agnita*, sunt ira & offensio DEI agnita, & consequens proxime aut in futurum facti pœnitudo &c. §. 348. Sunt vero & *alia*, quas *rarius* peccato deberi attendimus naturaliter. *Talem* puto *famem publicam*, quam nisi antecedenti luxuria locum non habere existimo. Et similia §. 349. quæ non persequimur, cum *sufficiat* intelligere physica *mixtim* è metaphysicis & moralibus mala prognasci, virium quippe finitarum insufficientia partim, partim applicatione illegitima; & verum illud esse *generaliter*, quod Christianorum disciplina de morte statuit, *Aculeum* mali physici esse peccatum §. 350.

§. 511. *Permissionem* ita explicare instituimus, ut *non solum* intelligatur, quod DEUS salva sanctitate possit permittere, *sed etiam*, quare velit? & quæ sunt quæstiones eodem pertinentes simul explicentur §, 352. 353. *Balianis* præcipuè *exceptionibus* responsa debentur: Potuit DEUS malum impedire salva libertate; Cur non impedivit? Si non potuit salva libertate: Cur libertatem non sustulit potius? Si tollere datam non potuit; cur ab initio concessit præscium futuri abusus Numen? §. 354. Fortassis *difficulter* argutationes refellunt, qui *nimium libertati* innituntur *humanæ*: §. 355. *Responsionem* præstat sententia *Scholasticorum* & *Leibnitii*, malum in optimi mundi idea simul involutum esse, permissum adeo-

que concomitanter, quoniam impediri ſine graviori incommodo non potuit §. 356. Illius ſententiæ ordinem & contenta enarravimus, *Leibnitiano* more *primum*, *tum* vero & *ex receptis* Theologorum atque Philoſophorum theſibus §. 357. Repetamus dicta in compendio.

§. 512. *Primum* ſententiæ præſuppoſitum eſt, *mundum hunc eſſe contingentem.* Id niſi foret, *abſurda* hæc de permiſſione quæſtio foret. Num quæritur: quare DEUS permiſerit, ut bis duo ſint tantum quatuor, non ſeptem? ut quadrati latus & diagonalis ſint incommenſurabilia? §. 358. *Variis* contingentia *rationibus* probari ſolet: quas tranſeo hac vice §. 359---361 Accipe noſtram §. 362---367. evolutam. Ea *hæc* eſt: Si quæ rerum collectio exiſtens eſt neceſſaria abſolute: Tum aut ſtatus coëxiſtentium aliquis determinatus eſt neceſſarius; aut ſucceſſio ſtatuum. Si ſtatus aliquis coëxiſtentium: ſequitur eum perſiſtere uniformiter. Si ſucceſſio: aut ſumitur illa concrete cum ſtatibus, aut abſtracte pro ſola conſecutione. Si primum: neceſſaria illa non eſt, niſi & ſtatus ſint neceſſarii. Talis in hoc mundo nullus eſt, quod enim neceſſarium eſt, unicum eſt ſui generis poſſibile: ſtatus omnino plures ſunt in ſucceſſione. Si ſecundum eligas; ipſa illa conſecutio, etſi neceſſaria eſſet, (quod ex §. 361.

secus esse intelligitur) mundum tamen necessarium non efficeret: Mundus non est successio; est rerum succedentium & coëxistentium collectio. Igitur mundus nullo sensu est necessarius absolute; est igitur contingens. §. 368. *Plures* igitur *mundi sunt possibiles*; quicquid enim contingens est, potest aliter constitutum esse §. 369. Et quoniam successiones in mundo sunt, *finitis* ille *rebus componitur* §. 370. Finitæ illæ res cohærent ut media & fines, causæ & effectus: eoque *exceptiones perfectionum simplicium admitti debent* in vehementer composito §. 371. & quoniam *illa diversis fieri modis possunt*, novum contingentiæ indicium, imo fontem deprehendimus §. 372.

§. 513. *Mundus*, quia contingens, *rationem suæ existentiæ in seipso non habet* §. 373. Habet *igitur* extra sese *in alio* §. 374. Et quidem *in DEO*, uti hic quidem supponere liceret, Lectorum nostrorum venia §. 375. quoniam tamen id *saltu* fieret, attributa ordine sequentia *demonstravimus*: necessariam existentiam cum libertate agendi, cum voluntate & intellectu, illis quidem perfectissimis §. 376. Ob intellectus perfectionem *pernovit possibilia* in universum *omnia* §. 377. & eorum habitudines omnes, adeoque & *mediorum atque finium consensus omnes* pervidet, hoc est, sapientissimus censeri debet §. 378. & volun-

te-

tate utitur perfectissima, hoc est, ea quæ consensus §. 225. & 497. enarratos exquisitissime suis volitionibus assequitur & exprimit, §. 379.

§. 514. Ex consensu volitionis & objecti sequitur (1) voluntatem *perfectissimam nunquam* appetere *sine* ratione *impulsiva*. §. 379. (2) impulsivam ejus rationem *nullam* esse *nisi perfectionem* rei volitæ. §. 380. (3) cum in libertate contradictionis aut contrarietatis altera pars est perfectior altera, voluntatem perfectissimam *infallibiliter perfectionem apprehendere* §. 381. neque id libertati quicquam præjudicare, ostendimus partim in secunda sectione, ubi necessitatem moralem explicuimus §. 171---179. Partim hoc loco §. 382. 384. (4) *inter æqualiter perfecta neutrum* alteri *præferre* voluntatem, *aut* omnem §. 384. *aut* perfectissimam saltim §. 385. Arbitraris, id *libertatem tollere*, si vel inter æqualia eligere non possit voluntas? §. 386. 387. *Memineris* igitur (*a*) non id libertatem tollere in *ceteris* casibus, si tolleret in præsenti: (*b*) *neque* in hoc casu tolli *facultatem* agendi & volendi, *neque* ipsum ejus *exercitium*: namque si utrumque objectum possit consistere, utrumque eligit; si non possit, neutrum: (*c*) tum vero illum *casum*, saltim in Philosophia recentiori, *esse fictitium*. §. 388. si putes incommodum intervenire, quod eo casu non possit ens optimum eligere alterum præ al-

tero,

o, *etiamsi* id vellet: supponis absurdum.
m vult alterum eligere *præ* altero, ut per
sus ostenditur §. 389. *neque* id *potest* velle §.
o. quoniam hoc *non est objectum* voluntatis
rfectissimæ *congruum* aut conveniens §. 391.
me ideo tamen *ab objecto* voluntas *dependet*
392. *neque sufficiens* electionis determinatæ
io est, si supponas adesse argumentum,
o voluntati suadeatur eligere *unum saltim*
pluribus. Namque id obtinetur, *utcunque*
determinet: igitur determinationis ipsius
io esse non potest. §. 393.

§. 515. *Consequitur* ex hac consideratione,
otiescunque voluntas perfectissima eligat &
at, *illam neque* imperfectius perfectiori,
que ex æqualiter perfectis præferre unum
eri. *Num* inde *consequitur*, hunc mun-
um divinitus utique electum & ductum,
e perfectissimum? *Nondum* puto. Quidsi
alium perfectissimum existere supponam,
hunc minus perfectum cum illo? Num
eo imperfectior est perfectissimo ante-
ibitus? Non sane. §. 394. Igitur *ostenden-*
m est, *aut* solum hunc existere: Tum il-
omnibus prælatus est; adeoque perfectis-
nus: *aut* si plures existant, minimum æ-
uales illos esse, & imperfectiorem perfe-
issimo nullum existere §. 395. *Primum* Ex-
ll. *Chr. VVolfius* probavit, & *Leibnitius*, ad-
onuit §. 395. 396. 397. Placet, *hic secundum*
ad-

addere, ut intelligatur, si plures supponantur existere, minimum æquales illos esse perfectionibus, nullum perfectissimo imperfectiorem existere §. 396. *Imperfectior* existens *aut* in sese consideratur ut præditus perfectione plurima, non omni tamen possibili: *aut* contenditur cum meliori, ut isti antehabitus: *aut* adjungitur meliori, *sive* ut cohærens ipsa rerum consecutione, *sive* in mente solum opificis ita, ut ;solum quidem conderet, condat vero, si & alii simul creentur *Secunda* suppositio repugnat §. 381. *Tertia* non exhibet mundum imperfectiorem separatum, hoc est, mundum, sed mundi partem. §. 399. *Prima* est inconveniens sapientiæ; quia summam *ex ipso opere* sapientiam demonstrare non liceret, adeoque ipse sibi DEUS in illo opere non satisfaceret §. 400. idemque simul opus sapientiæ foret, & non foret diversis partibus. §. 401.

§. 516. Atque ita obtinemus, *mundum* quicunque existat, esse *ejusmodi*, ut perfectior alius dari non possit: *sensu* tamen *eo*, quo DEUS mundum respicit. *Respicit* ille vero *ut totum*; *quoniam* omnia cohærent, ut nulla *adæquate* pars cognosci possit, sine cognitione omnium; *nulla* enim in universo *insulæ* sunt perfecte tales. §. 402. *quoniam* & operatio ad omnia extenditur tempora & loca §. 403. *quoniam* id intellectus perfectioni, de-

cre-

cietique sive rationalitati sive veritati, sapientiæque, & consensui operationum & decreti repugnaret, si partem solum in consilio suo DEUS attenderet §. 405. *Mundus* igitur, quicunque existit, *in toto* suo complexu spectatus est perfectissimus, *saltim* eo sensu, ut perfectior alius dari non possit. §. 404. Neque illud sententiæ repugnat, si *in partibus* imperfectiones fuerint §. 406. *Neque ceteri* imperfectiores ex hac theoria in sese, *impossibiles* sunt, aut divina perfectione indigni, ubi *solos* illos, & *quoad positivum sui* spectaveris; erunt solum, ubi ut perficibiles, adeoque ut nondum perfectissimos attenderis, eoque ipso cum aliis perfectioribus comparaveris. §. 407. conf. 400. Diximus ista, *imitati* Ill. *Leibnitium*, inflexis tamen subinde sententiis ad suppositiones quoque aliorum §. 408.

§. 517. *Item* aliter, & *ex receptis ita* eruo. DEUS mundi opifex est summe bonus. Summe bonus voluntate approbativa inclinatoria fertur in omne bonum. Fertur autem serio. Qui serio omnia vult: ille aut omnia obtinet, cum fieri potest; aut tantum saltim, quantum fieri potest. Qui tantum obtinet, quantum fieri potest: obtinet profecto optimum. Igitur *ex tribus unum* consequitur: *Aut* DEUM non velle bona serio omnia? *aut* obtinere omnia: *aut* optimum. §. 409. *Priora duo* non possum ego admittere, argumentis

§. 409.

§. 409. 410. teneo igitur *tertium*, quo divinum in toto opus perfectissimum esse admittitur §. 411. Atque hæc à priori: *Adjunge* nunc *à posteriori* existentiam mundi cum malo §. 412. apparebit *ratio, quare* malum DEUS & *potuerit* permittere, & *voluerit*? quid enim? voluit optimum: optimus malum complectitur. Voluit igitur malum permittere, quoniam in optimo cetera composito involvitur. §. 413. Id *distinctius ita* eruimus.

§. 518. Quicquid existit, individuum est, & omnimode determinatum: *Mundus* igitur *existens individuum*, & omnimode *determinatus* est; ante productionem *idealiter* in mente opificis perfectissimi; post productionem *realiter* in sua existentia. §. 414. Mundus porro existens in divino judicio est *perfectissimus*: Igitur mundus existens ut omnimode determinatus est perfectissimus. Ut *omnimode* determinatus *originem mali* & *permissionem* involvit: Igitur mundus etiam *cum sua origine* mali & *permissione* est *perfectissimus*. Mundum perfectissimum eligi divinis *nequaquam derogat* perfectionibus: Igitur non præjudicat eligi mundum, quo permissio mali involvitur: Igitur *permittere* id DEUS *potuit*, hoc *primum* est §. 415. *Alterum*, quare voluerit, pro *diversa* hypothesi distinguitur §. 416. *Si unus* solum est perfectissimus: idemque malum inter suas complectitur determinationes:

n recte dicitur; ideo malum DEUS per-
tit, quia perfectissimum obtinere mun-
n constituit ; Perfectissimus vero ma-
a complectitur; §. 417. Vis *reduci* ista *ad*
riam permissionis, secunda sectione exposi-
i? DEUS malum permittere & *potest* &
es, permittitur adeo & *licite* & *sapienter*,
n impediri *non potest*, *sine* malo graviori
ecto. Si in optimo mundi individuo ea-
nque unico malum comprehenditur, im-
liri *non potest*, *quin* gravius incommodum
eratur : Hoc scil. ut opus divinum in
o optimum non sit. Igitur *eo casu* per-
tit licite & sapienter. §. 418. *Si plures*
ualiter perfectissimos existimes, & eorum
rum, uti *noster* est, (perfectissimus qui-
n, quia existit §. 400. 401. Sed malo in-
inatus tamen §. 412.) supponas mala simul
volvere in suis determinationibus, *alte-*
m non involvere : *videtur cessare* ratio huc-
que allegata. *Sed* vero *aut* uterque possunt
nul consistere : *aut* non possunt. *Si hoc* :
utrum faciet sapientissimus ex §. 388. *Si*
d : utrumque faciet, & permittet malum
ione eadem; namque si alterum non fa-
ret, non ille tantum boni produceret,
antum fieri sapienter potest; si non per-
itteret malum mundo illi idealiter invo-
tum, faceret ex eo aliud individuum,
m faceret igitur omne perfectissimum,
iod posset. Igitur *hic* quoque *in priorem*
sus resolvitur. §. 419. 420.

§. 519. *Permittit* igitur DEUS malum, *quoniam* in optimo ex aliis caufis & perfectionibus mundo fimul involvitur. *Non* ea propter tamen *malum vult*. Sed permiffionem ejus, & directionem, & moderationem & punitionem. *Non fequitur*, vult optimum, etfi cum malo, ergo & malum, multo minus ergo propter malum. *Neque illud*, vult Perfectiones occafione mali locum obtinentes, ergo & malum antecedens. *Non* enim *ex malo* confequuntur, fed eidem aliunde *fuperveniunt* §. 421. 422. *Neque* igitur id dici poteft, DEUM *intendere malum:* intendit *abfentiam* ejus, *intendit perfeverantiam* creaturæ in bono, intendit *ferio*, intendit *fapientiffime*; fed eo ipfo *proportionate*. Intendit perfectionem hanc *partialem*, *quantum* illa meretur: *Totalem fortius* intendit; igitur *illam* non decernit *abfolute*, fi obtineri ab ipfo *non* posfit fine incommodo perfectionis totalis §. 499. *Non poffe* autem, intelligo ex eo, quod alioquin illam DEUS perfectionem operi fuo deeffe paffus non fuiffet. §. 409. Puto vero & *Balianas* quæftiones ex noftra theoria refponfum accipere conveniens §. 423. & *theoriam univerfam* confonare *divinis perfectionibus* §. 424. obfignatam *teftimonio* Theologi & Philofophi præftantiff. *Jo. Georgii Dorfchei* §. 425.

§. 520. Atque hæc quidem *generalia* & *à priori* diximus; *Specialia* aliis allegata tribus

at-

ingere verbis contenti §. 426. nisi quod *pheta* Duce, Ps. 148. *universas* in divinum fectionis totalis computum *creaturas* ve- e afferam §. 427. & *ordinem* quoque *natu- m* illo comprehendi argumento osten- n & de *miraculorum* in hoc negotio con- ratione breviter *necessaria* indicem §. 428. . Potuissem *facile illam* præ ceteris o- ibus partem *extendere*; neque dubito fore *tores*, qui *illam* præcipuè causam *prolixius* ositam desiderarent. Sed vero non pau- intercurrunt, quæ *liquido* definiri non pos- t. Igitur a *conjecturis* malui abstinere: mor *promissorum*, quibus universam ac- nmodavi tractationem §. 430.

. 521. *Theoretica* vero illa sunt: *Practicos* orum usus exhibet Sectio *QUARTA* §. . *Non* enumeravi *omnia*, sed *ea solum*, *quæ* int è sententiis *obesse* visis § 432. *nihil* eo te *ceteris* eadem officia demonstrandi ge- ibus *præjudicaturus* §. 433. *Optime* illam rem egit *Chr. VVolfius* in Institutionibus mora- is: *brevissime Leibnitius* admonuit §. 434. stro judicio *tria* autem sunt potissimum, e attendi hoc loco merentur. Dixi (1) UM facere & *intendere optimum*; (2) id- *per* mundum ut *Systema*: (3) dirigente is *sapientia*. §. 435. Esse nobis divinas fectiones *exemplaria* imitationis, vulgo oque admittitur §. 436. *Melius* tamen *ex*

hac *divina* optimi *intentione* concluditur, *velle* DEUM, adeoque *teneri* homines, ut unusquisque *tantum boni* faciat, impediat mali, *quantum* potest. *Difficile* officium est, sed *debitum* tamen, & *utile*. Num id indifferens est, & arbitrio relictum Tuo, velis intentionem intervertere divinam quantum in Te est, aut subservire illi? §. 437---440 quantum in illud incumbis, *tantum* inter objecta beneplaciti, *inter motiva* hujusmundi DEO approbata pertines §. 441. cum id negligis aut intervertis, *melius id foret* non esse partem mundo optimo cohærentem, adeoque ad existentiam non traduci ob cohærentiam ceterorum §. 442. *Generale* igitur officium est, promovere perfectiones rerum omnium, quantum id fieri potest: *Specialia* ex illo omnia sequuntur, non tamen hic deducenda §. 443. Id ex ratione optimi.

§. 522. Ex *ratione Systematis* sequitur *necessitas attendendi* animo, cavendi à peccatis; namque omnia cohærent, ut semel admissa *perpetuas* post se consequentias trahant §. 444. *ut facile habitus* generent, ut *contrarii* prioribus *non imperari* animo, sed successive induci possint §. 445. *Fœcunda corollariorum* mala sunt non *in ipso* solum peccante §. 446. sed *in aliis* quoque, & *post longa* adhuc *tempora* fructus protrudunt suos §. 447. 448. Fluunt inde vero *officia*, nostris utplurimum negli-

gi

gi solita, sed *Confucio* & Sinensibus annotata, officia inquam *erga antecessores* in imitando *& posteros* in exhibendis vitæ exemplis §. 449. Scio specialia magis animum penetrare: Dedi igitur exempla rei in *Scriptoribus* incautis & *in detractoribus* malignis §. 450. 451 Similiter vero & *circa bonum* admonui aliqua. *Constantiam* in virtutis studio suadet ratio Systematis. Nemo repente fuit sanctissimus §. 452. suadet Systema quoque morale, idest *communionem affectus*, ut, quemadmodum efficientibus causis omnia, sic & impulsivis connectantur. Præceptum est elegantissimum ex Confucio §. 453. *Redarguit* vero & hominum sive ruditatem, sive incuriam, sive malitiam, qui *fines sine mediis* ambiunt, & ordine posthabito *effectus sine causis* postulant §. 454.

§. 523. Ex consideratione *Sapientiæ* concludimus, *nullum sine pœna* peccatum esse §. 455. *sequi tristia* semper ad omnia turpia evincimus §. 456. sequi autem *sub ratione pœnali* §. 457. 458. Inde intelliguntur *apophthegmata Leibnitii* §. 459. Esse usus naturales omnes simul fines divinos §. 460---462. *Mechanismum* subservire providentiæ, *naturalia* quoque *phænomena* esse divinos monitores §. 463. *Providentiam* non esse vagam, non generalem solum, sed specialem & *individualem* §. 464. *etsi* in Systemate *præordinaverit* o-

mnia. §. 465. Legem *Naturalem* esse *divinam* non origine solum naturæ, sed & *intentione* obligandi §. 465. Ita consentire universitatem *corporum* societati *spirituum*, causas *efficientes finalibus*; ita DEUM machinæ *Architectum* satisfacere eidem ut Rectori spirituum, Monarchæ, & *Legislatori*. §. 467. Dicuntur illa tamen *Sapientibus*. Si qui consequentias non assequuntur, illis alio prospectum est remedio, Legibus nimirum *positivis*, & promulgatione *speciali* naturalium §. 468.

§. 524. Atque ista de *actionibus*: de *passionibus* breviter ita habe. Neminem *sine demerito miserum* persistere sub optimo Monarcha §. 469. *certam* hic esse injuriarum catastrophen & *remunerationem*; *vergere* illas *in bonum* Dei timentium, & quæ sunt *plura* ejus generis §. 470. 471. enarrata. In quibus id *notes* præcipuè, quænam alteris motiva *præcellant*. Sunt *aliqua* ex utilitate sumta, etsi verâ & honestâ: *excelsiora* illa sunt, quæ divinis deducta perfectionibus §. 472. Namque illa vexationum tolerantia partem divini cultus, & *Pietatis Philosophicæ* præstat §. 473. Valent autem omnia de *innocentibus*: Si *pœnam* peccato provocaveris, *cadunt* sane præcipua. §. 474. Adeoque *Philosophia* cultorem *ea parte* suum *destituit*, manu tamen *ad revelationem* ducens, quæ *medium* exhibet *elu-*

endi